
BALTASARIS ALUAREZ E SOCIETATE IESU VITA A LUDOUICO DE PONTE SOCIETATIS...

Luis : de la Puente, Carlo Bovio



BALTASARIS ALVAREZ

E SOCIETATE IESV




VITA

A LVDOVICO DE PONTE
SOCIETATIS EIVSDEM
Hiſpanicè edita:

ET A CAROLO BOVIO
EX EADEM SOCIETATE
Latinè reddita:

Editio altera ab Auctore recognita; & à plurimis mendis, quæ, ob ipſius abſentiam, in primam irrepſerant, expurgata.




ROMAE, M.DC.LXX.
Ex Typographia Nicolai Angeli Tinaſſij.

SVPERIORVM PERMISSV.

Iterum imprimatur;

Si videbitur Reuerendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

I. de Angelis Archiep. Vrb. Viceſg.



Imprimatur,

Fr. Hyacinthus Libellus Sac. Palatij Apoſtolici Magiſter Ordinis Prædicatorum.

IO: PAVLO OLIVAE
SOCIETATIS IESV
PRÆPOSITO GENERALI

CAROLVS BOVIVS S. D.



Altaſaris Aluarez Societatis Ieſu vitam à Ludouico de Ponte Societatis eiuſdem Hiſpanica lingua conſcriptam, iuſſu tuo latinè reddidi, Religioſiſſime Pater, & Optime. Suum ille tertio probationis anno virtutum omnium Magiſtrum pariter, & exemplum, Diſcipulus Præceptore tanto non minor, cum perenni, inclytaque memoria, tra dere bono voluit publico poſterorum. Aſſecu tum id illum eſſe legentium fructûs viuus ſemper vigenſque confirmat. Cui addis Ipſe omni maius exceptione ſuffragium: quando ex huius vitæ, plus quàm ex alia quacunq; pia lectione profeciſſe Te olim, vel ab Nouitio profiteris. Quamobrem religioni mihi ducendum fuit, & duxi, addere illi quicquam, aut demere: quod in optimo nihil eſt aliud, niſi corrumpere. Abſtinendæ fuerunt etiam, ſicubi ſua ſe ſponte obtruderent, nedum quærendæ ſtudio linguæ deliciæ: ne, in quo Chriſtianæ pietatis Erytræo piſcantibus Auctor bonas virtutum margaritas offert, ijs ego, ingeſtis importunè verborum bracteis, & ampullis, illuderem. Conſentaneum proinde pretium operæ

facturum me duxi, charactere ipso dicendi, alterum cauere, ne cupidos diuinorum animos ab rebus huc mittendis auerterem, lutulenti sermonis nausea inficiendo piscatum: alterum curare, vt eosdem ad id potiùs inescarem, candida integraq; fide mentis, ac linguæ, Auctoris retinendo pietatem, ac spiritum. Id si peregi (quod in Dei laudem, & compendium vertat proximorum) næ ego mea obtinui vota, immo & tua. Nulla enim consiliorum, operumq; nostrorum merces in terris est, aut esse potest fructuósior, & honestior, quàm ea moliri, & præstare, quę, cum vera solidaq; hominum fruge, maiorem Dei, ipsiusque Seruorum gloriam moliuntur, & præstant. Annuat Deus votis, & adsit. Tu verò ab eius pietate summa tuis id precibus impetra, apud quem non potes gratia plurima non valere, quando cum communi omnium non modò plausu, quem despicis, sed vtilitate, quam spectas, hoc est, cum tanta Dei gloria, tua ista diuini Spiritus interprete mente, ac lingua, geminum Ordinem, & Societatis Iesu minimum Præpositus Generalis sapientissimè regis, & Ecclesiæ summum Concionator Pontificius ardentissimè moues. Ità Te tua opera omnia, quibus adscribi meum hunc quantulumcunque laborem Te iubente susceptum enixè admodum peto, in portis laudent cælestis Vrbis, quę Te propterea, perq; Te plurimos, cum solido immortaliq; præconio diuturnum, magnisq; semper promeritis auctiorem excipiant diuini Verbi Pręconem dictis, & factis. Viue in hoc diù, & Vale.

LE-

LECTORI.

CVM Legis diuinæ præcepta , consiliaque , & documenta optima Israëliticum populum, ac mortales in eo vniuersos Ecclesiasticus affatim docuisset , continuò ijs etiam eorum proposuit exempla Maiorum , qui ea quàm diligentissimè custodiere ; & qui iure proinde, ac meritò honorem, gloriamque adepti sunt apud Deum, & homines immortalem . Quò fieret , vt ea qui audirent , aut legerent , erectis animis , in illorum imitationem assurgerent : eàdemque , quâ illi , viâ ad eorum gloriam honoremque similem grassarentur : atque vnâ simul operâ, quæ ipsius erant , partes impleuit , excitandæ nimirum , perpetuandæque tantorum virorum memoriæ , qui rebus ab se præclarè gestis summum suæ genti contulere splendorem . Magistris interim suis laudatis impensiùs , à quibus eam hauserat sapientiam , quam tradebat : vt tam benè de se meritis optimam ità gratiam reponeret . Laudemus , *inquit* , Viros gloriosos,& Parentes nostros in generatione sua . Multam gloriam fecit Dominus magnificentiâ suâ à seculo . Dominantes in potestatibus suis : homines magni virtute, & prudentia sua præditi : nunciantes in Prophetis dignitatem Prophetarum ; & imperantes in præsenti populo, & virtute prudentiæ populis sanctissima verba : in peritia sua requirentes modos musicos , & narrantes carmina Scripturarum . Homines diuites in virtute , pulchritudinis studium habentes ; pacificantes in domibus suis . Omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt,& in diebus suis habentur in laudibus . Qui de illis nati sunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum . *Hæc ille : cuius consilium veluti cætera , quæ in eo habentur libro, hausta à Deo , meo in hoc opere persequi mihi propositum est . Cum enim aliqua ediderim de Precatione, ac Meditatione , deque Christiana in omni gradu, ac ordine perfectione , quæ ad eam obtinendam lumen, opemq; præberent, subijt etiam cupiditas animum, Maiorum, à quibus illam edocti sumus, heroica exempla scribendi. Non antiquiores hic loquor: proximi enim illorum æuo hunc nobis præripuere laborem; sed eos, quos visu ipse, vsuque cognoui : & quorum potui sanctimoniâ , doctrinâque proficere ; in quibus ea virtutum exempla , & veritatis effata Deus impressit , quæ in meis ego libris exposui . In his Baltasar Aluarez fuit Societatis nostræ Iesu vir religione præsignis , Parens ac Præceptor in animi rebus non meus modò, sed omnium ferè antiquiorum in hac Castellæ Prouincia Sociorum, aliorumque perplurium in hoc Regno Religiosorum item , communiumque mortalium. Vir, in quo Deus largitatis suæ munifica præbuit argumenta; quem diuinis effusè muneribus locupletauit; per quem , inter veræ fidei cultores, plurima cepit gloriæ incrementa. Vir omninò virtute magnus, prudentia instructus singulari in mysticæ scientiæ explanandis arcanis; in regendis, iuuandisque animis ; in sanctissimis instituendis de Deo sermonibus, quibus audientium*

Eccl.44. 1.

ani-

animos inflammaret. Vir cælestium prædives opum, cui studium inge in decore virtutis, intimaque consuetudine cum Deo fuit: qui, suos inter, summa semper pace conuixit; quam & inter omnes perpetuò coagmentauit; quamobrem ab omnibus summâ, dum vixit, veneratione exceptus est, & summis laudibus exornatus. Mihi verò ipsius olim filio, atque discipulo sorte obtigit, ipsius vitam virtutesque conscribere, quò ad eas imitandas nostros impigrè animos excitemus. Etenim, uti Gregorius ait, Iustorum vita, viua lectio est virtutum, atq; præsidium ad eas obtinendas: speculum est nitidissimum, in quo menda, vitiaque nostra, ad ea emendanda, emundandaq; perspicimus: Viuum est Euangelicæ perfectionis, graduumque, quibus ad illam eniti possumus, exemplar: monimentum est absolutissimum prodigiorum Dei mirabilis in Sanctis suis, *illosque in sanctitatis fastigium perducentis; viâ quandoque insuetâ prodigiosâque, admirandâ citiùs, quàm imitandâ: vsitatâ aliàs ac tritâ; forma tamen quidam heroicâ ac perfectissimâ, adeòq; admirandâ pariter, & imitandâ. Atque hac ipsâ præclarum, inclytumq; virum hunc duxit: cuius in vita plurimum, quod imitentur, suppetet omnibus, qui ad perfectionem anhelant, donumq; precandi, ac familiaritatem cum Deo intimam, & rationem certam iuuandi proximos adipisci percupiunt. Quare ipsius cum maximè vita imago viua vitæ illius est, ab ijs agitandæ, qui pro sui Instituti ratione actuosam vitam cum contemplatrice coniungunt; simulque precibus & meditationi, simul operibus vacant, quibus proximi adiuuantur. Hæ verò cum partes eorum sint, qui Deo nomen in Societate dedere, ante ipsorum cum primis oculos exemplar hoc statuo, ex quo rationem Instituti sui perintegrè custodiendi condiscant. Vniuersè verò, qui seriam velint operam pietati nauare, atq; in vtraq; vita præcellere, si, quâ viâ, rogêt, votis potiri possint, oculos adijciant gradibus, quibus virum hunc sanctissimum prouexit Deus; eosdemq; insistât, eo, quo ipsis modo diuinum Numen annuerit; cuius ab ope, clementiaq; processus nostri dependent, sic vt diuinis tamen ipsius afflatibus obsequamur; industrijsq; nostris, ac diligentijs connitamur. Largitus enim illi Deus est primò precandi donum, vsitatâ ratiocinationis, ac meditationis viâ, de Seruatoris Christi vita præcipuè cruciatibus, & cæde. Id verò donum quandoquidem esse solitariû nequit, spiritum illi voluntariæ afflictationis, mortificationisq; in rebus vsque omnibus impertiuit. Atque, vt radices in vtroq; dono ageret altiores, tertium adiecit, iecitq; fundamentum in absolutissima triû votorum custodia, Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, ac cæterorum, quæ perfectionis sunt in Ordinis sui legibus, consiliorum. Fouit diuinum Numen hæc eadem, pio diuinissimæ Eucharistiæ vsu, Baltasare in Sacerdotes adscito; vt nihil esset, quod ipsum ab Epuli cælestis frequentia retardaret. Siquidem verò ad operis tam excelsi, arduique successum opus ijs est, qui suâ nos ope tutelâq; communiant, studiosissimum illum Deiparæ Virginis, Angelorum, Cælitumque complurium, qui nobis patrocinantur, effecit. Ad hæc salutis animorum cupiditatem illi summam iniecit; contulitq; facultatem, ac dotes ad eos adiuuandos*

L. 24. mor. c. 6.

dos

dos egregias: ad varia subinde munera illum adhibuit, vt ingentem vberemq; fructum ex eorum administratione perciperet. Regimen etiam illi detulit aliorum; quò subiectis sibi cura impensiore prodesset; & Christi oues boni earum Pastoris exemplo pasceret: fiduciâ illum erexit ingenti erga suam bonitatem summã, prouidentiamq; amantissimam ad præclara diuinæ gloriæ opera molienda: quorum etiam exitus fortunauit: iactis altè humilitatis Christianæ fundamentis, ne frugem gloriola in ventum efflaret. Siquidem verò animi submissio, ac tolerantia, cæteræq; virtutes nec perfectioni possunt constare, nec sibi, nisi contemptu, morbis, ærumnisq; probentur, partem illi & horum impertijt, vt ipsius virtutibus cumulus item, ac splendor accederet. Exercitum verò deinde satis, & exculptum in precationis, & contemplationis gradum excelsiorem euexit; vbi & quietiùs, suauiùsque haberet, & muneribus item suis fructuosiùs fungeretur. Summum illi deniq; donum contulit diuinæ suæ caritatis; pleniq; in omni re aduersa perinde, ac prospera cũ sua voluntate consensus: ac tum illum maturum nempe iam fructum suæ in Cælo apponendum mensæ decerpsit: atq; in medio ipso incitatissimo cursu, morte felicissimè perduxit ad metam. Neque verò quisquam existimet eum hisce gradibus eodem hoc, quo dictum est ordine, processisse. Iustorum enim vita varietate miscetur actionis pariter, & contemplationis; illecebrarum animi, & angorum munerum spectabilium, ac despectorum lætis nunc euentis, nunc tristibus: hisce rebus alterna vice subeuntibus iterum, ac sæpiùs. Hæc illi series vitæ fuit: eademq; dispositio huius erit libri; in quo scribere de illa constitui. Quamobrem ita euoluetur historia, vt ordo simul appareat serendi virtutes, atq; in summum earum fastigium euadẽdi. Ea etiã propter, dũ ipsos virtutũ actus exequar, altissimos vnà sensus, solidasq; sententias, ac profundas rationes attexam, quas illũ in ijs singulis magister Deus edocuit.

Iam verò, quandoquidem in eorũ, quæ narrantur, veritate, ac certitudine voluptas atq; vtilitas innititur, quæ ex illorum lectione percipitur, nihil hìc penes me non verũ certumq; proferam. Præter enim ea, quæ ipsemet in hoc viro longè sanctissimo oculatus vidi, & aduerti, cætera rescita sunt, referentibus alijs omni fide dignissimis, aut Ordinis nostri, aliorumq; religiosis, aut communibus alijs, qui eorum ipsi spectatores etiam obseruatoresq; fuere: seù inter Baltasarem, & ipsos gesta postmodum narrauere: seu illa ex ipsius autographo fuere deprompta, in quem eos referebat sensus, quos ipsi Deus inter precandum immitteret. Quod & sanctissimus Parens Ignatius, ipsiusque socius virtutis plurimæ vir, ac perplures etiam alij sanctimoniæ laude clarissimi consueuere: ne scilicet effluerent è memoria veritatis lumina, atque charismata, quibus imbuti essent à Deo: atque vt magis & magis ex eorum repetita lectione proficerent. Alia rursum ijs ipse, quorũ consuetudine vtebatur aperuit; quandoq; clam, palam aliàs per sermonem; impulsu scilicet caritatis, ad animos tepidis atq; imbecillis addendos; aut ex alio quopiam sanctiore consilio: quemadmodum virtutes suas ab Iobo scimus narratas sanctè fuisse; diuinaq; sua ostensa permulta commemorata nouimus à Paulo, ad

Christi

Christi animandos asseclas, eosq; in fide fortiùs confirmandos. Collegit ex his plura primò Franciscus Salsedius Baltasaris ex sorore nepos, qui propè ab sui Auūculi obitu nomen Societati dedit: cuius vestigijs ardore tanto, ac spiritu cœpit insistere, tum in perficiendo sese, tum in aliorum omni studio procuranda salute, vt in egregijs, insignibusque viris habendus esset, nisi mors illū Numantino nostro Collegio moderantē in ipso ætatis flore demessuisset. Gubernacula tamen antea Abulensis Collegij triennio tenuerat, vnde exorsus quoque Baltasar fuerat; ac tū quanto potuit studio plurimam collegit eorum partem, quæ à nobis in hac Historia dabuntur, atq; hoc alterum nomen est, quo sum adductus vt manum illi supremā imponerem. Hunc enim ego Salsedium discipulū habui, tum in literis, cū in Legionensi Societatis nostræ Collegio Philosophiā triēnio docui; tū in rebus animi, cū Villagartiæ Tyrones institui. At enim quemadmodū veluti discipulus vitā scribo mei sanctissimi Præceptoris; ita etiam veluti à Magistro, decet à me optimi mei discipuli absolui opus, ac perfici: Cuius etiam frater Iuris vtriusque consultus Didacus Lopez Salsedius sodalis antea insignis Vallisoletani Collegij S. Crucis, deinde verò inter Regios Ordinum Consiliarios, & nuper in supremum Castellæ Consilium cooptatus, nouum etiam nomen adiecit, studium nempe, ardoremq; plurimum, quo apud me contendit, vt huic historiæ animum, manumq; adijcerem, ne tanti auunculi res tantæ in obliuionem irent; pijque sui fratris labores optimi interirent. Rem ille cum Generali Claudio Aquauiua transegit; cuius ego iussu, plurimorum ex Societate mihi notis assentiens & indulgens, historiam hanc molior ad Dei gloriam, optimumq; exemplum totius orthodoxæ Ecclesiæ, nostræque potissimùm minimæ Societatis Iesu; qui pietatis suæ diuitias in suum hunc Socium effudit; easque Christianæ Reipublicæ per eundem ostendit, à qua dignus sanè est, qui noscatur, magnique fiat in terris, qui summum, vti persuasum mihi indubitanter est, adeptus fuit honorem apud beatissimas mentes immortalesque Ciues in Cælo. Quanquam verò seriem in hac historia persequar annorum, locorumque, quibus vir hic sanctissimus versatus est; ac præcipua, quæ tunc per ipsum gesta fuerunt exponam, alia tamen eorum similia adscribam, acta licet alio vel loco, vel tempore, quo ea & percipi melius, & iuuare plus queant. Sed enim quia bonis ex fructibus arbor bona, & ex sapientibus sanctisque discipulis Præceptor sapiens, sanctusque dignoscitur, Baltasari verò eiusmodi fuere perplurimi, nominis certè immortalitate dignissimi; eorum præcipuos ex communibus item, ac sacris, tum ex Religiosis Ordinibus nostræ Societatis, alijsq; in hac historia meminero; nōn vt per eos modò sāctimonia Institutoris effulgeat, sed vt tantorū memoriā hominū cū æternitate coniūgam: heroica quorū exempla idē, quod in aspiciētibus olim, in legentibus etiā perseueranter efficiant: vota simul, partesq; meas impleuero, honorē, quantū potero, illis attribuens, qui mihi per consuetudinē coniūcti fuere; proque virili sua, gloriam Deo, vt equidem scio, plurimam contulere: Quare & ipsos à Deo sūmis auctos honoribus in patria beatitatis existimo.

BAL-

BALTASARIS ALVAREZ SOCIETATIS IESV VITA.

Baltasaris ortus, & educatio: Ingressus in Societatem IESV *Tyrocinium, & studia litterarum.*

CAPVT PRIMVM.



BALTASAR ALVAREZ Ceruerae in oppido Calagurritanae Dioecesis, claris parentibus natus est, anno, post Virginis partum, M. D. XXXIII. Patri nomen Antonio Aluarez; Matri Catharinae Manriquiae fuit. Indoles illi à puero in boni complexum prona: fecitque iam tum eius indicia pietatis, quae postmodùm in adulto clarior effulgeret. Per eam enim aetatulam, haec illi ferè negotia, formare Cruces, Aras excitare, supplicationes habere. Ad haec, Christianis moribus illum instituêre Parentes: ipsoque in oppido primis litterarum rudimentis imbutum, latinoque sermone percultum, ad Complutensem Academiam misêre: vbi strenuè Philosophiae curriculum emensus, graduque Magistri auctus, continuos duos annos in Scholastica Theologia, fructu non pęnitendo, consumpsit. Illum interim Deus earum excolebat amore, studioque virtutum, quibus idoneum ad destinatum à se opus efficeret; ac pietatis, internaeque vacationis amanti eos illi parauit socios, quorum consuetudine in illud studij iuuaretur. Nam, ex Salomonis oraculo, *Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit*: & qui suam in familiaritatem pios, sibique attentos admiserit, eorum in sese exempla transcribet. Compertior verò in adolescentibus ea res est, quorum in aetatem teneram facilè verba, moresque influunt amico- Prou. 13, 20.

A rum,

rum. Quibus verò frugi ſit indoles, eam illi, bonorum ſocietate, veluti cultu, optimam in meſſem alunt. Porrò pius hic adoleſcens, ab anno præcipuè ſupra ſeſquimilleſimum quinquageſimo primo, auctore probo religioſoque viro, duo ſibi ſtata in die tempora, alterum mane, cum ſurgeret, alterum, antequam cubitum iret, veſpere ſeponebat; ſuæque tunc conſcientiæ receſſus luſtrabat, & latebras: &, quorum hauſiſſet à Deo ſenſus, ea ſecum animo commentabatur. Quâ vt capi ſuauitate cœpit, alia ſuper interdiù conferre in preces tempora traxit in morem: indeque voluptas animi largior, vberiorque proceſſus. In quod idem compendium illi vertebant caſtæ piæque & librorum lectiones, & conſuetudines amicorum. Hiſce ſe ſtudijs exercentem, quarto, antequam Societatem iniret, anno, vehementi cupiditate illum Deus incendit valedicendi mundo, Chriſtique Seruatoris conſilijs inhærendi. Etenim, vbi in anteactam vitam reſpexit, ſuo quidem iudicio, miſeram ac deflendam; quippe qui tot à Deo, tantiſque beneficijs obrutus, hactenus illi adeò fuiſſet ingratus, rebatur porrò (ſi ſeriò Dei obſequium, ſuamque curare ſalutem vellet) ducendam ſibi in Religioſa familia vitam eſſe; in qua vtriuſque adeptio certior eſt, atque perfectior. Bonam tamen hanc mentem pugnax quædam, ac pertinax cogitatio infirmabat; quòd plurimum ſumptus ipſius causâ, in re litteraria, fieri à Parentibus cognoſcebat: quos adeò in ſenectute deſerere impium videretur: ab ijs potiſſimùm ſibi imperato per litteras, vt ſorores geminas adoleſcentulas ſuam in curam onuſque reciperet: quòd ſi vitam ipſi naturę redderent, præter ipsũ, nullum alium poſſent loco Genitoris habere. Atque, vt Parentum erat reuerentiſſimus, rationes hæ, multa vi, ipſius animum pulſabant, inque geminas partes ancipitem diſtrahebant. Nec ſanè mirum: namque (vt aduertit Gregorius) Nerui Behemot perplexi appellantur. Cum verò tartareus hoſtis ad Religioſæ vitæ complexum quemquam vocari videt à Deo, tentationibus illum incedit, moliturque rationibus irretire, quæ vultum, coloremque præferant pietatis: quo fiat, vt ignoret, vtri parendum ab ipſo ſpiritui ſit, trahentine, an retrahenti. Neque verò intereà Iuſtum hunc lux Diuina deſeruit; cuius ope, ab ijs ſeſe ambagibus expediuit: eleuatiſque humanis Parentum rationibus, præpotuere diuinæ: animo eam in ſpem, fiduciamque erecto, fore vt qui orphanorum Pater eſſet, germanis ſororibus ipſe proſpiceret; eaſque opportunè, ac pro votis, vt euênit, omnium collocaret. Nondum, quem iniret Ordinem, apud ſe conſtituerat: quanquam in Carthuſianum animo ferebatur, aſperitati, vt videbatur, vitæ, internæque vacationi magis accommodum. Nouem, antequam in Societatem admittere-

teretur, menses, litteratos viros, quorum consuetudine vtebatur; maximè verò sanguine sibi, virtute Deo propinquum, qui deinde inter Canonicos in Templo maximo Calagurræ fuit, super hac sua mente consuluit. Hic verò, re Deo precibus commendata, respondit; si humanis rebus remittere nuncium vellet, in Societatis IESV compléxum iret: eo in Ordine, quippe recenti, sanctimoniam feruoremque spiritus efflorescere. Ea ratio Baltasari probata sic est, vt, ipso in loco, de ineunda Societate constituerit: auctori tam certi consilij in omni deinde vita gratissimus: ita planè, vt, multis post annis, decem in itinere leucas à via deflexerit, ad agendas homini gratias, cuius operâ Deus tantum in sese beneficij contulisset. Neque tamen prætereunda silentio altera vocatûs huius causa est, quæ mihi sanè potior esse videtur; quanquam ea tunc erat occultior. Carthusianæ familiæ amore tenebatur feruidus hic adolescẽs, vt, quod Ieremias dixit, *Sederet solitarius, & taceret*, atque ita *leuaret super se*, partem sibi, sortemque Mariæ eligens, Marthæ scilicet alterâ potiorem: totumque sese asceticæ vitæ traderet, quæ multò præstat alteram actuosam. Diuina tamen prouidentia, quæ in pertrahendis ad diuersa Instituta, & ad varia eorum munia aptandis hominibus, miris sanè modis elucet, ad eam hunc vitam elegerat, quæ vtraque ratione constaret: & quæ porrò vtramque, cum altera ab altera diuiditur, antecellit: Diuina mysteria, Christi Seruatoris, sanctissimorumque Apostolorum exemplo, ita contemplaturum, vt ad id quod in actuosa vita est optimum, ad procurandam animarum salutem, lucem inde, vim, & facultatem hauriret: facto, vt ait Bernardus, à contemplatione ad actionem, relatoque ab actione ad contemplationem gradu. Atque id, meâ quidem sententiâ, spectauit potissimum Deus, cum Baltasarem ad Societatis IESV amorem, amplexumque pertraxit; cuius instituti est, *Non suæ solùm saluti, ac perfectioni, cum diuina gratia, vacare; sed cum eadem impensè in salutem, & perfectionem proximorum incumbere*: preces, contemplationem, cæteraque spiritalia exercitia, præsidia nempè ad vtrumque finem idonea adhibendo. Hoc itaque constituto, cooptationem in Socios illicò flagitauit: *Nescit enim*, vt ait Ambrosius, *tarda molimina Spiritûs sancti Gratia*. Vbi verò Dei vocationem esse constiterit, tam citò parendum illi, ac prorsus est, vt, affirmante Chrysostomo, ne momento quidem temporis supersedeamus: Petrum, Andream, duosque Zebedæi filios imitati; qui, cum primùm vocantem ipsos Christum Dominum audiuere, relictis retibus, & patre, illum è vestigio secuti sunt. Celeritate tam sedula dedit Baltasar operam, vt in Societatem admitteretur: admissusque est in Complutensi Collegio, Seminario, in Hispania, Societa-

Thren. 3. 28.

Serm. 57. & 58. in Cant.

cietatis nostræ præcipuo: ex quo viri prodiere clarissimi, qui patriam tellurem, spiritu, virtute ac litteris illustrarunt. Ingressus itaque Societatem est salutis anno 1555. ætatis suæ 22. post constitutam Societatem 15. Quam etiam ætatem Bernardus olim agebat, cum nouum item Cistercienſem Ordinem, anno post illum conditum, quintodecimo, iniuit. Nec sine arcano Diuinæ Prouidentiæ consilio, tertio Maij die, qui Dominicæ Crucis Inuentioni sacer est, in Societatis complexum venit: quadam nempe amoris eius præsagitione, quo Crucem ipse postmodum complexurus erat; latentesque in ea thesauros opulentissimos perplurimis monstraturus. Admissum Moderatores Senticam, vulgò Simancas, misere, vbi Probationis Domus est vniuersæ Prouinciæ; in quam tunc geminæ coibant, quas nunc Castellanam & Toletanam appellamus. Mirus tunc sanè Tyronum feruor, qui ad Societatem ibi è locis sese varijs aggregabant. Largifluus enim fons ille charismatum diuinorum musto eos, meroque nouo implebat genuini spiritus Societatis eius, quam in Ecclesia recens ipse fundarat. Et verò comperit experimento noster hic Tyro, allatam sibi à suo illo propinquo rationem veritati constare: eiusque perpetuò memor, primorum Parentum spiritum adeò vigentem in filijs, ne suâ fortè culpâ consenesceret, aut intepesceret, promouere contendit. Sociorumque tam alacrium excitatus exemplo, eminere inter illos cœpit in paucis. Connitebatur enim quàm qui maximè in frangendo affligandoque sese, in orando, cæterisque virtutibus, quæ in ipso totius, vti dicemus, vitæ decursu claruere, adipiscendis excellere. Iam tum enim arctiorem perfectionis semitam, propero auidoque gradu cœpit insistere: eumque ad mortem vsque retinuit. Quare suis deinde Tyronibus dictitare solebat (quod, eos inter, illum ego in „ pia cohortatione dicentem audiui) Quam vitæ formã nunc ineatis, attendite: ferè enim, quo passu in hac probatione, eodem & „ reliquo vitæ tẽpore gradiemini. Si hæc inter initia, in virtutũ pro- „ cessu per desidiã egeritis tepidè, ac remissè, remissè porrò agetis „ semper, ac tepidè. Sin autem ardore spiritus ingressi fueritis, eo- „ dem gradu prosequi, facilè vsus dabit. Veritatem hanc etsi peruetustum circumfert adagium oraculo comprobatum Salomonis
Prou. 26.6. aientis, *Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea*, eam tamen ipse, vt & plerasque sententias ex suæmet experientiæ codice deprompsit; illius nempè ardoris memor, quo Tyrocinium ponens à Deo fuerat inflammatus. Quo tempore plurimũ eum iuuit P. Bartholomæus Bustamantius, quem Magistrum Nouitij tunc habebant. Is enim, vbi de Baltasaris pio cælestique fundo
Erud. 4. cognouit, multâ illum, & variâ, è sapienti Ioannis Climaci consilio,

ſilio, corporis atque animi caſtigatione habebat exercitum: quò argumentum illi præberet efficiendi vberiores in virtute proceſſus: eo interim ipſius ſeſe nutibus, candentis inſtar ferri cudentis fabri manibus, ſubmiſsè admodum permittente; vt ab eo pro ipſius arbitrio flecteretur, fingereturque, dum ſuo demum in animo perfectionis Euangelicæ formam exculperet. Dictitabat itaque, plurimum cæleſtis boni à Buſtamantio fuiſſe collocatum in ſeſe. Credi vix enim poteſt, quantam vim habeat ſancti, ſolertiſque Magiſtri ſedulitas, vt Nouitij magnos habeãt in virtute progreſſus. Sed enim cum & Tyronibus Magiſtrum, & plurimis etiam mortalibus Virum hunc ducem, rectoremque elaboraret Deus, periculum ſumi ab ipſo voluit eius boni, quod ex aptiſſimo, optimoque Inſtitutore permanat.

Senticam itabant id temporis Franciſcus Borgia, & Antonius Araozius, gemina Societatis Hiſpanicæ lumina. Jjs vero Baltaſar miniſtrare à Præpoſitis iubebatur; vt modeſtiæ, feruoriſque ſui odore ſpecimen illis boni præberet exempli: atque ipſe rurſum ex ea luce proficeret, quam tantis à luminaribus hauriret: præſertim verò à Borgia multâ beneuolentiâ complexo Baltaſarem, ſpectatæ in eo causâ pietatis, atque modeſtiæ. Secretum tamen illud Senticani receſſus Baltaſarem diu non habuit. Cum enim proximo in Collegio deſideraretur cocus, eò ipſe miſſus eſt illuc, munerum nempe, vti præſeferebat humilium cupidiſſimus: ſeriamque in eo perinde operam menſes aliquot collocauit, atque ſi coquinariam modò facturus eſſet in Societate dum viueret; negligens vſque ſuarum rerum, & ſui; vnique Deo placere ſtudens, cuius, vt ipſe aiebat, domi nullum humile munus eſt, aut quod pethoneſtum duci, dicique non debeat: diuturnitatis eius reiectâ in diuinam prouidentiam, per Præpóſitos, curâ. Hi verò vbi tantos videre illius in virtute progreſſus, cum à Probationis domo, poſt elapſum annum, ad repetenda ſtudia dimiſere. Quanquam enim Tyrones biennio in Societate probantur, tunc tamen in Ordinis inſtitutione recenti, numeroque Sociorum perpauco, contrahebatur id tempus: diuinaque interim largitas breuitatem hanc ſuæ gratiæ vbertate ſupplebat: illud paucorum decurſu menſium, magno ſpiritûs ardore tunc præſtans, quod opus nunc eſt, fructuſque biennij. Eóque maximè, quòd, inter litterarum ſtudia, Tyronum feruor, & pietas conſtabant ſibi perintegrè: precibus quippe, laboribuſque ſic vacabant, quaſi Scholaſticorum ſtudia non tractarent: rurſumque ſcholaſticis diſciplinis operam ſic nauabant, quaſi à Tyronibus iam exiſſent. Hac porrò ratione, præcipua Chriſti Seruatoris ope, viri tunc aliqui extitere, non virtute minus & ſanctimoniâ,

quàm litteris diuinis, humaniſque præſtantes. Burgos itaque miſſus eſt, ad eas recognoſcendas artes, quibus imbutus fuerat ante Compluti. Breue tamen ibi tempus exegit, quippe qui in ea ſtudia animum iam perdiligenter intenderat. Paucis ergo poſt diebus, Anno 1556. ad Abulenſe Collegium inde diſceſſit, vt ibi Theologicas quæ ſupererant, duorum annorum quæſtiones in Cœnobio S. Thomæ Patrum Dominicanorum exciperet. Cum enim conſtitutos adhuc non haberet Societas Profeſſores, Scholaſtici noſtri ad Vniuerſitates Salmanticenſem, & Complutenſem, ſiue ad Collegia, Cœnobiaque ſacræ Dominicanæ familiæ Valliſoletum, & Abulam mittebantur, vbi diſciplinæ tam ſubtiliter ac exactè, quàm eſt in peruagata vbique fama, traduntur. Eius biennij ſtudia Baltaſar cõpluribus etiam alijs occupationibus intercepit: fundato ſcilicet nuper Abulenſi Collegio, cui cum ob egeſtatem plura deeſſent, collatam domeſticorum operam in plura conferre neceſſe erat: eoſque ſic etiam Baltaſar habuit in Theologia progreſſus, vt in optimorum id temporis ſtudioſorum numero haberetur. Quanquam verò in Scholaſtica Theologia non viſus eſt eminentibus quibuſdam notis excellere, id alterius myſticæ præſtantiâ compenſauit, precibus, vti ſuo deinde loco videbimus, à Seruatore Domino id exorans, quod adipiſci, labore multo ſtat alijs. Quare peridoneè omnibus, ad quæ fuit adhibitus, perfunctus eſt deinde muneribus, Confeſſarij, Nouitiorum Magiſtri, Rectoris, Prouincialis, ac Viſitatoris; omniumque generum homines profanos, ac Religioſos, tum ex noſtra Societate, tum ex alijs Ordinibus inſtituit, direxitque ſermonibus quà priuatis, quà publicis, quos de cæleſtibus diuiniſque rebus tanto cum fructu, tam egregios habebat, vt eadem tractantibus, perfectionis abſolutiſſimæ eſſe vbique poſſit exemplo. Etenim, ab ipſis vocatûs ſui primordiis, Viri huius ſanctiſſimi animo altiùs infixum erat illud Bernardi conſilium, Monachos de Monte Dei cohortantis, aientiſque: Ab omnibus in omni Religioſæ vitæ ſtatu graduq; exigi vt ſint perfecti: à Nouitio quidem, vt Nouitii, à Scholaſtico, vt Scholaſtici; ab Operario, vt Operarii numeros omnes impleat: vt perfectè ordiatur incipiens; prouehatur perfectè proficiens; quique in perfecti viri gradum euaſit, ne reſiſtat ibi, ſed (vt monet Apoſtolus) *Ea quæ retrò ſunt obliuiſcens, ad ea quæ ſunt priora ſeipſum extendens, ad deſtinatum perſequens, ad brauium ſupernæ vocationis Dei*, in faſtigium enitatur excelſioris ſanctitatis. Sic vt, cum incipiens virtutes omnes adeptus eſt in eo, qui decet incipientem gradu, quantùm deinde proceſſerit, eas etiam omnes æquis gradibus in culmen perfectionis attollat. Quoniam verò perpetua fuit hæc ratio progre-

Tract. de Vita ſolit.

Ad Philip. 3. num. 13.

grediendi Baltafari; hiſtoriæ ſeriem per omnes ipſius annos ita viſum eſt perſequi, vt, cum de ipſius virtutibus dicam, earum ſimul incrementa, perfectionemque ſubijciam; fuerit hoc licèt temporum diuerſorum.

CAPVT SECVNDVM.

Eius ab Nouitio in preces, intimamque cum Deo conſuetudinem ſumma propenſio: & quibus artibus id perfectè conſequi connixus eſt.

IN plurimis argumentorum, ac pignorum, quibus, per hæc mortalis æui ſpatia, ad excelſæ ſanctimoniæ gradus, ac præclara diuini obſequij facinora deligi à Deo quempiam interpretamur, præſtat maximè precandi ſtudium, donumque præcellens; ac iugis, intimaque conſuetudo cum Deo. Precatio enim, teſte Gregorio, inſtrumentum vniuersè perefficax eſt, ad earum rerum molitionem, quas Deus æterno ſuæ prouidentiæ conſilio deſtinauit. Id verò præſtantiori modo cum adhibet, documento eſt, ipſum grande aliquid ad ſuæ gloriæ incrementa moliri. Ad hæc oratio, vti Chryſoſtomus docet, innumeris, mirifque vijs, ac modis puram, ſanctamque vitam, ac dignam Deo, cui famulatur, ingignit. Pauperem in qua habitaturus eſt domum, vacuam inornatamque non patitur; eam enim componit illicò, operibuſque inclytis, meritis vberibus, ac donis cæleſtibus locupletat. Nobilem pectori generoſo animum indit, qui ad crimina ſeſe, ne leuia quidem, ad terrarum nugas, futiles profanorum hominum conſuetudines, admiſſioneſque hoſtis vaferrimi non demittit. Ex familiari enim vſu, neceſſitudineque cum Deo, ea in illius intimis cordis exiſtit excelſitas, vt pro purgamentis habeant, quicquid eſt fluxum in terris; humileque putent ſubmiſſas aures maligni ſpiritus ſuaſionibus commodare; ſiue quicquam agere, quod à Diuino conſpectu alienum ſit. Animum præterea efficit laboribus omnibus, & ærumnis, ipſaque morte maiorem; ſic vt nihil horum aut libertatem ſpiritûs præpedire, aut integritatem illam cordis poſſit inficere, quam ipſis neceſſitudo cum Deo iugis impertit: cuius ope, ac vi ad peruincendos hoſtes, gerendaſque res inclytas inſtructos ſeſe, ac præpollentes exiſtimant. Hæc Chriſoſtomus. Ex quibus ille conficit, precandi ſtudium argumentum eſſe virtutis, internique profectus. Si videam, inquit, *Chriſtianum, Religioſumuè hominem in orando remiſſum, neq; id penſi quicquam habere, de illius animo ſic conijcio, vir-*

lib.2.Dial. c.8.

Lib. 1. de orãdo Deũ.

Lib. 2. de orãdo Deũ.

Lib. 1. de orãdo Deũ.

cio, vir-

cio, virtute esse pertenui, perpaucisque Dei donis ornatum: sin illum studiosum sanctæ precationis aduertero, statim illum diuinis charismatibus refertum esse intelligo. Etenim si agens cum Sapiente fit sapiens, quã hauriet à Deo sapientiam, quos sibi thesauros virtutum congeret, qui cum illo familiariter consuescit? Denique ex Bonauenturæ sententia, ad omnia & auertenda à nobis mala, & adiungenda nobis bona, omnes in precatione sunt vires: quæ nimirum diuinum Numen ad præsidia nobis ferenda semper excitat, & impellit.

In medit. Vitæ Christi.

Hæc visum est hoc loco præfari, vt facere palam aggrediar sanctimoniam, operaque sanè admiranda Baltasaris: qui, præstanti quadam ratione, hoc precandi studio insignitus à Deo est: ab ipso vsque Tyrocinio, multòque etiam ante præcipua effultus ope, vt in hac virtute, atque inde in cæteris eluceret; matutinæ lucis in modum, *quæ procedit, & crescit vsque ad perfectam diem*. Siquidem verò duplex precandi mente ratio est, altera vsitatiore via, quam vulgò ingrediuntur asseclæ pietatis; altera minus trita, quæ perpaucos admittit; etsi Baltasar in vtraque præcelluit, de prima dumtaxat sermo nunc erit, quæ ad alteram ducit, ac præparat: plurimamque partem à nostra cura pendet, ac studio, diuino præsidio semper innixis, sine quo nec bona suscipi cogitatio potest, neque piè nomen IESV sanctissimum vsurpari: cum Dei tamen ope facilè suauiterq; mens ad Fidei perpendenda mysteria sese confert, ac tum ratiocinando, meditandoque varios excitat in voluntate affectus; agitque cum Deo postulatis, atque colloquijs: quem in suo ascetico exercitiorum libello modum S. Ignatius edocet; eumque nos alijs in libris euoluimus. Ab hoc igitur orandi genere, magna spiritus alacritate exorsus est Baltasar; in eoque (vti deinde videre erit) sexdecim annos extraxit: Deo interim artem illi, solertiamque suggerente, quæ processum in orando iuuarent: dignusque tum esset, qui in altiorem, intimioremque Dei consuetudinem admitteretur, modò illi sese ità indulgere Deus annueret. Conatus hos industrios breui quadam hic summa perstringam, eosque præcipuis decem nominibus complectar, vt, quibus cordi est in hac virtute proficere, eorum ij paratum vsum habeant, & exemplum.

Prou. 4. num. 18.

2. Cor. 3. num. 5.

1. Cor. 12. num. 3.

§. I.

PRimò igitur, ab initæ Societatis initio ingentem illi Deus cupiditatem iniecit precandi iugiter, & ardenter. Vota hæc enim tam enixa, mittendorum è cælo munerum solent esse prænuncia: quippe ad ea efflagitanda, exquirendaque perpellunt, quæ largiri Deus arcano mentis suæ consilio decreuit. Inde Salomon

inquit,

inquit, *Optaui, & datus est mihi sensus: & inuocaui, & venit in me spiritus sapientiæ.* Sap. 7. 7. Rursumque Dauid, *Desiderium pauperum exaudiuit Dominus: præparationem cordis eorum audiuit auris eius.* Psal. 9. 38. Nitebantur hæc vota in summa quadam æstimatione consuetudinis tam excelsæ; quam ille non ex ijs modò conceperat, quæ audierat, legeratque de fluentibus ex ea bonis ingentibus; sed illinc maximè, quòd eorum periculum in sese ipse iam sumpserat. Absconditum quippe Manna precatio est, quod non nisi à gustante, glutienteque sentitur, atque æstimatur ex merito. A gustu deinde ardet iterum gustandi magis, magisque cupiditas: nouam enim famem ipse gustus irritat, ex oraculo Diuinæ Sapientiæ, *Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient.* Eccles. 24. num. 16. Indeque fiebat, vt hæc desideria in tantum in Sancti huius Viri corde feruerent, vt in quantumcunque tempus suas duceret preces, id illi in tam pia exercitatione perbreue videretur. Quare cum primùm necessarijs alijs muneribus defunctus erat, animum ad precationem auidè reuocabat; in eamque, quicquid supererat temporis conferebat: affirmans Religiosum Virum in hoc nostræ mortalitatis exilio, quo tempore summo cum Opifice non versatur, lapidis extra centrum oportere esse consimilem; per vim ibi, & cum quodam veluti cruciatu detenti: quarè statim atque potestas illi sui est, motum illicò molitur in centrum. Quicumque verò imbutus hoc spiritu est, plus ipse operum vnâ expedit horâ, quàm alij permultis: neque se ijs vltra, quàm necesse sit, implicat: relictusque sibi suam fertur illicò ad quietem; ad preces nempe, consuetudinemque cum Deo. At enim velut incipientium ardor spiritui, à quo bono quidem afflatur, solet tamen nonnihil de suo confundere; ità hæc orandi desideria eò vsque modum egressa sunt in Baltasare, vt aliquandiù inquietũ illum habuerint; nõ sine ipsius aliqua aduersus Præpositos querela; quòd diù multumque negotijs ipsum immergerent: neque sibi porrò piæ vacationis, quantum vellet ipse, relinquerent. At vbi primùm in hunc næuum animi introspexit, dedit operam vt radicitus eum euelleret: suis de orandi studio votis perductis in plenum cum diuina voluntate consensum. Hic enim pernecessarius est, multique momenti, vt in ipsa precatione progressus existant; docente Dauide, *Subditus esto Domino, & ora eum*: Psal. 36. 7. tunc enim fructus vber ex precatione percipitur. Quare consilio sapientiore constituit, in sepositum precandi otium plus temporis non conferre, quàm ex obedientiæ præscripto daretur, & commissa sibi munera paterentur: Tobiæ ad filium de stipe egentibus eroganda, consilio in normam legemque precationis suæ traducto: *Quomodo potueris*, inquit, *ita esto misericors. Si multum tibi* Tob. 4. 8.

fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. Sic & ipse, Tempus, aiebat, quietæ orationi „ conferto, quod suppetet: si multi fuerit copia, multum dato: „ sin exigui, hoc illi quantulumcumque ex animo, impende: satius „ enim est, integra Dei lege, data à Deo dona cum ipso participa-

Isa. 63. 8. „ re, quàm, vt illi possis elargiri multa, furari: *Deus enim*, quod „ diuinis in oraculis est, *odio habet rapinam in holocausto*, ac proinde „ de furtum etiam in obedientia oderit, vt illud in preces & sacri- „ ficia conferatur. Eoque magis, quòd precari nihil aliud est, „ quàm esse cum Deo: quòd si eo illum tempore defraudes, quod „ alios in vsus à te velit insumi, tecum esse iam desinit. Si verò à „ te ille absit, qua fieri ratione potest, vt cum tua solitudine con- „ stet oratio? At verò quicumque seruus omnibus vsque sui Do- „ mini imperatis obtemperat; tempusque in ea confert, quæ ab „ illo mandantur; eius in obsequia expeditus semper & alacer; pane „ hic non vescitur otiosus; securoque licet animo conquiescat.

21. Sept. 1569. „ Quibus certior vt sit fides, sua in aduersaria hæc retulit. Die D. „ Matthæi nomine sacro, cum expostularem amicè cum Deo de „ parcitate temporis ad ipsi seorsim vni vacandum; factum est ad „ me verbum Domini, aitque; Abūdè tibi esto, quòd tua opera vtor, „ etsi te mecum quietè non habeo: idque tunc me multa animi sua- „ uitate perfudit. Hisce rationibus, quas illum precatio ipsa docebat, eius protrahendæ cohibuit cupiditates immodicas, temperatis deinde contentus, quas continuò sibi à diuino Numine iniectas in omni vita retinuit. Hinc porrò illud extitit, vt perdiligens, quandiù vixit, fuerit in explendo minimùm tempore, quod precibus, piæ lectioni, excutiendæ conscientiæ, cæterisque pijs exercitationibus statæ leges in Societate præstituunt: sic vt nihil prorsùs eorum vnquam omitteret: idque statis horis, & integris; aut alio certè æquo tempore, si quæ fortè res tunc agendæ instantiùs intercessissent: quas si complures per diem fore suspicaretur, maturiùs manè surgebat, vt diuinis hisce studijs ratum tempus animo quietiore tribueret: immò tunc semihoram ijs in cumulum adscribebat: malebat enim largior in hoc esse, quàm parcior: eâque curâ fiebat, vt ipsi deinde in cætera quoque negotia temporis esset satis. Neq; verò stato solùm per leges tempore erat ille contentus, sed cùm gubernacula tenuit (tenuit verò ferè semper) largior eius fuit. Etenim signo nocturnæ quietis dato, odæum adibat, duasque inibi, tresúe horas extrahebat in precibus; solertis nimirum Pastoris instar, soporato grege, agens excubias. Excitatori præterea mandabat, mediâ ipsum ante alios horâ expergefactum adesset: & adhuc ab eo adueniente effusus inueniebatur in preces. Aliàs etiam, suo in cu-

 biculo,

biculo, noctes integras de luce in lucem orando ducebat: quod ij, quorum cubicula proxima illi erant, sensere, non semel: Christi nempe Seruatoris exemplo quem *in oratione Dei pernoctasse* Lucas affirmat: illud ipsa re vsurpans Isaiæ: *Anima mea desiderauit te in nocte: sed & spiritu meo in præcordijs meis de mane vigilabo ad te*. Quod ille tunc maximè consueuit, cum suum aliquod, alienumve, aut maioris momenti negotium solito plus vrgeret.. Cuius rei exempla plura deinde subijciam.

Luc. 6.12.
Isa. 26.9.

Ad hæc, singulis annis minimùm semel ad dies octo, vel quindecim, plus minusve, vt ipsi ab occupationibus vacabat, colligebat sese; vt spiritualibus, (qui Societatis mos est) exercitijs animum reficeret, confirmaretque: atque id omne tempus in vnam cum Deo familiaritatem intimā conferebat. Quòd si res gerendæ tam diuturni temporis eam in rem continenter copiam illi non facerēt; singulis saltem mensibus, diem vnum, singulisque rursum hebdomadis antemeridianas vnius diei horas pio huic otio seponebat. Habebat quippe suo iam experimento compertum, per longiores hasce cum Deo moras incalescere spiritum, liquidiores diuinorum sensus hauriri, animumque Deo arctiùs illigari: ad pia etiam opera, animorumque salutem procurandam magna fieri virium incrementa. Eam ob rem sciunctum, septumque Deus Moysem continuit *septem diebus in medio caliginis*; atque inde *vocauit eum ad montem*, detinuitque ibi, *quadraginta diebus*; ac legem illi descriptam dedit in tabulis: qua deinde manibus prælata descendit, vt eam populo promulgaret. Quamquàm verò rem dierum quadraginta, vnius horæ compendio, potuisset Deus absoluere; eo tamen voluit exemplo docere, diuinam familiaritatem inire cupientibus, ad hanc per diuturnam, quietèque sepositam cum Deo communicationem habendos esse progressus; qua ad fortia quæque pro Christo agenda imbuuntur animi pariter, ac roborantur.

Exod. 24. 16.

Apparet hinc liquidò, quàm attento, reuerenti, pio, ardentique animo sese ille haberet in precibus: nemo quippe tot horas in eas erogat, tam frequenter, nisi de hac diuinissima exercitatione excelsam quandam opinionem animo ante conceperit: expertusque senserit prouenientem ex ea suauitatem, ac fructum. Quin ipsa vota, quibus ardebat, tam prolixè precandi, stimulo illi erant, vt id perquàm attentè ageret, ac perfectè. Quare sexdecim totos annos, quibus primam orandi viam ingressus est, obseruantissimus eorum fuit omnium monitorum, quæ in suo spiritualium Exercitiorum libello, Additiones, vocat Ignatius; vt meditatio benè succedat: ne minimo quidem ex ijs omisso per incuriam, vel neglectum. Animaduerterat quippe, rem ab eo fieri Deo gratissimam, qui quæ di-

uinæ ſunt voluntatis in re quantulacumque ſtudioſè perficiat; vt nos in ſui conſpectum, atque familiaritatem admittat. Diuinum quippe Numen quàm habet in intimis obſequentes ſibi, tam velut alienos, à ſe abſtinet indociles homines, ſuique amantes tenaceſque conſilij: Atque, vti Bernardus ait, *Cæleſtis ſponſus non dormiet tecum* per contemplationem *in lecto vno, illo præſertim, quem tibi, pro obedientiæ floribus, cicutis atque vrticis inobedientiæ aſperſiſti: nec enim dabit inobedienti copiam ſui tantus obedientiæ amator, vt mori, quàm non obedire maluerit.*

Bern. ſerm. 46. in Can.

§. II.

ILlud hinc etiam apud ſeſe conſtituit, ſubmiſsè admodum hanc precationis viam inſiſtere. Noluit vno volatu in eius, tentando, culmen eniti: ſed ſuis prouectus eſt gradibus; ab imo exorſus, dum ipſum ad altiores Deus eueheret. Etenim, vt apud Bernardum eundem eſt; Intutum eſt repentè ad ſumma conſcendere: nec oris diuini oſculum petat, niſi qui ſponſi cæleſtis pedes ante, manuſque fuerit exoſculatus. Hanc Baltaſar rationem in meditando tenuit: atque ita per ea progreſſus eſt opera triplicis viæ, quam Purgatiuam, Illuminatiuam, & Vnitiuam vocant: ducto à primis exorſu; vt culparum labes elueret, contumaceſque animi affectus, eaque omnia in ſe ipſe contunderet, quæ Diuinæ familiaritati ſolent obſtare, cum ſtant. Quare ſummæ fuit illi curæ, duplici in dies ſingulos, vt Societas ſolet, examine, altero generali, de omnibus in vniuerſum noxijs, particulari altero, de præcipuo aliquo extirpando vitio, in animum ſuum inquirere: annumerato, quoties ante, quoties poſt meridiem lapſus eſſet: ipſis inter ſe lapſibus vnius diei, ac hebdomadæ, cum diei alterius, hebdomadæque collatis: vt, quid eo ſtudio profeciſſet, intelligeret. Idque plurimi faciebat: genus hoc enim quoddam orandi actuoſum, ſiuè, vt dicunt, practicum appellabat; quo in eam, quæ radix Chriſtianæ humilitatis eſt, cognitionem noſtri deſcendimus, munditiamque cordis aſſequimur, quæ cumprimis diuinę familiaritati nos efficit peridoneos. Hoc porrò adminiculum, altero momenti ſanè plurimi ad proceſſus habendos in orandi ſtudio, fulciebat. In ſingula enim, quæ ſibi inter orandum euenerant, exquiſitè mentis oculum referebat: vt quæ per incuriam commiſiſſet mala, corrigeret, grates verò Deo haberet, & ageret, ob eas illuſtrationes, atque impulſus, quibus ad virtutem ipſius animum incitaſſet. Ea verò, memoriæ cauſâ, in ea, quorum in præfatione meminimus, aduerſaria referebat; die, menſe, anno, immò & occaſione, qua talia ſenſerat, annotatis: inibique adſcripſit, ea diuinæ veritatis dictata, ſuo in pectore pru-

Serm. 3 in Cant.

narum

narum cælestium vim habuisse, quibus, si quando teperet, incalesceret: eorum nempe refricatâ memoriâ, iisque rursum attentè perpensis, vt fructus ex ipsis nouos, vberesque perciperet.

Atque hinc rursum illud eueniebat, retinendæ in precando constantiæ, sanè perutile: secutus enim Seruatoris Christi consilium, *Oportet semper orare, & nunquam deficere,* quæ bonis piisque sensibus commentatus diluculò erat in precibus, ea interdiu versabat animo, ruminabatque: atque inde fiebat, vt Deus illi noua rursum eius generis munera impertiret. Hæc in suo ille autographo; in quo sic interrogat. Quarum quis rerum suscipiet cogitationem interdiu? subijcitque: si intentè prospexerit, *reliquiæ cogitationum*, ex „orationis vtique mensa, *diem festum agent ei*. Vt enim in Aula „Principis solerti Aulico præstò semper est sportula in dies singu„los constituta: ita summus ille Regum, quorum expertus sit fi„dem, suis & ipse assectis de epuli sui reliquijs noua cum illustra„tionibus sensa elargitur; quibus abundè alitur animus, & tene„tur: eiusque rei sumpsi in mea ipse mente periculum; nequit enim „tot fercula à Deo sibi ingesta concoquere. Apparet hinc porrò diuina in suum hunc familiarem largitas, siquidem cælestium epularum magnitudo tanta erat, ac vis, vt conficiendis ijs non esset illi sat temporis, quæ tamen tota ipse die remanderet. Hinc etiam Deus illi continuò ante mentis oculos obuersabatur; seque adeò intra seipsum sedulò colligebat, vt intentiore in illum defigeretur obtutu. Solitarium verò hoc arcanum in cubiculo perinde quærebat ac foro: visus à permultis conniuere sensim oculis similis dormitanti: idque ex eo nimirum vsu, quòd hæc extima corporis lumina sæpe sua sponte contegeret, quò intima faciliùs aperiret. Ad hæc cum in Tyronibus, & Scholasticis esset; atque ex Patribus aliquem quopiam comitaretur, precibus indulgebat in via: eoque curam in sua negotia intendente, feriatus interim ipse vacabat Deo. Quocumque conferret iter, orans ingrediebatur. Consueuit adeò illud dictitare cum rhythmo; Comitari, & ambulare, Iuge bonum dat, orare. Ita Baltasar duo illa coniunxit, quæ cupidum cælestium rerum hominem, habilemque studio precationis efficiunt. Neque enim satis est prolixa precatio, & sedata, si solutus interdiu animus euagetur, eamque perpetuare, seu quæ deprompserit ex ea retractans, alias ijs interdiu iaculatorias preces aggregare crebrò postmittat. *Perparum namque orat* (scitum est Cassiani) *quisquis illo tantum tempore, quo genua flectuntur, orare consueuit*, nisi illud etiam impleat, quod ait Apostolus, *sine intermissione orate*, neque rursum precatiuncularum breuium frequentiâ consultum satis est, nisi secessus admeditationem accedat; in qua ad retinendum

Dei

Luc. 18. 1.

Psal. 75. 11

Cassian. Col lat. 10. cap 14. 1. Thes. 5. 17.

Dei conſpectum, ipſumque ſe cuſtodiendum, ne per diurna negotia ſoluatur, & effluat, animus inflammatur. Quam in rem illud quandoque vſurpabat, quod Ioannes Auila Auctor libri, cui titulus eſt, Audi filia, cuipiam reſpondit interroganti, ſatiſne eſſet, præſentem interdiu mentis ſuæ oculo Deum intueri, ſenſuſque, atque animum, vt videre in ipſo erat, in cuſtodia ſemper habere? niſi quid inquit, acceſſerit, euaneſcet: rogatuſque, ecquid illud eſſet? prolixa, inquit, precatio.

Has demum ſuas omnes induſtrias Baltaſar ſigillo retentæ in ijs perſeuerantiæ communiuit. Quanquam enim ſexdecim annis, quibus orauit ſemper hac methodo, magnas perpeſſus eſt obiectas animo nebulas, ariditatem, duritiemque ſpiritús, euagationes animi, atque deſertiones, eaque demum omnia, quorum experimentis viam hanc ingreſſi tentantur; nunquam tamen precandi deſideria dimiſit: neque adminicula ad id accurare neglexit: conſtanter ſeſe in omnibus perinde habens, ac ſi aditum ad Deum haberet ſemper facilem, & ſuauem. Fiduciam nempe vniuerſam in infinita diuini Numinis bonitate, ac largitate præcipuè collocabat: cuius ſe ipſe conſpectui non ſecus atque Chananæa illa ſiſtebat, inſtar nempe *catelli expectantis micas, quæ cadunt de menſa Domini ſui;* aut Euangelici eius amici, qui vt vt repulſus, ad fores Dei tamen annos ſanè permultos pulſare non deſtitit; donec & exauditus eſt, & in ſui Domini familiaritatem admiſſus; tanta cum cæleſtium donorum magnitudine ac vi, quantam duodecimo capite exponemus: vbi de vberibus ijs fructibus, præmijſque ingentibus ſermo erit, quibus ſolertię ac perſeuerantiæ tantæ causâ ornatus à Deo, cumulatuſque fuit.

Matth. 15. 27.

CAPVT TERTIVM.

Humanitatis Chriſti myſteria in prima ſuarum Meditationum argumenta ſumit: quàm pio ſemper animo in eam fuerit affectus: & quos, quantoſque fructus inde perceperit.

II, qui Dei mancipare ſe obſequio, cumque diuina ipſius maieſtate conſuetudinem inire precibus decreuere, poſtquam è miſerabili, in quo ſorduerunt, peccatorum cœno emerſere, in eumque finem animum exercuere, meditando culparum grauitatem, mortis, extremi Iudicij, Inferorumque terrorem, cæteraſque pœnas, quas diuinus Iudex conſceleratis hominibus comminatur; pro-

progredi ad myſteria contemplanda ſolent, diuinæ humanitatis Chriſti Seruatoris, Dei ſimul, hominiſque veri, qui noſtra *Via, Veritas, & vita eſt*, perfectionis, ſalutiſque noſtræ initium, finis, ac medium, ipſo affirmante: *Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſaluabitur: & ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet.* Per oſtium hoc adeundum eſt iuſtis, & iniuſtis; incipientibus, proficientibus, atque perfectis, omnibuſque, prout opus habent, & quantum capiunt, parata ſunt paſcua in eum finem, quem ſibi in ipſo diuina hæc myſteria meditandi veſtibulo conſtituere. Sontes quidem, dum animo verſant, quæ, & quanta pro ipſorum noxijs Seruator egit, ac pertulit; ijs expiandis pabula præſtò habent doloris, pœnitentiæ, lacrymarum. Incipientibus ſeges earum virtutum ſuppetit, quæ prauas affectiones & vitia contundunt, ac domant: ſubiguntq; ſpiritui carnem, ſenſuſque rationi. Proficientes ibidem altiorum virtutum, ac veritatum alimenta capiunt, quæ ipſorum mentes illuſtrant, & maiora in incrementa perducunt; matutinæ lucis inſtar, *qua procedit, & creſcit vſque ad perfectam diem.* At verò perfectis, præſtantioribus illic ſtructum eſt epulis: per hoc enim ſanctiſſimæ humanitatis oſtium ad excelſiſſima diuinitatis arcana contemplanda ingrediuntur: rurſumque egrediuntur ad obeunda cum proximis opera, muneraque ardentiſſimæ caritatis. Hàc ingreſſus eſt ſuo ab exorſu Baltaſar: neque verò quandiu vixit, vllo vnquam tempore ingredi, atque egredi deſtitit: in ſecretum primò cor inſinuans ſeſe Numinis corporati: in myſteria deinde diuinæ Trinitatis, & Vnitatis altiùs ſeſe immergens: atque inde tum exiens, ad frangendum primò, formandumque ſeſe varia exercitatione virtutum: poſtea verò ad opem proximis ingenti ardore ferendam.

Ioan. 15. Ioan. 10. 9. Prou. 4. 18

§. I.

PRimò igitur Chriſtum Dominum præcipuum ſibi Magiſtrum Baltaſar adſciuit; oraculo dicentis auſcultans, *Magiſter veſter vnus eſt Chriſtus*: qui, quà homo, perfunctus palam hoc munere, dictis, factiſque docuit omnes ea, quæ ſunt Euangelicæ perfectionis, profunda, & abſcondita olim initia Diuinitatis ac Triadis: quà verò Deus clam idem continenter præſtans, hiſce animos veritatibus imbuit; ad eaſque percipiendas, eos luce perfundit, inque virtutum amplexum, conciliato ipſarum amore perducit. Vtrâque verò formâ Inſtitutorem ſuum Salutis noſtrę Vindicem ſua ſibi Baltaſar in precatione conſciuerat; nunc illum vt hominem intuens ipſiuſque imaginem ſua ſibi mente deſcribens; quam multò etiam perfectiùs illi deinde Deus impertijt: nunc veluti Deum aſpiciens,

Matth. 23. 10.

ſtu-

ſtudioſos ſui in ſecreta cordis ſolitudine alloquentem. Miraque plane erat corporis habitudo, reuerentia, pietas, animique teneritas, quam in hoc præ ſe ipſe ferebat. Siſtebat verò ſe ſuis in precibus Chriſto Domino, tanquam accidentem pronè ad pedes ſui
„ Magiſtri diſcipulum, hac illum ratione compellans: Domine,
„ mi, vtrique noſtrum ſuum imperatum eſt munus tuo ab immor-
Matth. 17. 1. „ tali Genitore, cum dixit, *Hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite.*
„ Tu porrò Magiſtrum agas oportet, ego verò diſcipulum. Quod
„ igitur tuam vertat in gloriam, munere nunc vterque noſtro fun-
„ gamur. Quoniam verò Magiſtri eſt loqui, audire diſcipuli: equi-
1. Reg. 3. 10. „ dem ſilebo, at tu, *Loquere Domine, quia audit ſeruus tuus.* Et verò
„ oculis, vt attentior ſim, clauſis: flexiſque item genibus, ſiquidem
„ non Magiſter es modò, ſed Dominus. Rurſus quia in te coniun-
„ ctus cum homine Deus eſt, iunctis adero manibus, & erectis: quo
„ fiat, vt orem te pariter, & adorem: tuamque doctrinam excipiens,
„ quo illam habeam in honore, poſitu ipſo, habituque corporis
„ religioſo, ſupplicique commonſtrem: immotus ad omnia, quæ
„ incommodare interea mihi poſſent, ne vel vnum mihi tam ſaluta-
„ ris doctrinæ verbum intercidat. Quòd ſi quid moleſtiam fortè
„ faceſſat, id in partes martyrij ducam, eiuſque loco perpetiar: pe-
„ riculum in re tantula ſumens aſperiorum ſcilicet cruciatuum; ad
„ quos tui cauſa deuorandos, inter precandum aliàs, paratiſſimum
„ me auidè profitebar. Paucis igitur: audiam te veluti Magiſtrum,
„ ſilens; vti Dominum, prouolutus in genua; compoſitis, erectiſque
„ manibus, tanquam Deum: atque vt nullum mihi verbum excidat,
„ teſterque ſimul, quanto tuam doctrinam honore colam, immotus.
Et hæc quidem egregius hic Vir ſtudio pietatis incenſus aiebat, agebatque. Qui quandoquidem incipientes alloquitur, audire ſilentio, non eum hic intelligit altiſſimum orandi modum, quem quietis, & coniunctionis appellant: in quo mentis exercitatio ceſſat, ſuauique otio diuinæ illuſtrationes excipiuntur; & in quo, vti ſuus indicabit locus, ipſe idem excelluit: ſed vſitatiorem alium, atque ad orandum cùm attentè, tum fructuosè perneceſſarium: à quo alienationes, euagationeſque abſunt animi garrientis ſecum, & vagi, mens verò tota quieſcit in relegendis, meditandiſq; Seruatoris Chriſti myſterijs, verbiſq; penſitandis, aut quæ diuinus idem Magiſter in ſacris Euangelij paginis elocutus eſt; aut quibus idē intimè cor orantis aptè affatur in diuinis nēpe afflatibus ſentiendis.

Hoc igitur meditandi vſu Baltaſari Deus erga omnia cæleſtis huius Magiſtri verba æſtimationem ſummam, paremque amorem impertijt. Quanquam enim omnia, quæ à Mundi exortu locutus eſt verba Deus, & ſacris conſignata ſunt paginis, pari recipienda, co-

len-

lendaque ſunt fide; quippe quæ ex vno fluxere fonte Veritatis eiuſdem, quæ nec poteſt falli, nec fallere; reuerentiâ tamen, curâque præcipuâ ex verbis corporati Numinis proficiebat; remedium in ijs expertus ſingulare, vimque præpotentem ad ea omnia, quæ in animi compendium vertunt. Quamobrem idem ipſe Seruator aſſeruit, *Verba quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus, & vita ſunt.* Ijſque Petrus auditis, *Domine* inquit, *ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.* Ioa. 6. 64. ibid. 68.

Id verò dabat illi eximia pietas, opinioque ingen[illegible] diuini huiuſce Magiſtri, in humanitatem eius ſanctiſſimam, velut in fontem theſaurorum omnium ſpiritualium inſpicienti: quo ſpiritu ad eum accedebat in precibus, vt illorum admitteretur in partem. Hos hauſit ſenſus ex eorum commentatione verborum, quæ apud
,, Lucam ſunt: *Deſcendente IESV de monte, occurrit illi turba multa.* De-
,, ſcendit, inquit, è Cælo frater natu maior, diues Dominus: adi- Luc. 9. 37.
,, bant illum plurimi & *virtus de illo exibat*, *quæ ſanabat*, & ſoſpita- c. 19. 6.
,, bat *omnes*. Hinc porrò æterni Parentis verba cum Iuſtis eò ſpe-
,, ctant, vt ij Chriſtum Dominum plurimi æſtiment: eaque viæ, ac
,, rationes ſunt, quibus eos per ipſum hunc locupletat. *Magnifi-*
,, *cans*, inquit, Dauid, *ſalutes Regis eius* hoc eſt, illud efficiens, vt ma-
,, gni faciant ſalutem, bonorumque vim illam vberem, quæ in eos
,, pertinet ex hoc Rege, Vindiceque terrarũ: *Per quem*, vt Petrus ait, 2. Pet. 1. 4.
,, *maxima, & pretioſa nobis promiſſa donauit.* Et de quo affirmandũ etiã
,, illud eſt Iobi. *Si comedi buccellam meam ſolus, & non comedit pupil-* Iob. 31. 17.
,, *lus ex ea*. Filius ipſe Dei eſt, *Deditq; nobis poteſtatem filios Dei fieri.* Ioa. 1. 12.
,, In eo diuinus Genitor ſibi complacuit: In eoque nos diuino Ge-
,, nitori placemus. Sacerdos ipſe eſt, noſque initiauit ipſe ſacerdo-
,, tio; omnia ille habet in ſeſe, rerumque nos omnium fecit ipſe par-
,, ticipes. Atq; hi Baltaſaris ſenſus erant aſſerentis, damnoſiſſimam omnium Chriſtianæ genti ignorantiam eam eſſe, qua Chriſtus, conditique in eo theſauri nos latent. Quamobrem quaſi omni deſtituta ſit ope, in ingentes ſe ipſa cogit anguſtias diffidentiæ plenas, mœroris, atque defectus: non ſecus atque Ioſephi fratres fame, curiſque angebantur; ignari ſcilicet ab ſuo germano Ioſepho gubernacula in Ægypto teneri: annonamque illius Regni vniuerſam ipſius in manu eſſe: quò, vt ipſemet dixit, eorum causâ præmiſerat illum Deus. Gen. 45. 5.

Hæc, aliaque ſic meditans Chriſti Domini amorem in nos ardentiſſimum ſuum apud animum plurimi æſtimauit: quo ex amore collata in nos à Chriſto beneficia permanarunt. Id verò pijs, incen-
,, ſiſque verbis explicabat, hoc ſimili. Quò intenſiores à ſole ſunt
,, radij, eò lux inde reuerberatur ardentiùs. Amoris Chriſti radij
,, rectâ diuiniſſimi Parentis ſui ferebantur in cor, cuius nos ipſe

„ gratiâ,imperioq;dilexit:quòd si tãta vis erat in radijs,quippe qui „ Genitorem suum tam ingenti complectebatur amore, quàm nos „ vehementer illorum fulgor aduret! nulla profectò lingua, facul- „ tas nulla id euoluere satis potest. Hæc enim illa vis est, de qua
Ps. 18. 6. „ Psaltes. *Exultauit vt gigas ad currendam viam: à summo cælo egres- „ sio eius: nec est qui se abscondat à calore eius*. Prô diuine Amor, „ qui à Deo existi, delapsusque ad hominem, ad Deum iterum re- „ uolasti: neque enim tuus fuit amor in hominem, ipsius causâ,sed „ Dei; tamque ingens, ac singularis is fuit, vt quicunque amoris „ tanti momenta æqua lance perpenderit, tueri se satis ab ea præ- „ potenti vi nequeat, qua perrumpit in cor. Ecquis illum, siue in „ terrarum hunc Orbem prodeuntem primò,tenellulum infantem, „ ac præ hyeme, geluque trementem aspiciat, quin vehementi ca- „ ritate in ipsum exæstuet? siue totius decursu vitæ humilem, ho- „ minisque honorandi ergo despectum, quin illum in omni habeat „ pretio & honore? siue ipso mortalitatis in exitu, eorum, quos „ ipse condidit, tradentem se manibus constringendum ac fœdan- „ dum,probrosæque trabi figendum; suo sanguine largè perfusum; „ altumque de Cruce populo ostentatum, eâ dumtaxat gratiâ ho- „ minis ab interitu asserendi,quin secum illum auferat, atque à tel- „ lure sustollat? Si catenæ sunt beneficia;& grata opera,prunæ;meus „ animus tam effusè ab hoc largissimo Principe ijs cumulatus, & „ obrutus,illiusne amore totus vsque non arserit? Rursum, si amor „ plus quàm beneficia, incitat ad amandum (quisquis enim bene- „ ficium in alio collocat,aliquid illi de suo largitur;qui verò amat, „ suis cum rebus, ipsum se, re nulla sibi retenta, profundit) anime „ mi,quî Deum non amas,ipsoque viuis vno contentus? at eo con- „ tenti sunt Cælites. Si ad amorem improbum, cæcumque terra- „ rum,frigida licet corda in aliorum caritatem exardent, cum eo- „ rum beneuolentiâ præoccupari se sentiunt; mutuoque conspe- „ ctu calent pariter,& vruntur amantes; quæ tua isthæc duritas est, „ anime mi,vt cum nequaquam ipse Dominum hunc amando prę- „ ueneris, vices saltem illi non reponas, qui tot tibi argumenta „ præbuit amoris sui? Liberum alieno ab amore cor habenti, hæc „ profectò dicta sunt satis. His Baltasar rationibus in sui Seruato- ris amorem, cuius caritas complexa ipsum antea fuit, suum ani- mum incendebat: seque nullius omninò alterius rei capi,tenerique patiebatur affectu; quò diuini amoris flamma in ipso ardentiùs æstuaret. Eòque rimari profundiùs eadem in nomina nitebatur, quibus æstimationem Vindici nostro, amoremque debemus, aie- „ batque; ô Domine, quàm te impensè diligunt, qui te norunt! „ Diligit te tuus Genitor; & tua te Genitrix amat; tuique Angeli,

tuique

„ tuique omnes filij,& amici tui amoris sensu liquidissimo teneresc-
„ cunt:Te res vbique omnes altè reuerentur & colunt: vnusque ipse
„ tui amore non vrar ? vnus tibi me torpentem sistam , & turpem ?

§. I I.

EX hac porrò æstimatione, amoreque in Christum fiebat , vt præcipuâ curâ compararet sese ad dies illos celebrandos,quibus Diuinæ Humanitatis sacrosancta mysteria recoluntur; plurimum temporis in eorum pia commentatione consumens: diuinis interim & recreatus illapsibus, & muneribus cumulatus : vt ex ijs apparet sensibus , quos à se per hosce dies haustos fuisse idem ipse suum retulit in libellum . Quorum hic vnum , alterumque commemorasse sat est ; è quibus & ipsius in eam rem industriæ , & diuinæ in Baltasarem largitatis sumere liceat argumenta. Ipso, inquit, Di-
„ uini Natalis peruigilio , adeò eram in Seruatoris IESV aspectu ,
„ quem Pastores coluêre,defixus,vt à vespertino ientaculo digres-
„ sus ad animum collocutione cum Socijs recreandum,gregem me
„ adire tunc crederem,cuius præcipuus Pastor Christus est: illudq;
„ obuersatum est animo , eum , vtpote Pastorem optimum nequa-
„ quam commissurum esse, vt incustoditum relinqueret gregem
„ suum : sed illi certò adfore : quare alacer illuc accessi , vbi futu-
„ rùm erat vt illum inuenirem. Subijcit deinde ardentiâ vota, quibus æstuabat : simul animum neutrò propensum , vt diuinis , quas ipse iam præsentiebat, delicijs aut frueretur aut careret; aitque . Si
„ ea nocte res cecidisset ex voto,quemadmodum id solatio mihi fu-
„ isset ingenti , ita si secus obtigisset aegerrimè animus habuisset .
„ At enim verò eò, quò mittit Deus alterutrum, quod purgatiore
„ cum affectu perstat,id præstat.Hæc verò mecum reputans, æqua-
bili satis animo acquieui .

Similem huic sensum hausit sacro Epiphaniæ die ; quo , inquit , cum pios de illa cogitationes suscipere exoptarem , vocem hanc
„ audij . Quid si te illis frui noluerit ? Perlibenter,inquit,ignorabo
„ quæ mihi Deus nolit euoluere . Quòd si diuino studes obsequio ,
„ non agit ille tecum iniquè , hac enim ratione promptiùs id illi
„ præstatur . Inde meo animo quies, atque serenitas . Illum tamen nequaquam Deus aridum , eâque carentem affectus suauitate dimisit, quam animo tam æquabili expetiuerat. Etenim hac eum pia cogitatione permulsit, Magorum, ex aspectu sideris, gaudium
„ perpendentem.Si in hoc mortalitatis exilio,vbi tantum est ærum-
„ narum, & fletus, impertita à Deo lux in tantum explet, & satiat,
„ vt Reges, viso sidere , *gauisi sint gaudio magno valde;* quid tum erit

„ Deo perfrui, quem illa lux indicat? Eique oppidò ſeſe Deus fruendum indulſit, vt ex liquidis alijs adſcriptis inibi ſenſibus apparet, quos ſexto capite commodùm exequemur.

Præ cæteris verò Seruatoris Chriſti myſterijs, ſingulari pietate proſequebatur ſanctiſſimos ipſius cruciatus, & cædem; quam animo & altè retinebat infixam, & ſuauiſſimè meditabatur. Quamobrem interrogatus id temporis, quam in orando viam inſiſteret; Ipſo, inquit, in aditu ſanctiſſimos ſibi pedes pendentis è Cruce Seruatoris offerri, ſeque venerabundum ibi conſiſtere: ad eoſque defixum profundam illam virtutum omnium doctrinam ſecum animo commentari, quam de ſuggeſtu Crucis diuinus hic Magiſter tradidit: indeque haurire ſe præferuida ſui cruciandi, crucique figendi vota; amandi ſimul proximos, & iuuandi, quorum ergo Sanctiſſimus hic Præceptor tam probroſa, immaniaq; ſupplicia deuorauit. Tantoſq; efficiebat inde proceſſus, vt quicumq; recens ad meditandum accederent, auctor ijs eſſet, vt à diuinis cruciatibus, tanquam à ſpirituali fonte profectùs, ſumerent argumentum. Illudque habebat in vſitatis adhortationibus, & ſermone frequenter:
„ Ne nos profeciſſe aliquid arbitremur, quandiu illud aſſecuti non
„ ſumus, vt confixum Cruci Dominum ſemper in noſtro corde geſtemus. Atque illum ſanè in corde ipſe geſtabat. Interpretari ſiquidem hoc pacto licet corporatam illam Chriſti præſentiam, quam ſibi quodam in commentariolo (de quo deinde) impertitam fuiſſe commemorat. Etſi tamen opinor, id ab eo affirmatum de viua Dei morientis imagine, quam cordibus diuinus Chriſti amor exculpit; à quo ad eam nos conformamur imaginem, quam noſter ille Vindex, in Cruce, noſtri causâ, præſetulit: ſic vt intimè cupiamus affixam iugiter Cruci cum ipſo vitam extrahere, Apo-
Gal. 2. 19. ſtolum æmulati dicentem; *Chriſto confixus ſum Cruci: Viuo autem iam non ego: viuit verò in me Chriſtus*. Ad hæc in compendium illi ſpiritale vertebat expoſita ſemper ſuo in cubiculo Chriſti è Cruce pendentis imago, in quam perfrequenter aſpiciebat; perque illam egregijs à Deo muneribus, plurimiſque cæleſtium veritatum illuſtrationibus augebatur; quas deinde cum alijs, quos alloquebatur communicabat. Animus verò illi quandoque auocabatur à ſenſibus: per ſanctiſſimorum quippe Chriſti vulnerum oſtia, in pelagus immergebat ſeſe illius immenſæ caritatis, atque diuinitatis. Ea demum, quæ in affixo Cruci Chriſto contemplabatur intenſiùs, tres illi erant ab ipſo vſque præſepi, in omni vita Chriſti Comites indiuidui, Paupertas nempe, Contemptus, & Dolor: omnia penſitans minutatim, quæ in ijs ſingulis arcano nucleo includuntur. Spectabat illum in Cruce tam inopem, vt nudus inde penderet; ca-

reret-

retque ad restinguendam sitim, fontanæ aquæ vel guttulâ: adeò contemptum, vt tamquam nefariorum facinorum reum, duos inter latrones medium, quotquot aderant, omnibus illum conuiciis, & maledictis incesserent: tam immani denique dolore confectum, vt à summo vertice, ad imos vsque pedes nulla in ipsius corpore pars cruciatu immani, horrendoque careret. Quorum adeò meditatione non tenero dumtaxat ipse pietatis sensu liquescebat, verùm excitabatur amplius ad comparandam sibi pauperiem, amandumque contemptum, doloresque auidè complectendos: quo in studio perseuerantissimè in omni vita se habuit: æstimatione summa spiritalis eius Crucis, quæ tria hæc elementa componũt: & quibus Dei in Crucem acti absoluta constat imitatio: quod & Paulus appellat *Mortificationem IESV*, eiusque *stigmata in corpore circumferre*, veluti proximo statim capite exponetur.

CAPVT QVARTVM.

Studio frangendi in omnibus sui, à Tyrocinio, seriam Baltasar operam nauat; idque plurimo pœnarum vsu in omni vita persequitur.

PRecationis eius absolutæ consummatæque spiritus, qui in consuetudinem intimam cum Deo mentem insinuat, sine ipsius sui veræ, integræque victoriæ, atque mortificationis, quam dicunt, spiritu non hauritur, quæ ad precationem ferè sternere viam solet: eamque instar præsidij fortissimi comitatur, ad difficultates in orando, & obices peruincendos; eamdem verò veluti fructus decerptus ex ipsa subsequitur, vt quæ inter preces nouimus, vouimusque, nos deinde ipsi coërcendo, & contundendo præstemus. Superandus primò *Myrrhæ mons* est, quæ quidem mortificatio est sensui peramara, si ad *collem thuris*, hoc est, ad suauem animæ precationem velis ascendere. At enim in hoc Dei colle *statio Philistinorum*, hostiumque est, seditiones, & arma mouentium aduersus eos, qui sua in eo castra ponere constituêre: ad quos proinde expugnandos, tela stringenda sunt manibus, domando scilicet, ac diruendo quicquid in nos illi impedimentorum, atque difficultatum aggeribus moliuntur. Quòd si in Thaboris fastigium euasisti; perque contemplationem transfigurantis sese Christi vultum inclytum induisti, non ibi tamen statuenda tibi sedes est; sed iterum descendas oportet, ad excessus caritatis explendos: licèt id permagno stet pretio laboris, & ærumnarum; Christi nempe Paupertatis, Con-

Cant. 4. 6. ibid. 1. Reg. 10. 5.

temptus, dolorum, & eius amplexu Crucis, quam hæc elementa componunt.

Hinc porrò nostræ salutis Assertor, vt qui perfectionis apicem asseclæ huic suo decreuerat, vnà cum orandi studio, generosum illi, fortemque in quacunque re ad triumphandum sese, ab ipso exorsu, animum impertiuit; sic vt semel ac simul sibi, rebusque omnibus optaret, si daretur, emori, vni vt Deo viueret; inque illo quietem ac solatium inueniret. Etenim quemadmodum caro ad ea, quæ ipsam contundunt, repugnat scilicet, inhorrescit, ac trepidat: quam nempe crucem retur longè grauissimam; quantòque illam magis euitat, tantò plus ipsi accedit ab illa terroris; ita perprudentis est in eius complexum fortiter statim ire. Documentum

Matth. 11. 12. enim diuini Præceptoris est, *Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*. Quod sanè non alios, at ipsos se vincendo, amoremque sui strenuè iugulando, viri fortes, ac strenui assequuntur: hoc namque optimo funere, sexcentas a se mortes auertunt, quibus amatores sui, suarum cupiditatum mancipes enecantur; gaudiumque illud assequuntur & *pacem, quæ Regnum Dei est*. Quare il-

Rom. 14. „ lud Baltasar dictitare consueuerat. Quemadmodum Martyres, vt „ Ecclesiæ præconium est, *Mortis sacræ compendio vitam beatam possi-* „ *dent*, ita contundentes vltrò se Iustos, breui alia abdicationis, „ abnegationisque sui morte ad eam quietem prouehi, quam in „ hac assequi mortalitate fas est. Verùm, quia vno impetu ad nos „ ipsos eruendos animosè, solerterque non imus, gemitum sem- „ per damus. Crucemque (quod hypocritarum est) in ea nunquam „ emoriendo, gestamus.

§. I.

AT ipse, re apud suum animum ita deliberata, opus hoc persanctum iniuit: agressusq; alacriter est ad id primò coercendum, quod altiores radices agere assolet; vitia nimirum naturâ nobis ingenita: cuius ingenio ipse vsus est sub initium in sese, atque in alios, arido simul, & aspero. Omnium verò, qui Baltasarem nouere, conspirata sententia fuit, castigatam illam, domitamque sic ab ipso fuisse, vt seueritatem sibi, asperitatemque retinuerit; facilitatem in alios, suauitatemque susceperit. Quod & de Parente nostro sanctissimo Ignatio testatum monumentis accepimus: illum suæ apparatu & conformatione naturæ fuisse quidem à flaua bile præferuidum, ita se tamen mortificationis studio postmodum triumphasse, vt à frigido phlegmate languere potiùs videretur. Cuius Baltasar exemplo, naturæ suæ habitudinem ita correxit, vt eam ab

aspe-

aſpera, rigidaque, ad lenem, ſuauemque traduxerit.

Ad hæc, amorem in ſuos carnis & ſanguinis, multorum in cordibus infixum à natura tam altè, coërcitum ipſe ſic habuit, & ſubmiſſum; quaſi careret parentibus, & propinquis. Nunquam cuias eſſet, nec, quos attingeret ſanguine, auditus eſt dicere: neque ſe in eorum negotia inferebat. Romam verò aliquando profectus, quamuis patriam ab recto itinere tres non amplius leucæ ſeponerent, recuſauit tamen ad eam diuertere, ſeu conſanguineos, vt ſibi occurrerent, admonere. Atque ad eam aliàs cum deinde ſe contulit, coactus eſt Prouincialium imperato; poſtquam itionem illam multis antea rationibus detrectauit. Suum etiam in animum proptereà nunquam induxit, vt quicquam à cognatis acciperet, ne eo nomine illos teneretur inuiſere: affirmabatque, religioſo viro illud in omni vita cauendum eſſe, ne cuiquam hic in terris amico, affini, cognato, animum obſtringat ſuum: ſed vt, exemplo *Melchiſedech ſine patre, ſine matre, ſine genealogia ſit*, à quibus priuilegio poſſit exui religioſæ libertatis. *Heb. 7. 3.*

Senſus etiam connixus eſt acriter habenâ compeſcere; nulla ijs in re aſſentiens, aut conniuens. Oculorum curioſitatem omninò peruicit. Aduena enim Romæ, vbi videndi cupiditatem tam multa proritant, ab intuendis tamen ijs abſtinuit: quæ dum alij circumſpectum irent, ad Sanctorum ipſe monumenta, quorum reliquias inuiſeret, precabundus hærebat. Rector Methymnenſi Collegio cum præeſſet, die, quo diuiniſſimæ Euchariſtiæ à Chriſto inſtitutæ memoria, ſanctiori celebritate, recolitur; quandiu ſupplicatio pia circumijt, animaduertêre permulti illum defixis in ſanctiſſimam Frugem oculis proceſſiſſe; neque illos inde auertiſſe vel ſemel, vt vel ſaltationes, vel alia conſpiceret, quæ, cum pulchrè fierent, ac feſtiuè, laceſſebant obtutus. Idem ipſe retulit in loco de ſeſe, Valliſoleti, cum quærentium in hæreticâ prauitate Iudicio publico intereſſet, ibi ſe collocatum fuiſſe, vnde in Iudicum, reorumque pulpitum ſpectare non poterat, quin oculos in mulieres ante conijceret, quæ in interceptis, præpoſitiſque ſibi tabulatis conſederant; quod porrò cum ſibi videretur abſurdum, Deiparæ, quam habere ſecum ſemper, & vbique conſueuerat, prolatâ ibidem, prætentâque manibus imagine, ita ſe in eam cum corde oculos defixiſſe, vt per omne Iudicij tempus ad ſeptem horas extracti, neque oculos vnquam illinc, neque animum auocarit: rerumque ibi geſtarum ignarum perinde ſe abijſſe, atque ſi minimè ijs interfuiſſet.

Neque verò minori cura contudit guſtum: cùm enim gratius illi aliquid ſaperet; tunc illud ſtudioſiùs reſpuebat; minimùmque buccellâ, quæ optima eſſet in ferculo, fraudabat ſeſe, Deo illam permit-

mittendam esse affirmans. Nunquàm sanè apponi sibi passus est peculiare quicquam in mensa: si quid verò tale contingeret, cibum à se illū reijciebat in proximos. Oblata porrò sibi si melior quàm assidenti portio eueniret, permutatione facta, deteriorem sibi præsumebat. Quòd si malum, aridumque panem dissimulanter quandoque poterat occupare, occupabat certè; melioremque, ac molliorem discumbenti proximè apponebat. Nihil ad palati delicias habere in cubiculo voluit; licèt ad ipsum crebra huiusmodi donaria mitterentur, verùm ijs fouendos, recreandosque curabat ægrotos.

Aeger verò ipse, quantò difficiliore stomachi fastidio laborabat, tantò sibi acriùs imperabat, vt vesceretur appositis: tunc enim, cibum sumere, ad gustus cruciatum pertinet. Pharmaca porrò, quæ stomachosiora essent, atque amarulentiora, ea ad supremam vsque guttulam hauriebat attentè, suauiterque, cum mora: intraque os, quasi illo opus esset abluto, nonnihil ex ijs retinebat studio, ac versabat; quò amaroris sensum gustatu exquisitiore perciperet. Pullus ægrotanti, quem curator eius non exenterauerat, appositus semel est: cumque peringratum saperet, aduersaturus gustui tandiu ex illo comedit, donec rem administrator aduertens, illud ferculi nauseosi remouit. Quibus ita interim sese, sensusque castigabat, vt ea studeret aliorum oculis submouere: quò honorem à se illum auerteret, qui frangendi sui studiosis habetur. Tecta tamen ea satis habere non poterat, in quæ omnium erant oculi atque ora conuersa.

In meritoria quandoque taberna præter vnicum ouum, oblonij erat nihil; prætentâ incuriâ solo illud elisit, ac perdidit. At verò socius id consultò factum aduertit; vt se, vel in vnico, tantuloque edulio inclementer acciperet. Odores, præterquàm in Templis, aut ægrotantium cubiculis, idque cum res postularet, habebat infestos. Quin, vt esset naribus, sibique molestior, tunc etiam cum alijs præerat, vltrò immunda loca purgabat.

In cubicula item ea, quæ sibi possent incommodare, studiosè quærebat. Abulæ verò tantulum sibi illud adlegit, vt vix mouendi se quòpiam spatiolum in eo sibi suppeteret: sacrarumque precum codicem, aliosque libellos in assere, cui nec fulcra suberant, collocabat. Sella nunquam vsus est, cui humeris, aut lacertis posset inniti, vel tunc, à morbo cùm conualesceret, clementiúsque corpus accipi opus erat; adeóque suo in conclaui non nisi ligneam, plicatilemque sediculam habuit, ac dorsi fulcro carentem.

Membra sui corporis omnia asperrimè semper accepit: aiebat enim, animum Christi amore vulneratum, nisi saucium sit & corpus,

pus, non vtique esse contentum. Quemadmodum enim intercedit cordibus similitudo, per vulnera, ita hæc eadem inter suum corpus interest, & Christi humanitatem diuinissimam, quam discerptam aspicit, & confixam. Quare si minus ipsius membra Deus doloribus, morbisque concerpserit, cruciandis ijs, lacerandisque suas vltro commodat manus. Idque strenuè præstabat sanè Baltasar. Cum enim sanctissimus Parens Ignatius in suo piarum commentationum libello, precationi studentibus maximoperè approbet volūtarias corporis afflictationes, ita tunc nostris in Socijs, cum orandi studio, spiritus efflorescebat etiam castigandi sui; diuturno ciliciorum vsu; verberationibus ad quartam horæ partem, manè semel, iterum vespere; cibatu in die vno, non amplius; duro super asserem cubatu; brachijs ad horas aliquot in Crucis imaginem explicatis; publica in triclinio humerorum cæde, ad quinquagesimi Psalmi recitati spatium extracta; pijs etiam alijs ad se ipsos insectandos inuentis: quæ ille, quo ipsorum animi æstuabant, diuini amoris ignis comminiscebatur: inter quæ sanctè decertare inuicem videbantur, vt in ijs alter alteri anteiret. Hi verò, qui nouêre Baltasarem, affirmant eum hoc nomine longè alijs præstitisse. Atque vti alijs cum Præpositi auctoritate præfuit ferè semper, ita, per inclementiam sese summam accipere, erat illi pro potestate liberius. Flagella porrò in membra corporis omnia, summa item, ac ima, tanta cum vi, tam asperè quotidie diuidebat, vt Methymnæ Tyrones, ab ea verberum immanitate proximum cubiculi latus concuti, animosiùs dictitarent. Moderari propterea homini Prouincialem oportuit, quique ipsi à Confessionibus erant, cum, eâ tam efferâ corporis sui maceratione, cilicinis vestibus, parcitate ciborum, & cubitus duritate, sensim vires illi deteri sentirent: remitteret porrò pro auctoritate imperabant, ne, quod eam ob causam & alijs contigerat ex Societate permultis, salutem vitamque in exitium, exitumque perduceret.

§. II.

Neque tamen acquiescebat ille in tam seuera castigatione membrorum; sed frangendæ etiam voluntati studebat impensiùs: quod nimirum potioris est, grauiorisque momenti, ad habendos in spiritu, omnique virtute progressus, atque ad integrum cum diuina voluntate consensum; in quo summa perfectæ virtutis est: eóque diuinumNumen hos illi sensus iniecit, quos sua in aduersaria retulit, de se ipse, tanquam de alio quopiam ita scribens,
„ Liquidò nouit, Deum nolle fluxarum rerum oblectamento nos

„capi: ab ijs ſiquidem & voluntas abducitur; neque obſequi nos, „ſed aduerſari vult propriæ voluntati : neque alijs oblectari nos „rebus, niſi quibus nos ipſos, diuina ipſius è Cælo manus impertiat. Ea planè ratione, qua figulus lutum primò comminuit, „contundit deinde, miſcetque tandiu, dum tractari ſe molliter ſinat: ita & Deus, quippe qui ſuis impensè ſtudet operibus, voluntates hominum vnicè vult conſentire cum ſua; eas adeò perfringit, ac domat, ſuſque deque verſat, dum eius manum, velut equitis equus, facilè, ſuauiterque ſequantur: quanquam ad „rudiuſculũ opus, luto non opus eſt ſanè tam molli. Cum primùm „ille tantum animo comprehendit arcanum, admirabundus hæſit: „perque illud, permulta in ipſum à Deo munera defluxere. Quibus Baltaſar verbis ſe, & egiſſe, quæ didicerat, & ex ijs profeciſſe plurimùm, planum fecit. Etenim ſuæ voluntati in rebus etiam bonis ſeriò aduerſabatur, modò illæ impedimento melioribus forent, quod indicatum eſt ſupra, cum ſermo fuit de peranxia ipſius cura ſeceſsùs ad orandum commodi, ac prolixi. Quare tunc ferebat ægrè occupari cũ proximis: ac veluti diuino condocefactus inſtinctu, id ipſius ſui amore fieri ſenſit, qui ſuæ magis quieti, atque ſolatio, quàm Dei obſequio cupiebat indultum, ità eam in tantum caſtigauit, & vicit, vt multò iucundiſſimum illi iam eſſet ſuam in proximos opem, operamque conferre: ratus nempe ibi ab ſe maius Dei, quod quæreret, obſequium inuentum iri. Igitur illa perputans verba, quæ cum lacrymis effatus eſt Paulus, *Multos eſſe inimicos Crucis Chriſti*, eundem alloquens Seruatorem aiebat: Iam

Philipp. 3. 18.

„nunc mi IESV conſtituo, mei quietem animi non à me deinceps „in eo collocatum iri, vt tempus ad mea extraham, etſi probanda „vota prolixius; ſed vt, tui ergo, iacturam, proteruiamque faciam mei: non vt opportunioribus, quàm quæ mihi ſunt, valetudine vtar, & commodis; ſed vt his in tuis ipſe rebus vtaris. „Quantòque largior in hoc erga me fueris, tantò etiam id loco „muneris amplioris habuero: quò tuæ Cruci ſim intimus, tuique „Apoſtoli lacrymas permulceam. Iam igitur non quod ego velim, „ſed quod tu malis, id vnum agere, mihi erit ex animo: citiùſque „tibi nihil offeram, quàm furto temporis, paratam mihi velim „copiam largiendi. Hoc animi robore Baltaſar ſeſe pijs animi delicijs, illecebriſque fraudabat, gratiorem vt Deo rem faceret: quæ ſanè tunc fit, cum diuinæ voluntati morem gerimus. Rurſum ſuo etiam repugnabat iudicio, honori, æſtimationi, omnique in vniuerſum affectui erga res omnes, quæ de Conditoris ſui amore nonnihil in ipſo minuere poſſent. Intimus illi ex noſtra Societate Sacerdos, retulit, animaduertentem ſe, teneri compluſres dies Baltaſarem

sarem alta cogitatione suspensum, cupienti aliquid, aut aliquid acerbum toleranti consimilem, sciscitatum ex illo causam esse rei; eumque respondisse; formam in me ipse vitæ effingere sic adnitor, quasi Lybica deserta solus incolerem: vt ab hominibus, humanisque rebus perinde procul animo sim, ac si verè vitam in solitudine vasta traducerem. Eamque porrò vitæ imaginem ex se ipse, vt deinceps ostendetur, expressit: argumento sanè perpetui eius, ardentisque conatus in se interiùs, exteriùsque frangendo. Hinc ille sese insectabatur assiduò, sibiq; non in grauioribus modò, sed & in rebus tantulis aduersabatur: aiebat enim omnem triumphandi sui medullam in eo sitam esse, vt nulla in re vel tantula sibi quisquam indulgeat; quò virtutem non modò in vniuersa suæ vitæ ratione, sed in eius etiam recularum punctis, apicibusque consummet: exemplo nimirum sponsæ, *cuius manus distillauerunt myrrham*, *& digiti*, vel extremi erant *pleni myrrha probatissima.* Quisquis verò id assecutus fuerit, suo hic iure dicat, *Consummatum est*: Quicquid diuinæ voluntati repugnabat, aut oberat, quoad eius fieri potuit, exhaustum est. Id verò assecutus est Baltasar; qui se scilicet perdomando, quicquid impedimento ad perfectionem erat, contudit, & euulsit: prauas affectiones extinxit, summam spiritùs libertatem, plenumque adeò nactus est in omnes animi sui motus imperium, vt nullum in eo mentis seu commotæ, seu fastidiosæ vestigium appareret. Obiurgandus ab se cum fortè quis erat, vultum irati sumebat in tempore; atque ad serenitatem, quietemque è vestigio sic redibat, quasi modò tale nihil egisset. Motus enim ij, obices olim ipsi, iam non modò non oberant, sed rationis erant imperijs, quicquid illa præciperet, obsequentes: Quod, inquit ipse, ingens est gratiæ diuinæ prodigium: cuius vi, qui nos hostes antea profligabant, ad virtutis incrementa suam nobis opem operamque iam conferunt.

Ex hac eadem sui victoria, & triumpho, habitus erat ille tam suauiter, religioseque compositus totius oris & corporis, qui odorem suauitatis afflabat, aspicientesque obuios componebat. Ipsius enim modestia præsignis erat: vultus hominis pœnitentis, inque Deo defixi: oculi à fletu subhumidi; grauitasque alijs non grauis, at dulcis; cui nimirum sine vlla tristitiæ nota, vel inter sibi maximè aduersantia, serenitatem aspergebat. Permulti sanè grauissimique mortales, non verbis modò, sed vno dumtaxat aspectu, quòd tanta in eo modestia eluceret, & sanctitas, profuisse sibi Baltasarem affirmarunt. De illo meritò diceres, quod de Iobo, *Lux vultus mei non cadebat in terram*: nihil enim agebat, cuius ipsi m pudeeret, aut quod ab ipsius grauitate, atque auctoritate desciscere- Iob.29.24.

 ret.

ret. Quem fructum præstans illa, integraque sui victoria parit, quæ vniuersos hominis & interni affectus, & externi motus temperat, & coërcet.

Denique ex eo vehementi, quo flagrabat, ardore, sui spiritus per amorem, iugemque consuetudinem Deo intimè adiungendi, illa prodit sese vis, atque cupiditas, sui semper asperrimè accipiendi.
Cant. 8. 6. Etenim *fortis est, vt mors, dilectio; dura sicut infernus æmulatio*, ad enecandum, euertendum, eruendumque quicquid nos ei, quem cupimus, coniungi non finit; tamque munifica est in largiendo, quod petitur, eo potitura, quem diligit, vt nihil, pretiosum licet molestum, ingratumque sit, deneget. Id verò Baltasar exemplo Sichem Dinam desponderi sibi efflictim cupientis commodè explicabat: cuius ea ad ipsius genitorem, fratresque verba fuere:
Gen. 34. 11. *Quæcumque statueritis dabo: augete dotem, & munera postulate, & libenter tribuam, quod petieritis: tantùm date mihi puellam hanc vxorem.* Et cumulatè quidem, quæcumque spoponderat, dedit. Postulantibus enim ijs, vt populus omnis circumcideretur, in tantum ipse ab amore fuit eloquens, & facundus, vt ad præcisionem illam, vnanimem ex omnibus consensum expresserit. Neque secus qui Deo despondere, atque illigare se percupit, profundere in eam rem paratus est omnia quæ petuntur; atque illa tum perpauca ducit, & nihili. Siquidem verò pretium, dotemque præcipuam Deus efflagitat, spiritalem cordis amputationem, integramque amoris sui, totiusque populi, appetitionum nempe, atque affectuum castigationem, suum studium polliceri debet in omnia, tanta vi, vt facultatibus animæ, sensibusque amanter persuadeat, vt quæcumque superuacanea sunt, cum voluptate præcidant. Id verò honori fas est sibi ducat, & gloriæ, quòd Seruatoris Christi, ipsiusque Apostolorum, atque Discipulorum similitudinem proximè imitatur. Qua super re illa secum quandoque meditans Ioannis
Ioa. 19. 25. verba, *Stabat iuxta Crucem IESV Mater eius, & soror matris eius* &c. „ hunc inde sensum hausit: Postquam affixus Cruci Christus est, „ propter Crucem esse qui Christi erant, honori sibi duxere: quan„ tòq; propiùs, tantò etiam clarior ex ea honor, & commoda „ vberiora proueniunt: Quod ex ipso promanat spiritu Christi, „ idem quod in ipso, in alijs etiam moliente. Ipse quidem pendet „ in Cruce: propter eum Mater, ac Iusti sunt. Verùm Mater est
Psal. 118. 155. „ proxima: sontes procul ab ea facessunt: eaque propter, vt in„ quit Dauid, *Longè à peccatoribus salus*.

CA-

CAPVT QVINTVM.

Tria paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ vota, ritè nuncupat; eaque religiosè, ac sanctè custodit, & colit.

SIquidem Instituti nostri ratio Socios alligat, vt cum omnibus promiscuè mortalibus agant; sint ij licet nequam, hæresum, idolorumque cultores: quò nempe ad Deum eos traducant, salutemque ipsis comparent animorum; approbantibus, Apostolica Sede, ac Sacrosanta Tridentina Synodo, constitutum in Societate est, vt sedulò Nouitij, exquisitèque, non vno dumtaxat, vt in religiosis alijs Ordinibus, anno, sed integro biennio probentur: quo elapso tria emittunt vota, Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ: & quanquam solemnia illa non sunt, eos tamen, qui hæc nuncupant, verè Religiosos efficiunt, quemadmodum decretum, explicatumque est à XIII. Gregorio: vitamque, quod ad ipsos attinet, perpetuam exigere in Societate tenentur; votis ità custoditis, vti disertè docetur in Regulis. Euoluto in hunc modum Probationis suæ biennio, anno nimirum 1557, cum Abulæ in studia litterarum incumberet, ingenti spiritûs ardore pariter ac voluptate, Deo sese tribus iis votis Baltasar obstrinxit; perpetuo Dei obsequio liberaliter sese in eo vitæ statu deuouens, ad quem diuino vocatus erat afflatu. In quo benè illi, iucundèque sic erat, vt quemadmodum gladio vagina congruit, manui chirotheca, ita Societatis nostræ forma Baltasaris animum imbueret penitus, & impleret. At verò quandoquidem summa perfectionis nequaquam sita est in pactis, factisque Deo magnificè promissis, sed in ijsdem largiter exolutis; quam religiosè, sanctèque Baltasar tria hæc vota in omni vita seruauerit, videamus. Quod conijcere sanè licet ex capite superiore, in quo de voluntaria sui afflictatione, atque victoria commemoratum est. Etenim ex D. Thomæ sententia tribus hisce votis ille propositus finis est, tria Euangelicæ perfectionis impedimenta maxima remouere, deliciarum nempe, & titillantium voluptatum amorem; fluxarum opum & commodorum famem; effrænemque in sui, suarumque rerum vsu, propriæ voluntatis, ac iudicij libertatem. Hæc verò impedimenta siquidem à cordibus erui vnâ externarum rerum abdicatione non possunt, opus est sese insigniter profligato, vt ea tandem radicitus extirpentur: enitendumque perarduè ad culmen virtutum est Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, in quibus funus eorum, & tumulus est.

§. I.

§. I.

Eius Castitas.

ET primò quidem in omni vita Baltasar studio Castitatis excelluit; quam ad nostrarum legum præscriptum, formamque integerrimam retinuit; enitendo nempe Angelicam puritatem imitari, & corporis, & mentis suæ munditiâ. Adminiculis proinde in eam rem omnibus instruebat sese, quibus illa munitur, seruatur, atque perficitur. An verò ille Castitate Angelica non præstaret, qui ea, quam diximus, asperitate membra sua omnia cruciabat, vt obsequentia spiritui essent, neque sensus rationis imperia detrectarent? An mundissimæ cogitationes in illius mente non essent, qui suos sic oculos coërcebat, vt sacræ, quod diximus, Inquisitionis in actu, ne fœminas ante se collocatas aspiceret, septem integras horas, eos in Deiparæ imagine, modestiæ clauo defixerit? An non esset ex omni parte integerrimus, qui Virginem, Parentemque integritatis tam impensè colebat, deque illa cogitationes animo tanta cum voluptate versabat? An tentationes & impetus, quibus Castitas solet oppugnari, non vinceret, cui aduersus hæc, tam fortia præstò erant arma, ardens nempe assiduaq; precatio? Idemq; ipse confessus est, diuinæ in se largitatis munere factum esse, vt omni carnis affectu, motuque careret; ab iugi nimirum studio pietatis, internæque vacationis sibi, ac Deo, quem præsentem vbique, ac semper haberet. Quisquis enim in omni vel abditissimo loco spectari se à Deo intelligit, cauet profectò, ne quid diuino eius aspectu moliatur indignum. Adeoque in tres illos prouectus est gradus, quos, docentem Bonauenturam secutus, in hac virtute laudari dicebat. *Primus* est; certissimum animi consiliũ, Dei nunquam, eo nomine, neq; graui, neq; leui culpa lędendi: prauis motibus, impurisque cogitationibus strenuè repugnando. *Secundus*; carnem spiritui sic audientem esse, vt perrarò quis, ac remissè stimulari se sentiat, facilèque victor existat; modò suâ ipsius culpâ victoriam eripi sibi non sinat. *Tertius*; huiusmodi affectus adeò submissos, castigatosque habere, vt ij vix aliquando & quidem leuissimè tolerentur: in tantum verò ab hisce sordibus abhorrere, vt, cum de ijs necesse fuerit vel audire, vel loqui, non magis quàm ad sermonem de scrutis, ac scrupis commoueamur. In hoc verò fastigium non nisi præstanti, præcipuoque munere diuinæ bonitatis eniti quisquam potest: quò cariores Deo aliqui euehuntur, euectusque Baltasar est: quanquam in tentationes anteà

for-

fortiter depugnauit. Cum quòpiam fœmella quædam, eaque perelegans, quandoque iter haberet, solum nacta Baltasarem, aggressa illum est velut alterum Ioseph: at ipse ad precationis asylum suo statim more confugit: neque seipsum modò ab eo tunc periculo recuperauit, sed & impudicam illam lucratus est Deo, & ad pœnitentiam culpæ,confessionemque pertraxit. Neque tamen hæc illum victoria præfidentem effecit; immò, imbecillitatis suæ humillimo metu, thesaurum hunc castimoniæ tuebatur; minimarum etiam occasionum fugâ, quæ ansam ipsi præbere possent, stimulumque labendi. Vt verò timorem hunc suum explicaret, aiebat, non tantum impendere periculi ex editissima turri de stamine imbecillo pendenti, quantum ei, cuius tentata castitas in lubrico sit, atque præcipiti. Idem verò ipse Deus, qui hoc illum dono castimoniæ insigniuit,eundem etiam, hoc sensu de hominis imbecillitate, eius tuendæ rationem edocuit. Quandoquidem nihili tui fontes ante paucos dies diuinum tibi Numen ostendit, tuique periculum tale sumpsisti, qui poteris vnquam lapsibus aut alienis offendi, aut à proprijs non cauere? Cauit proinde semper, ne solus cum fœmina vsquam esset; quòd si quampiam salutatum iret, non ante sedebat, quam sella daretur & socio. Quoniam verò cum pijs fœminis agere sæpiùs consuerat, solertiùs etiam ab his cauendum esse dicebat: persæpe enim spiritualis amor exorbitat, ac degener in profanum migrat, velut vinum optimum mordacissimum desinit in acetum. Id verò non ante fit palam, quàm voluntates tam arctè inter sese coierint, vt quanquam ægrè, cum gemitu, à Deo tamen, quàm à sese malint auelli; ne se ipsi offensos habeant, aut contristent; quod ab se immeritò, ac iniquè fieri arbitrantur: ac tum stygius hostis subit, ignem suscitans, eosque simul mancipans, & obcœcans. Quin etiam solus secum ipse cum esset, cubitumque iret, aut surgeret, inter deponendum, sumendumque vestes, cauebat, ne in nudam vllam sui corporis partem aspiceret; addebatque, illud etiam accurandum esse, quo quis positu, quàmque modesto, ac religioso cubet. Etenim, nisi nulla in religiosis viris patiendi cupiditas est, quid vspiam leuius cuiquam sese ad perferendum obtulerit, quàm integra valetudine seipsum, noctu, nec immodicè grauatum lodicibus, non detegere per æstatem? Qui verò in ardentiore febri, omnium aspectu remoto, hanc modestiam tuebuntur, nisi vsu prius in eius sese morem induerint?

§. II.

§. II.

Eiusdem Paupertas.

SAnctissimæ Paupertatis amantissimus Baltasar fuit, eam vt imitaretur, quam Christus coluit; de qua, vti dicemus, sensit altissimè: ac persuasum illi erat, religiosæ vitę summam in ea sitam esse: dicebatque propterea; Nemo puluerem in oculos sibi volens inijciat; neque sibi de sensis, illustrationibus, illecebrisq; animi blandiatur; nisi amarulentum hoc Paupertatis Euangelicæ ferculum, læto vultu deglutiat. Eam porrò à se amari tunc sentiet; cum comites ipsius, famem, sitim, frigus atque contemptum eodem etiam amore complectetur: quærenti enim honorem in vestibus, & fugienti contemptum, cara illi Paupertas non est. Neque rursum Paupertati studet, qui sitis impatiens, illicò, brutæ instar pecudis, ad eam restinguendam fonte festinat. Quisquis verò nihil deesse vult sibi, isque numerum se putat religionis implere, hallucinatur egregiè. Ad hanc verò normam rationis sanè rectissimæ suam Baltasar pauperiem exigebat: quicquid enim deterrimum in cibatu, vestibus, cæteraque cubiculi supellectile foret, illud ipse sibi præsumebat. Quin ipso in Sacrario sacris vestibus cæterarum, quæ parabantur, vilissimis amiciebat sese, ad rem diuinam faciendam: namque in id etiam vanitatem, curiositatemque insinuare sese affirmabat.

Nihil propterea vnquam ab ijs, quibuscum agebat, nobilibus fœminis petijt, aut accepit: idque, tum vt paupertas esset integrior; tum ne religiosæ suæ, sanctæque libertati officeret, ijs sese mancipans, quorum vincula cum ipsorum donis indueret. Atque, vt inquit Hieronymus, quanquam communes homines succensêre videntur, cum data ab ipsis munera respuuntur; pluris tamen alio nomine illum æstimant, qui ea refellit: ingens enim vis est veræ, sanctæque Paupertatis. Vestes nunquam induit nouas: sed ijs amiciri alium quempiam ante sinebat; ac tum obsoletas ipse, detritasque sumebat. Ipsis etiam calceis, non nisi postquam eum, quem à nouitate nitorem habent, aliquorum dierum vsu infuscasset alius, vtebatur. Quas habebat, etsi habendas, habitasque plurimi pias cohortationes, vt mundæ papyro parceret, eas in epistolarum inuolucris exarabat. Eiusdem in cubiculo quædam & necessaria desiderabantur. Cum enim illi Sacrorum Bibliorum Concordantijs opus esset, malle se dicebat, studio Paupertatis, aliquot progressu passuum, communem Bibliothecam adire, quam apud

apud ſe id commodi retinere. Nullum illi ſedile aliud, quàm ſcabellum, aut ſella vndique inermis. Adeunti verò ſe cuipiam ex Dynaſtis comi ſuauitate dicebat, Sede nunc Domine, tanquam in domo pauperum, in hoc ſcamno; domi enim tuæ meliorum, molliorumque ſedilium, in quibus tibi poſſit eſſe commodius, ſatis habes, ac ſuper. Eoque exemplo eiuſmodi Viri recreabantur magis, quàm ſi cubiculum auguſtis inſtructum ſedibus inueniſſent. Methymnæ ſemel, eleemoſynæ causâ, tectam holoſerico ſellam dono dedit ipſi nonnemo: cui Baltaſar, à ſe illam in loco domus honeſtiſſimo collocatum iri dixit: eamq; deportari iuſſit in culinam; vbi tandiu ſeruata eſt, donec illam denique cõſumpſit caries,& vetuſtas. Eo nempe conſilio, vt, qui ſuam ibi operam commodarent coquo, Tyrones, ex eo aſpectu condiſcerent diuerſa ſapere, quàm Mundi ſolent amatores & aſſeclæ: eaque in poſtremis habere, quibus ipſi dant primas. Curioſas etſi pias res, puta pretioſas Sanctorum imagines, Lipſanothecas, precarias coronas, ſimiliaque horum alia, habere, aut geſtare ſecum horrebat: eorum quippe amor animos ſæpe hominum Religioſorum irretit: cuius argumentum rei eſt, quòd cum tale aliquid ijs adimitur, aliquâ repentè ſolent impatientiâ commoueri. Atque vt vt, muneris largiendi nomine, malit ea quiſquam habere; eo tamen onere, moleſtiaque carere ſatius eſt, vt vnum in Deum noſter animus quietem ſuam omnem,ſolatiumque reijciat. Quare,cultores Paupertatis, qui ſuis ſibi vltrò commodis interdicunt,experimentum aiebat eius in ſe capere Dauidici dicti, *Renuit conſolari anima mea: memor fui Dei & delectatus ſum*: Eos contra, qui commoditatibus ſtuderent, hoc monitore deſtitui, qui ipſis de Deo memoriam refricet; vnde & ipſorum animi cæleſtibus delicijs imbuantur. Atque id inde conficiebat, Dei amorem, in eiuſque prouidentia ſumma fiduciam, Paupertatis præſidium eſſe compendioſum, & efficax. Deum quippe verè, ac intimè diligenti nihil deeſt: non eò ſanè, quòd aggeſtis domi bonis abundet; ſed quòd eius animus illorum cupiditatibus careat: nihil enim eorum, quæ in foro veneunt, cupienti, expoſita illic omnia, veluti ſuperuacanea, otioſaque redundant. Cuius in Deum germana caritas eſt, amorem ſuum ab alia re quacunque conuellit; eumque in hac vna defigit; qua ſola vt locupletior fiat, cætera omnia, illius ergo, commutat. Et verò fruſtulumne panis ei largitas Diuina negauerit, qui nihil eſurit, niſi Deum, cuius illud eſt, *Quærite primùm regnum, Dei,& juſtitiam eius,& hæc omnia adijcientur vobis*? Aut ſecus habeat ille animo perſuaſum,qui diuinæ pietatis viſcera rimatus ſit;intelligatque artes ac vias, quibus ab amore terrarum illos Deus expedijt, quos

Pſal. 76.4.

Aug. ep. 109. Melius eſt minus egere, quam plus habere.

ſuo aptos obſequio deſtinauit? Timeamus igitur, amemuſque
Matt.7.33 Deum: vt enim cecinit Pſaltes, *Non eſt inopia timentibus eum*.

§. III.

Eiuſdem Obedientia.

OBedientiæ plurimum tribuebat, eamque Dei lucem eſſe affirmabat indubiam, quâ ex animis hæſitationum omnium nebulæ diſſipantur: illã enim regulam Deus ſtatuit in re omni certiſſimam, à quâ ipſius abſit offenſa, voluntatem ſuam ſententiæ, atque imperatis agentis nobiſcum hominis aggregare; curâ in illum ſui reiectâ; eâ interim fiduciâ, fore, vt per illum Deus ipſe nos regat. Quanquam verò ſæpe contingit, alijs eum eſſe, litteris, virtute, experientia poſteriorem, non ideo tutum non eſt illius imperata facere: obſequendi namque ſecuritas, non in eius, qui præeſt vel ſapientia, vel probitate, vel alijs dotibus ſita eſt; ſed in eo, quòd Deus ipſe ita voluit, ac præcepit. Quemadmodum, quòd ſacram in Frugem ipſe ſuccedat, non id à facientis probitate, ſeu pietate pendet; ſed quòd ita voluit, inſtituitque corporata Diuinitas. Itâ cum idem ipſe eam tibi mentem afflauit, vt in Religioſa familia illius Moderatori vltrò te, Deí causâ ſubmitteres; norat ipſe profectò fore quandoque, vt tibi Præpoſitus exiguæ virtutis, illiteratuſque obueniret: & tamen illi ſubeſſe te voluit: eam quippe ineruditionem, imperitiamque nouit ipſe ſic regere, vt obſequentibus non modò non obſit, at proſit: ipſiuſque nutus, atque imperium ſpiritualium opum vena ſit, & origo. Quiſquis verò alios ab alijs excipit ſibi Præpoſitos: atque huic quidem, non item illi ſe ſubijcit, obedientiæ certè ſuſpectus eſt; non ſecus ac ille, fidei, qui auream coleret, non tamen ligneam Dei pendentis imaginem; cum colendi ratio vtrobique ſit eadem.

Inde verò conficiebat, inter maxima Religioſæ vitæ bona, obedientiam eſſe, atque notionem hanc certam in omni re vel tantula diuinæ voluntatis: neque vllam eſſe viam Samariâ ad Iordanem veſtibus, vaſiſque refertam adeò pretioſis, quàm Obedientiæ ſemita præſtantiſſimis eſt conſtrata virtutibus. Vbi verò, quid ſit, à Deo regi, ſemel animus ſenſerit; obſequelam, ex qua in ipſum tantum boni redundat, in pretio haberi tunc incipi: intelligit enim quantis per eam honoribus, opibuſque, atque pijs virtutum quæſtibus augeatur à Deo, à quo vocatus, impulſuſque eſt, Dauidis
Pſal. 23. num. 1. oraculo aientis: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco paſcua*

ſcuæ, ibi me collocauit. Super aquam refectionis educauit me, animam meam conuertit; deduxit me ſuper ſemitas iuſtitiæ.

In hac veritatis baſi ſuam Baltaſar obedientiam, eiuſque ſolatium, & commoda ſtatuebat. Ab ipſo ſuæ Probationis exorſu ſtudioſiſſimus in paucis illius fuit; imitatus in ea Sanctorum Patrum exempla, manum, ab inchoata litera ſubducentium, vt è veſtigio, quò vocabantur, accurrerent. Quem in omni vita morem obſequendi retinere, gloriæ ſibi duxit: maximè inurbanum ratus vnius momenti morulam ſerere, dum auſcultemus, vocantique Deo reſpondeamus. Præpoſitus verò in communibus obedientiæ muneribus obeundis cæteros anteibat. Ad aliud item Collegium cum hoſpes diuertebat in tranſitu, eius erat Moderatori perobſequens. Sacris aliquando extra domum operari cupienti, ne id porrò faceret, Moderatoris nomine denunciatum illi eſt: paruit ille confeſtim, ne vno quidem verbo repugnans: cum eius imperati faciendi, præter vnam imperantis voluntatem, nulla appareret cauſa, nec eſſet. Prouinciæ ſuæ Viſitatori ſemel, iterumque in rebus ſanè perarduis, quæque ipſius honorem, animumque pulſarent, ſtudio, vti ſuo loco deinde docebimus, obſecutus eſt ſummo. Eos aiebat, qui ſeſe Obedientiæ mancipaſſent, priuilegio poſſe ingenti quodam gaudere, ſi vellent: rem nempe nullam, dum viuerent, admittere, vel dimittere, ſua ipſorum voluntate, ſed Dei. Qui ſanè theſaurus eſt ingens. Quòd ſi quemquam hæc cogitatio diſtrahit, quas in quæ diſtribuat horas, is in hunc modum occurrat ſibi, dicatque. Iamne non eſt tibi ſolatio, quâ Deus velit horâ te ſurgere? quibus vti veſtibus? quo ali cibatu? In cruciatum vltimum conuerſa eſt ſumma voluptas: *Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus?* Quis tibi libero catenas induxit? idem profectò ſpiritus, qui te olim ab errorum plagis expedijt, ad hunc vocauit viæ, vitæque theſaurum: iamque tu illum parui facis? Paulum Deus ad Ananiam miſit, tecumque id ipſe non reputas? *Quomodo cecidiſti de Cælo Lucifer, qui mane oriebaris?*

Threm. 4. 1.

Iſa. 14. 12.

Eam in rem Raphaëlis ad Tobiam verba perpendebat, cum, quæ immortalis diuini Regis Accenſus obſequia mortalibus tàm accuratè præſtiterat, defixos omnes admiratione tenerent: *Cum eſſem vobiſcum, per voluntatem Dei eram*. Atque inde conficiebat, nullum in domo Dei munus eſſe humile, ac deſpectum: deque ſe ipſe in piorum ſenſuū autographo affirmat; Meam ego felicitatem in eo conſtituo, vt meâ Deus operâ vti velit in deſpicatiſſimis Ordinis noſtri muneribus. Vbi enim promeritus aliquando fui, vt ſui me obſequij rebus, lateritio licet operi, Imperator Cæli ſummus adhibeat? Id equidem tanti æſtimo, vt nullum adeò humile, ſordidum-

Tob. 12. 18.

„ didumque ſit munus,cuius ergo,ſi me Deus illo occupatum velit,
„ omni alia voluptate carere non peruelim. Cuius operâ vti vult
„ aliquis, eidem ſeſe ipſe dat mancipem: Quid igitur contingere
„ nobis poſſit excelſius, quodque noſtros animos tam arctè con-
„ ſtringat, quàm illud audire, Deum, nobis vt debeat, noſtrâ ope-
„ râ vti velle? Adhæc illud etiam alibi. Quid in Concionatoris
„ munere magnum eſt, ſi Deus id nolit? Quid rurſum in coqui hu-
„ mile, ſi Deus hoc velit? Quid habet illuſtre ſolitario ſe in angulo
„ continere, ſi ea res grata Deo non fuerit? Quid contra obſcu-
„ rum, exire illinc in publicum, ſi probetur hoc Deo?

Vetabat eum, qui ſub obedientia eſſet, perputare ſecum, quid cras de me fiet, aut agam? Eſt enim parata reſponſio: quod iu-
„ bebor, id peragam: quod Deus volet, id fiet. Aitque propterea,
„ Mearum rerum omnium ea ſumma eſt, atque compendium, tuæ,
„ mi Domine, obſequi voluntati: Indulge tu tibi; meque habeas
„ vel in Cruce: age me, atque circumage, tua conſtanter tamen
„ iuſſa expeto, & expecto. Quòd ſi in omni vita curſitandum mihi ſit iugiter, id mea & voluntas ſemper, & voluptas erit. Aiebat id porrò Baltaſar, quia tunc itiones ipſi ſubmoleſtæ erant; quòd & imbecilla valetudine vtebatur, & de interni ſeceſſus iactura pluſculum metuebat. Obedientiæ tamen arbitrio ſeſe omninò permiſit, contra ſui animi pugnam obnixus: ſummæ ſibi gloriæ ducens ſeſe planè ac penitus triumphare.

Hinc porrò illa erat eius animi quies, quocumque in loco, ac munere ipſius operâ Præpoſiti vterentur. A Salmanticenſis Collegij, ad Villagartienſis, modico in Oppido, gubernacula miſſus, occuluit ibi ſeſe animo perlubente, vitam omnem inibi cupidè exacturus, ſi diuinum de ſe Numen ita conſtitueret. Oportere enim dicebat, fugiant Religioſi Viri permutationem locorum, ac munerum, quibus Obedientia eos addixerit: verborum memores, quæ Ioſepho in Ægyptum proficiſcenti diuinus ait Interpres, *Eſto ibi, dum dicam tibi*. Idque eò, quia excelſius occupare faſtigium nemo poteſt illo, in quo ſeſe non collocarit ipſe, ſed Deus. Suam igitur voluntatem ſtudeat quiſque meliorem efficere; eueniéntque ex voto tunc omnia: in quem illud etiam cadet: Beatæ aures, quibus Obedientiæ vox dulcis eſt.

In rebus verò laborioſis, & arduis, quibus defungi à ſibi Præpoſitis iubebatur, imparem licet ijs ſeſe putaret, non tamen ani-
„ mum deſpondebat; aiebat enim: Ex ijs, in quæ Deus Religio-
„ ſum virum induxerit, eum ab ipſo educendum eſſe cum lucro;
„ ſique maiora viribus onera eidem imponat, id ſuum in onus ip-
„ ſum recipere, ſuppleturumque de ſuo. Quòd ſi ignarum iubeat &
„ in-

„ infantem loqui, erudire illum, partibus ab eo suis adscribi. Per-
„ uelim sanè prouinciam à Deo mihi meis maiorem viribus de-
„ mandari; eo enim nomine, illas ipse mihi deberet, pro suo mu-
„ nere, impertiri. Quare pro tuo, Deus, imperio mitte me ad
„ concionandum hac hora: iam nunc aliâ, vel aliâ viâ, vt vt colli-
„ bitum tibi fuerit, tuam opem expecto. Itaque ad quæcunque mu-
nia ex obedientia aliquis destinetur, quibus obeundis deesse sibi
litteras, prudentiam, auctoritatem, robur existimet, vbi se mini-
mè aptum ad ea esse professus fuerit, animo ne cadat; sed, *Reue-* Psal. 63 5.
let Domino viam suam, & speret in eo, & ipse faciet. Quod vt cer-
tius habeat, perputet secum ipse *prudentiam*, quà Dauidem im-
buit Deus *super inimicos suos; scientiam super omnes docentes eum;* Psal. 118.
& intelligentiam, siue experientiam, *super senes*: auctoritatem qua 91.
Iosue insigniuit, Moysis Ducis tanti loco, ac muneri subeun-
tem: quemadmodum animum mutauit, roborauitque Saulis, vt
cum Regia maiestate, Regumque sensibus loqueretur. Spectet item
conciliatam Iosepho dignitatem apud Pharaonem, quem ipsi,
vniuersique Regni Optimatibus ac Dynastis omnibus Magistrum
dedit: lucem è Cælo, sapientiamque, qua Danielem supra omnes
auxit, quos ex filijs Israël Nabuchodonosor sibi astituros, adlegit;
modum præterea, quo vsus est, vt eius socij, sodalesque in eam ex-
crescerent sapientiam, quæ ministerio, conspectuque regio digna
foret.

Adhæc verò consequenter aiebat, permultam esse in agendo
cum proximis securitatem, cum id muneris ex imperio Præposi-
torum obitur. Quòd si quis, parendi studio, perditissimas fœmi-
nas, ad illas Deo lucrandas, adierit, cum ijs agens cælestis instar
spiritûs cogitationes versabit mente mundissimas: contra verò, si
suo se cubiculo, arbitrio dumtaxat propriæ voluntatis, incluserit,
„ eius illic animum impurissimæ infestabunt imagines. Haud equi-
„ dem, dicebat, intelligo, quî tutus esse quis possit, si se ipse à Dei
„ voluntate seiunxerit. Quæ enim securitas ibi sit, vbi Deus non
„ est? Quod & Bernardus aiebat: *Quando benè erit sine illo? aut
quando malè cum illo?* Suo item experimento compererat, etsi con-
traria ijs, quæ Obedientia mandaret, meliora fore nonnunquam
animo obuersabatur; obsequendo tamen apparuisse semper rectio-
ra, ac tutiora ea fuisse, quæ Obedientia imperarat. Illam adeò,
Dei viam, atque consilium appellabat. Quibus verò alicubi deerra-
re Obedientia videatur, illud ijs ex diuino codice memorandum,
Iustus ex fide viuit: quodque ipsi arcanum assequi perscrutando 1. Rom. 1.
non possunt, id esse mysterium fidei. Fausta proinde eueniunt illi 17.
omnia, qui fide integra, animoque submisso obedientiæ auscul- 1. Tim. 3. 9.
tat,

tat, inopportuni licet, atque alieni quandoque modi videantur. Quamobrem eius animo arridebat in primis, quod ab huius Moderatore Prouinciæ dictum ipsi quandoque fuit; misso nimirum ab Vrbe decreto per litteras, quo explicatè, certòque illud agere iuberetur, videri sibi Cælum quodammodo reserari, animumque suum lætitia ingenti perfundi: cùm verò edicebatur, rem ipse perpenderet, atque ex animi sui sententia deinde decerneret, tunc cogi se in angustias.

Videbatur sibi denique arcanam nescio quam Dei manum aspicere, sua omnia Obedientiæ nutu mouentem, dirigentemque. Eamque in rem mirifica quædam ipsius sensa erant, ac dicta. „ Nullâ viâ, mi Iesu, possum esse tam tuus, quàm quâ meus esse „ desiero. Fidem suam iuramento Deus obstrinxit, illi se incre- „ menta daturum, cuius in obediendo explorata sit fides: dictum- „ que propterea est de obsequente Abrahamo, *Non est inuentus simi- „ lis ipsi, qui conseruaret legem Excelsi: ideò iureiurando fecit illum Do- „ minus crescere in plebem suam*. Ecquid habet incommodi, Obe- „ dientiæ causâ, ijs abstinere, quæ nos delectant; ea verò sumere „ quæ auersamur; nisi quòd merita inde nostra cumulatiora pro- „ ueniunt? Obedientia, iugis crux est, nostrarum cupiditatum mu- „ cro; vena vitæ, fons aureus. Neque verò perparum in eo est „ boni, vel mali, ex Obedientiæ vel nutu facere, vel renutu; eius „ enim res perpetuò nostris versantur in manibus. Quemadmo- „ dum Moyses Pharaonis, ita & Præpositus, Deus est obsequen- „ tis: qui propterea inquit, *Sonet vox tua in auribus meis*, vox enim „ Obedientiæ dulcissima mihi est. Hæc Baltasar. Tum alia permulta horum similia, insignia certè sublimiaque de hac virtute sentiebat, & affirmabat. idque perspicuum magis fiet, cum agetur de summo ipsius cum Dei voluntate in omni re, & vbique consensu.

Eccles. 44. 7. plebem

CAPVT SEXTVM.

Sacris initiatus piè quotidie Canonicas horas recitat, diuinamque rem facit.

CVm, & tam sedulò, impensèque Baltasar ageret in processu virtutum; & ad proximos iuuandos, idoneis dotibus videretur instructus; perductis iam ad exitum studijs litterarum, anno post initam Societatem tertio, adscriptus est Ordini Sacerdotum: nouoque hoc titulo, noua etiam incrementa fecit pietatis, cõsuetu-

dinisque

dinisque cum Deo: cuius quotidie excipiebatur ad mensam. Siquidem verò sacris Ordinibus pensum adiunctum est diuini Officij recitandi, id & quàm diligentissimè studuit semper absoluere, & rebus gerendis omnibus, ac sese cateruatim quandoque obtrudentibus antetulit. Quanquam verò Societas nostra Psalmodiam in Odæo canorè non exequitur, stato tamen tempore, cunctanter, quietè ac seorsim, vt omnem animo euagandi ansam eriperet, preces horarias peragebat. Nunquam autem vel obiter, vel inter deambulandum, quin immo permultos annos, in medio cubiculo, flexis genibus, diuinas hasce laudes exegit. Sicubi verò, inualetudinis causâ, eo corporis habitu id præstare non poterat, aperto capite, nulloque reclinis, innixusúe fulcro sedebat: extima quippe reuerentia pietatem internam iuuat: quam vt in se excitaret, aiebat:
„ Reputabo mecum ipse subinde, qua forma suo Regi beatissimæ
„ in Cælo mentes assistunt; conscientiâ quàm mundâ, reuerentiâ
„ quàm profundâ: meque deinde ipse conspiciens, pudore suffun-
„ dar, quòd, cum ea desit mihi munditia, adhuc in me reuerentia
„ desideretur. Illud etiam meminero, quod apud Iobum effatus est *Iob. 41. 3.*
„ Deus; *Non parcam ei & verbis potentibus, & ad deprecandum compositis*. Compositè siquidem, castigatèque precari (quod Gregorius sapienter docet) non à verborum habetur quæsita, elegantique structura, sed à feruenti gemitu, in quem animus exardescit. Solus etiam ferè, nemine alternis subeunte, recitabat: vt & diutius cunctari, atq; interim eos sensim, & sine arbitris gustare sensus posset, quos illi propinaret Deus. Ex ijs verò, quæ in pijs cohortationibus ad solidum profectum delibabat ex Psalmis, de earum illustrationum præstantia conijciebatur. Crucis etiam salutari signo cum muniret sese, eum ritum accuratè, reuerenterque exequebatur. Dei nempe afflatu persensit, sibi mysterium illud conceptâ verborum formulâ vsurpanti, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, benedictionem à Diuina Triade impertiri; eiusque nomine illo se muniebat.

§. I.

IN faciendo tamen Sacro ipsius pietas elucebat in primis; ad quod omni se studio comparabat: munditie animi, crebro conscientiæ suæ per diem examine; præsumpto etiam ad colligendum se spatio temporis, antequam sacrificatum iret. Litabat porrò quotidie, plurima ipsum licet negotia, & impedimenta distringerent, vel ipso in itinere: quamuis facturus ea propter alicuius commodi iacturam, siue aliquod etiam subiturus esset incommodum. Quid

& pro-

& proficiſcenti Romam euenit; profectus, enim reuerſuſque per Galliam, perque infecta ibi hæreſibus loca, nullum tamen vnquam diem ſine hoſtia immolata præterijt. Lentè verò faciebat, ac diù, tanto modeſtiæ, ac pietatis exemplo, vt eorum etiam qui aderant, vultibus, animiſque ſenſus ſimiles pietatis afflaret: Atque ex Socijs nonnemo confeſſus eſt, ſe, cum ſui eſſet iuris, ad nomen Societati dandum fuiſſe permotum ex aſpectu pietatis, modeſtiæ, grauitatis, qua Baltaſar & Sacrum, & maioris hebdomadæ myſteria ſacroſancta peregerat. Alia etiam, cui acies perſpicacior fuit ad videndum, (ea fuit Beatiſſima Mater Tereſa IESV) cum ſacrificanti ſemel intereſſet, per omne diuinæ rei tempus Baltaſaris caput fulgidiſſimo diademate redimitum aſpexit: indicio ſanè non dubio pietatis eius, caritàtiſque intimæ, qua ea inter miniſteria æſtuabat. Solus etiam quandoque, immò & frequenter, ſecretum in ſacellum cum vno adminiſtro operaturus ſecedebat: ſolitoque plus in re diuina tunc tandiu cunctabatur, quandiu menſurâ totâ diuinæ largitatis liquidò frueretur. In ſuis adeò neceſſitatibus, anguſtijs, arduiſque negotijs, pro perfugio, Miſſæ ſacrum habebat: in quo multam illi Deus cæleſtium veritatum lucem, ſenſuſque diuinos, tum documenta, præſidiaque ad ea, quæ vel acturus, vel perpeſſurus eſſet, opportuna ſuppeditabat: Quod & ſuo deinceps loco dicetur. Horum etiam argumentum illud erat, quod vulgò multorum ore in hac Prouincia terebatur; Baltaſarem quandoque ſacris operantem allocutos fuiſſe cuſtodes eorum Angelos, quorum ipſe aut confeſſiones audiret, aut conſuetudine vteretur; à quibus ea edocebatur, quibus egerent ij, quorum ipſe animis moderaretur. Hanc verò de ipſo famam, cum ex Societate nonnemo Baltaſari detuliſſet; atque num ea veritati conſtaret, percontatus ab ipſo eſſet; ipſe verò vehementer erubuit; neque verbo reſpondit: indicio ſanè non tenui, vera ſcilicet eo rumore iactari: ſecus enim, vtpote qui ſubmiſſo erat animo, re protinus eleuata, talia opinantes falli dixiſſet: itaque pro aſſenſu, modeſtum fuit ſilentium. Quare Sanctiſſima Mater Tereſa IESV, ſuo, vti mox dicemus, teſtatum reliquit in codice, à diuina Euchariſtia luce perfundi conſueuiſſe Baltaſarem, quem ipſa à confeſſionibus habebat, vt res cogitationeſque ſuas, nouas atque profundas dilucidè cognoſceret, ac intimè penetraret: illud innuens, ab ipſo Deo, per ſe nempe, vel Angelum, ea illi inter operandum oſtendi. Neque verò mirum, quòd beatiſſimæ mentes, quas myſterio huic ſanctiſsimo frequentes adeſſe Sacrorum Patrum docet auctoritas, ingentis eius, qua tantus hic Sacerdos operabatur, pietatis aſpectu permotæ ipſum alloquerentur, eaque docerent, quæ

Martinus Alarconius, qui Burgis obijt.

Cap. 8

quæ ipse ad Dei gloriam expeteret: eumque inflammarent ad rem tantam, eâ, qua decet, dignitate, ac sanctimonia pertractandam. Atque hinc fortè præcipua illa eius erat in Custodes Angelos pietas: inque illum maximè (vti scripto ipse tradidit) à quo diuinum Altaris sacrificium Deo defertur: de quo in Missæ Canone dicitur *Iube hæc perferri per manus sancti Angeli tui*: siue is quisquam eorum sit, qui destinatò astant illi mysterio, causâ tum honoris, qui Deo illic existenti debetur; tum auxilij, quò reuerenter, ac piè res tanta peragatur; cuius etiam partes sunt, vt in Apocalypsi habetur, afferre Deo dona, *orationesque iustorum*: siue ille operantis Custos ipse sit Angelus, ei tunc vacans impensiùs, vt hæc ipsa erga illum præstet officia. *Apoc.* 8. 3.

A Sacro statim semihoram minimùm, attentæ, piæque gratiarum actioni dabat; in qua, vt ipsius indicant scripta, crebriores hauriebat sensus, illustrationesque diuinas, quibus donatum se post Sacrum affirmat.

Ex his in rem nostram aliquas dumtaxat in præsentia proferemus. Et primò quidem ipso Epiphaniæ die; Absoluto, inquit Sacro horum Regum felicitatem animo volutabam: quam & mihi dum expeto, satisfactum hoc mihi responso intus audiui; Illum ij coluere, at tu inclusum geris. Quasi diceret; Tua potior est felicitas, æuique nostri Iustorum, ac Sacerdotum, qui Seruatorem Deum non adorant modò, sed ipsum verè sumunt, & in sacro ferculo secum ferunt. Id verò quandoquidem ritè omnes, vt decet, sanctèque non præstant, alium ei sensum afflauit in ea eiusdem diei Euangelij verba. *Ecce Magi*. Mirum quòd opulenti sapientesque Reges Deum inquirunt! mirum! quæ porró tanti causa miraculi? Idola nempe ruant oportet, si Dei Arcam, eo, quò prosit, modo velit quisquam excipere. Honor in nobilibus, deliciæ in diuitibus, in sapientibus tumor, affligendi solo sunt, quorum nimio tenentur amore; & à quibus ne se ipsi diuellant, Dei potius Arcam abs se abstinere, arcereque constituunt; idemque quod Philistæi olim aiunt, *Non maneat Arca Dei Israel apud nos, quoniam dura est manus eius super nos*. In quæ verba causas illi Deus explicuit, cur perplures homines, clari maximè, opulenti, ac voluptarij, viuam noui testamenti Arcam diuinissimæ Eucharistiæ inclusam seu grauantur excipere, seu perparum ex ea excepta proficiunt: sui quippe cordis in ara Idolum Dagon, hoc est, mortalia ac fluxa, quæ intemperanter, atque peruersè amant, constitutò volunt, ac mordicus retinere: quæ nisi euersa in humum corruant, ijsque caput & brachia mortificationis gladio præcidantur, quò fiat, vt eadem quæ prius consueuerant, cogi- *Matth.* 11.

tare, loqui, ac factitare non audeant, Arca hæc non sua illa miserationis diuinæ, sed iustitiæ potiùs opera exequetur: irrogatâ scilicet mulctâ, ariditate, tenebris, cordis duritie, alijsque animi deserti languoribus; dum aut ipsi se corrigant, aut obduratâ iam mente, Arcam à sese repellant; rati pergraue atque insulsum, cælesti pane sese crebrò reficere. Quare, veluti Sol idem, atque ignis cœnum obdurat, mollitque ceram, ita qui hoc diuino epulo vescuntur, siquidem cœnum fuerint, obrigescunt; sin verò cera, diuino eius amore dulciter colliquescunt.

Rursum hunc aliàs sensum hausit à Deo; Si animæ vita, sibi, cor-
„ porique, quicum ipsa coniungitur, partibusque illius omnibus,
„ digitique vel minimi vngui, minimoq; sufficit capillorum; quan-
„ tò magis Christi vita, quæ Dei vita est, sibi animoque sat erit
„ cùm illi sese coniunxerit? Hoc verò illud est, quod Seruator as-
Ioa. 6. „ seruit: *Sicut misit me Pater, & ego viuo propter Patrem: & qui man-*
„ *ducat me, ipse viuet propter me*. Dicat igitur hoc refectus epulo
„ animus, Tua, Domine, vita vtrique sufficiet, tua sanctitas, tua
„ potentia, tuæ diuitiæ; Modicum fermentum permagnæ massæ commixtum, illi saporem aspergit: tu inclusus cordi, non idem
„ illic efficies? Eoque indicat, causam, cur in Sacra Synaxi sensus animi obstupescant, eam esse, quòd cum munus illi se ipse Deus impertiat, eo tamen animus non expletur; oculosque ab eo auersos ad teneriorum sensuum, lacrymarumque vota conuertit; atque adeò pœnam iustè, meritòque luit, cum minori fraudatur munere, qui maiori noluit esse contentus. Quòd si dicas eò id à te agi, vt gratiorem illi rem præstes, stultitiam egregiam esse respondet; arbitrari se aliâ viâ ac ratione Deo gratificaturum esse, quàm qua ipse velit; satiusque esse rem hanc omnem diuinæ prouidentiæ permittere, atque interim armis sese patientiæ communire: subijcitque, Deum, cum in animum illabitur, nequaquam relictis domi bonis vacuum aduentare; non misericordibus oculis, non suauitatibus, delicijsque, non potentia, præstantiaque carentem; non denique aridum, exsuctumque, sed vegetum ac florentem; Dei proinde compotem, nullo non bono potiri: optimumque ad obtinenda omnia viæ compendium illud esse, oculos ab ijs auertere, Deumque solum expetere; neque porrò desinere, dum arctissimo tibi
Is. 10. nexu illum adiungas; illudque tunc Dauidis implebitur: *Satiauit animam inanem, & animam esurientem satiauit bonis*.

§. II.

ATque in hunc modum Baltasar complures alios variæ, perutilisque veritatis sensus, diuina re peracta, sua secum mente

te versabat: quæ infra reddentur. Quoniam verò de cælestibus hisce nundinis, eo quo ipsi succedebant modo loquebatur, pro cælestium experimento munerum, Sacerdotes, cæterosque diuino epulo accumbentes hortabatur, ne iacturam eorum facerent; seque ijs à Christo verbis admoneri putarent, *Me autem non semper habebitis*: hoc est, vestrarum in præsentia rerum satagite: neque enim domicilium vobiscum erit hìc mihi perpetuum. Id verò hisce admi-
„ randis sanè rationibus perurgebat. Plurimi semper æstimet, quis-
„ quis cælesti pane se reficit, Dei apud ipsum moram: illud interim
„ primò, attentiúsque spectans, vt diuinam præsentiam veneretur,
„ ab eaque sibi benedictionem efflagitet: habeatque magis apud
„ se animo persuasum, indignos nos esse, quibus suum Deus vul-
„ tum ostendat, quàm vt prolixè ratiocinando, meditandoque
„ tempus extrahat: caueatque ne tam opportunæ moræ, inane dif-
„ fluat vel momentum; quo nempe gaudere datur, & negotiari
„ cum Deo; quod & Ecclesiasticus docuit, *Non defrauderis à die bo-*
„ *no; & particula boni doni non te prætereat*. Id verò eam ob rem aio:
„ quòd permulti sunt, quibus pedes pruriunt, vt aliò inde festinent;
„ lectionis nempe, colloquij, seu ambulationis obtentu, quæ pro-
„ fectò est intoleranda phrenesis. Precationes enim longiores, le-
„ ctionesque piæ quid aliud, quàm clamores quidam sunt, quibus
„ Deum ciemus, inque nostram domum inuitando pellicimus? Quî
„ potest hoc igitur satis intelligi, diu, compluresque annos hoc à
„ nobis expetito munere, post id denique acceptum, impatienter
„ aliò properare? Quid libri doceant, quo nos Sapientia illa di-
„ uina non imbuat? Quas à mortalibus hisce, fluxisque rebus vo-
„ luptates, illecebrasque haurire possimus, quibus nos vena illa
„ inexhausta diuinæ dulcitudinis non perfundat? quam ex aliorum
„ consuetudine sanctimoniam quis adipisci valeat, quâ præstan-
„ tiorem intima cum Deo necessitudo illi non conferat? Quid bo-
„ ni ex pia lectione prouenit, nisi quod nostrum animum afficit er-
„ ga Deum? quid à spiritualibus exercitationibus emolumenti ca-
„ pitur, nisi quòd ipsius Dei in nos amorem inclinant? Hæc verò
„ sequentiũ sentẽtiarum, quibus anima Deum alloquitur, pondere
„ confirmantur. Aeger, Domine, qui non alleuatur tecum, pro-
„ fundè collapsus est: & quæ anima de te non gestit, vnde capere
„ lætitiam potest? Cui tu non es satis, quo pacto non rumpitur?
„ Qui verò illiberali vultu domi te semel aspexerit, tuum ne ille re-
„ ditum poterit opperiri? Teque hospite qui domo exire perurget,
„ eius profectò animus alibi irretitur. Rursum, quem tuæ præsen-
„ tiæ honore ornatum, tecum esse piget, suo cum Deo, suo cum
„ omni, vnicoque bono, quocum agere, summum, ac summa

„ negotiorum est, vitæque huius vsuræ finis, næ ille palam insaniæ „ manifestus est. Hæc verò, similiaque his alia sanctissimi huius viri erant effata, languorem mirantis, ac miserantis eorum, qui diuinam eam hostiam, aut litant, aut sumunt; neque fruendo per otium vacant Deo, quo illic eduli vescuntur.

Huius etiam intimi erga Diuinissimam Eucharistiam amoris argumentum illud erat, quòd in eam vbilibet exhibitam, oculos tam altè defigebat, vt ab eius aspectu nullæ ipsum neque res, neque personæ auocarent: obtutu quippe fidei sub frugis illo spatio latentem Deum certiùs rimabatur, quàm si oculis illum corporatis aspiceret. Ac velut Apostoli, *Cum intuerentur in Cælum euntem* Magistrum suum, *postquam etiam nubes suscepit eum ob oculis eorum*, Cælum tamen, in quo esse iam illum etsi obtutibus ereptum norant, aspicere perstitere, ita Religiosissimus hic vir, qui spectare contemplando Dominum assuerat, auertere oculos ab ipsius sacra fruge non poterat: cuius nube nouerat illum tegi. Eundem crebrò visebat in Templo; diùque, ac noctes etiam integras in preces ibi effusus, Dei assecla summoperè mirabatur solitudinē in Dei domo tantam; tantā esse celebritatem in foro: numerariq; perpaucos, qui suas cum Deo res peragant in eo tribunali, solioque, quod nobis in terris aperuit; eaque propter nobiscum voluit hìc manere. Religiosorum hominum singulari numerabat in munere, quòd ijs Frugem hanc diuinissimam habere domi fas est: quò crebriùs, commodiùsque, quàm cæteri communes, eam diu noctuque possint adire. Illud suis meminit in aduersarijs, inspectis à se aliquando, per tempus orandi, Collegij, cui præerat ipse, cubiculis omnibus (quod Societas nostra solet, vt de omniū precatione sit illi compertum) suum in conclaue perlæto animo fuisse reuersum; quippe qui mediam inter eos diuinissimā Eucharistiam esse perpenderat: atq; illud ipsius mēti maximè iucundum occurrit; Collegium illud imaginem quandā eius præseferre Cœnaculi, in quo rediuiuus Seruator
Ioa. 20. 19. Apostolis sese spectandum præbuit, *Et ianuis clausis stetit in medio eorum, & dixit, Pax vobis*. Atqui sunt & hìc ostia clausa; intus quoq; discipuli; mediusque inter eos IESVS, pacis, caritatisque largitor.

Incrementum etiam accepit hæc pietas ex aliquorum consuetudine, quorum & spectata sanctimonia, & plurimus erga diuinissimum hoc Sacramentum amor: de qua re sermo mox erit. Amicorum quippe est, vbi quis suauem salubremque nactus est dapem, ad eandem alium inuitare, vt suam cum illo participet voluptatem. Eòque asserit in Apocalypsi Ioannes, cum diuinus spiritus,
Apoc. 22. 17. eiusque Sponsa Ecclesia momenti aliquid magni mētibus inijciunt & suadent, *Qui audit, dicat* amico suo, *Veni*, & fruere.

CA-

CAPVT SEPTIMVM.

In ministeria proximorum aggreditur. Ope, monitisque à Deo, vt processus simul habeat in sua perfectione, iuuatur.

CVm Operarij Societati essent ab suo exortu perpauci; messis verò vberrima hominum, erga quos nostra erant plurima, maximaque munera exercenda; Dominum messis enixè rogabant Socij, vt idoneos *mitteret operarios in messem suam*. Quibus cum Baltasarem annuisset, is vbi primùm initiatus sacris est, audire statim confitentes, & agere cum proximis, totus esse in eorum procuranda salute, suæque vocationi nullis non partibus integrè respondere. Atque ea licet ministeria cum iuniorum, nouorumque in virtute periculo pertractentur; quibus id initio contingit, quod & Sponsæ dicenti, *Posuerunt me custodem in vineis; vineam meam non custodiui*: vtpote qui dum alios nimium curant, ipsi se negligunt, spiritum effundunt, pietatem extinguunt, procreatis rebus sese æquo plus implicant; cùm eæ benè vertunt, superbiæ, ac vanitatis, cum secus, desperationis, impatientiæque vento dant vela: Tutiùs proinde proximorum curam ij suscipiunt, qui diu multumque suæ se studio perfectionis exercuere. Ac proinde, teste Gregorio, Seruator Christus non nisi post trigesimum annum, quæ perfectorum ætas est, munus concionandi, alienæque salutis procurandæ suscepit. Inter Societatis tamen nostræ primordia, tum vocationis gratia, tum feruor in illa gliscens latiores hosce terminos contrahebat: Deo tunc quemadmodum sub Ecclesiæ, aliorumque Religiosorum Ordinum exortum, ex Tyronibus, recensque initiatis in virtute ad animarum lucrū idonea perinde instrumenta sibi conflante. Itá post exacta litterarum studia constitutum de Baltasare est, quem scilicet ad hæc munera spiritùs ardor aptauerat; eumque Deus egregijs etiam dotibus, studij, prudentiæ, dexteritatisque ad lucrandos iuuandosque animos instruxit, nullâ sui profectus, eam ob rem, factâ iacturâ. Quin argumentum inde sumpsit, vt ad perfectionis excelsiores gradus illum eueheret, eique præstantiore quadam forma mysticam spiritus scientiam impertiret: triplici nempe viâ, arcanâ mirâque, quam in locis eiusmodi, inire diuina Prouidentia consueuit.

Luc. 10. 2.

Cant. 1. 6.

§. I.

§. I.

PRimùm igitur res ita prouidit, parauitque Deus, vt vbi locorum, ſua præſertim inter initia Baltaſar degeret, ſeu Confeſſarij, Duciſque animorum, ſeu Rectoris, ac Præpoſiti munere fungeretur, ſuæ ſibi curæ complures ſumeret & precationis excelſæ,& ſpectatæ ſanctimoniæ laude præſtantes. Illud enim tunc fit, vt feruore mutuo non minori compendio confitenti Confeſſarius, quàm Confeſſario ſit confitens: & quantum alumnum ſuum docendi dexteritate Inſtitutor iuuat, tantumdem Inſtitutori alumnus exemplo proficit ardoris ſui: geminiſque illis apud Iſaiam ex Seraphico choro ſpiritibus ad Dei laudem, diuinæque gloriæ canticum ſeſe inuitantibus, eſt vterque conſimilis. Sancta enim illa quatuor animalia repræſentant, quæ mutuo alarum percuſſu ad volatum ſeſe perniciſſimum incitabant. Etenim feruida Præceptoris ſancti verba, non ſecus ac flammæ ſunt, quæ feruentis diſcipuli cordi lumen inferunt, & ardorem: rurſumque huius ardens exemplum, inſtar prunarum eſt, quæ incenſum ipſum Inſtitutorem inflammant: Quo ſit, vt accepti, datique vices, ſibi vterque reponant. Adeòque, veluti Baltaſar complurium ſanctimoniam (quod & memorari cœptum eſt, ac perſequemur deinceps) in eminentius multò culmen euexit, ita permultum ex ijs & ipſe profecit, quorum accendebatur exemplo ad precandi, ſuique cohibendi, cæterarumque virtutum ſtudium, quæ in ijs maximè elucebant.

Adhæc, cum illi ſuo Moderatori conſcientiam omnem, quæque in ea clam aguntur, aperiunt, eundem, dum neque id cogitant, docent; eiq; mirificas commonſtrant vias, quibus à Deo animi deducuntur; tum diuina, quæ ijs elargitur, ſuarum munera gratiarum; quæ codex illi ſunt viuus, in quo myſticæ ſcientiæ arcana perlegit, in electorum, vt vt incallidorum, atque ſimplicium cordibus diuini ſpiritus digito exarata. Quamobrem Sanctorum libros ſumere, & verſare compellitur, vt occulta illa, ſcrutando, percipiat; ne ſeu decipiatur ipſe, ſeu creditos ſibi alios errare ſinat. Ita magnos Baltaſar vtroque nomine proceſſus effecit; agendo nempe cum ijs, quos ſua Deus clara, ingentique luce perfudit, potiſſimum verò cum Parente SS. Tereſa Ieſu, cuius precatio, ſpirituſque in tantum excelluit, vt eius enucleandis ſenſibus (quod Franciſco Riberæ, qui Tereſæ vitam ſcripſit, teſtatus eſt ipſe) complures in eam rem ſpiritalis doctrinæ libros legerit perattentè: nec eo contentus, enixè adeò, ardenterque cæleſtem in id lucem à Domino flagitarit: ne quo errore tranſuerſum fortaſſis

taſſis iret, vt eam ſibi denique exorarit; eaque plurimum ipſi contulerit ad varietatem ſpirituum dignoſcendam. Quare illud Eccleſiaſtici impletum in ipſo videtur eſſe perintegrè: *Sapientiam omnium antiquorum exquiret Sapiens, & in Prophetis vacabit: narrationem Virorum nominatorum conſeruabit: & in verſutias parabolarum ſimul introibit: occulta prouerbiorũ exquiret, & in abſconditis parabolarum verſabitur: cor ſuum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum: & in conſpectu Altiſſimi deprecabitur. Si enim Dominus magnus voluerit, ſpiritu intelligentiæ implebit illum: & ipſe tanquam imbres emittet eloquia ſapientiæ ſuæ.* Eccl. 20 1

Tertia hinc exiſtit viæ ratio, qua Deus virtutis Magiſtros, Duceſque conſummat. Vt enim Reges perquàm lectis lautiſque dapibus ali filiorum ſuorum nutrices iubent; quò Regij infantes ſanum; purumque lac ex earum vberibus exugant; ita diuinus ille Rex animorum Ducibus, & Magiſtris ſpiritualia fercula pretioſiſſima, lectiſſimaque inſtruere largiter conſueuit; vt doctrinæ, vitæque ſpectabilis vberrimo, exquiſitoque lacte, ad eos nutriendos abundent: ex Apoſtoli effato dicentis, *ſiue conſolamur, ſiue exhortamur à Domino, pro veſtra exhortatione & ſalute.* Siquidem verò Baltaſari Deus tot animos, & quidem ſibi percaros alendos veluti nutrici tradiderat, *praeuenit eum in benedictionibus dulcedinis*; earumque virtutum, quas in ijs ingigneret, notionem illi cum experimento, ſcientiam ſpiritus, contemplationis donum, cæteraque deinceps memoranda, mirandaque ſanè chariſmata impertiuit. Inde adeò cum initio à proximorum conſuetudine refugus ſubhorreret, orandi nempe diutius, legendi, agendique cum Deo perauidus, eum illicò errorem euulſit, expertus liquidò plus ſibi ſolidi affectus ac ſpiritus ab ipſa proximorum cura, quam Moderatorum nutu ſuſcepiſſet, accedere, quàm ab eo ſolitario receſſu, quem ſuo ipſo impetu tantoperè expetebat. Quare ſuo in autographo animaduertit ipſe, eos, qui iubente Deo cum proximis occupantur, nec fidem domi relinquunt, maiori à Deo pietatis ſenſu, cæleſtique luce perfundi. Quod Regius viſus eſt Pſaltes edocere, cum dixit. *Qui deſcendunt mare in nauibus, facientes operationes in aquis multis: ipſi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo.*

2. Cor. 1 4. — Pſal. 20. 4. — Pſal. 106.

§. II.

PLurimum verò in id Baltaſari contulit ipſa precatio, in qua permultos hauſit à Deo ſenſus, quibus ad proximorum curam, nullâ tamen admiſsâ ſui profectus incuriâ, incitabatur: rationeſque inibi edoctus, ac vias eſt, quibus commodè vtrumque coniun-

coniungeret. Quamobrem excelsam propriamque Societatis vocationem in ingenti æstimatione habere à Deo illic edidicit; illudque diuinæ bonitatis munus, quòd ad hoc animarũ opus Deo sanè carissimum vocatus esset, animo semper gratissimo reputauit. Pio quandoque opere perfunctus, postridie inter matutinas preces Christum Dominum præclaris muneribus onustum aspexit: eumque veluti subuecto pondere fatigatum, exonerari scilicet cupientem: gratumque se alleuanti fore, non obscura indicia facientem; ab eo tamen, etsi maximè cuperet, onus minimè deponi, quippe nequaquam illi vasa, in quæ tam pretiosa munera conderet, suppetebant: sensitque inde suam operam fuisse Deo pergratam; ingentiaque parari bona, mercimonio caritatis: idcircò verò ea ipsi Christum obtulisse se specie, vt ad huiusmodi opera incitaretur ipse; atque ipse vicissim alios inflammaret.

„ Intellexit hoc iterum, proximorum caritatem sacrosanctam „ rem esse; nostrique in Deum amoris, atque erga ipsius diuina „ præcepta, placitaque sanctissima, obsequij argumentum. Eos „ verò, qui diuinis vocibus non obsurduere, quicquid operum erga „ proximos ab ipsis caritas exigit, ex Obedientiæ iussu, animo „ quàm libenti suscipere. Nam quod ijs de se, suisque rebus erogant, Deo se, cuius ergo id præstant, largiri illud existimant. „ Quo proinde nomine opitulari proximis, ac seruire, ijsque mol„ lis instar ceræ præbere sese tractabilem, inita cum ijs consuetu„ dine, sensim ipsis, affatimque dulcescit: à quibus si offensam „ quandoque vllam acceperint, eam cum reposita gratia beneuo„ lentiaque, mitibus verbis, bonoque vultu deponunt: gnari, qua„ les erga proximos ipsi se gesserint, talem fore & in ipsos Deum; „ si dulces, dulcem; si pios, pium: sin & asperos, asperum: con„ stante nimirum solida ipsius verbis fide, ipso etiam experimẽto,

Luc. 6. 38. „ *Qua mensurâ mensi fueritis, eâdem remetietur & vobis*. Oculos a„ deo in proximorum necessitates, velut in pretiosissimas aurifo„ dinas intendunt, quibus ipsorum animi locupletantur; inque „ dies diuinæ lucis quæstus faciunt ampliores. Hoc vbi mihi pa„ tuit Sacramentum absconditum, admirabundus illud veneratus „ sum.

Ne verò inter eas quæ in hac consuetudine solent intercedere, difficultatum salebras animum desponderet, quanto id animi compendio fiat, illum Deus edocuit: Cui latentem ostentans thesaurum in Dauidicis ijs verbis, *Qui descendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis, ipsi videbunt opera Domini*, illud iuxta palam fecit; persuasum cuique id esse oportere, turbatum iri pelagus, cum quis verè in profunda descenderit: propterea enim Psaltes

Psaltes adiecit: *Exaltati sunt fluctus eius, ascendunt vsque ad Cælos, & descendunt vsque ad abyssos*. Quod eò fit, vt clament ad Dominum, euehanturque, non obruantur. Eaque propter Bernardus ait, nauare proximis operam, etsi quid ibi vitiosæ sordis adhæserit, solitariæ tamen orationi, quanquam perpurgatæ, præcellere; aliunde quippe seges abundè suppetit ad incrementa virtutum. Dictitabat itaque, pusillam esse virtutem, dum eius experimentum capiat consuetudo cum proximis: in qua caritas, Christiana humilitas, patientia, castitas, magnis vrgetur, impelliturque ictibus: atque asperitas in ijs, naturæ habitudo & affectiones, aliæ à nostris, dum Dei causâ æquo animo perferuntur, nostrarum prouehunt incrementa virtutum. Ser. 12. in Cant.

At enim eiusmodi consuetudinis pericula ex nostra item imbecillitate progerminant: ingenti proinde fiducia illum Deus erexit de sua beneuolentissima prouidentia, deque ope, quam nobis, ad hæc obeunda munera, elargitur. Quam in rem sensibus subinde per preces erectus est sanè mirandis, quorum per singula ferè capita mentio fiet. Ex his vnum in præsentia proferam, quo ad acquiescendum diuinis consilijs mirificè confirmatus est. Quæ tanta, inquit, dementia est, id tibi successurum esse confidere, in quo Deus tuâ nolit operâ vti? seu contra, quæ res vnquam frustrari possit Deum, cuius ipse agendæ sit auctor, etsi, quibus eam molitur, modi alieni esse videntur? si puer à Ionatha missus ad iactas à se colligendas sagittas, rei dumtaxat faciem aspexisset, dirigentem ad scopum, iaculari tam procul, in amentiam illum incidisse putasset: rei tamen veritate comperta, sapienter ita ex composito iaciebat. Non secus Dei consilia, quæ in censuram quandoque veniunt insciorum, aptissima ac perefficacia in rem propositam sunt: quibuscunque demum modis eam ille moliri constituat. 1. Reg. 20. n. 20.

Precatio denique erat illi pro turri Dauidica, armis ad tuendum, nocendumque referta; quibus aduersum sontes, ac noxios, illæsus ipse, indemnisque pugnaret: Pro specula item, ex qua sua, alienaque ab se, alijsque auertenda pericula prospiciebat: Pro arcano etiam penetrali; in quo agenda cum hominibus, cum Deo transigebat: prouisis nimirum apud Deum ante, compositisque rebus, quas moliturus esset deinde cum proximis: vt & verba sua omnia, & eorum pronunciandorum ratio vniuersa, Dei afflatu, ac magisterio, regerentur; cuius rem esse, animorum negotium affirmabat, idque eius vi, ac virtute prosperè euenturum. Eadem rursus precatio cellarium illi diuinum erat optimi meri, in quo eo ipsum musto Spiritus Sanctus implebat, quo maduerunt Apo-

ſtoli, cùm linguis igneis loquebantur. Atque hinc vis eius erat illa tam ingens in ſermonibus, cohortationibus, litteriſque ſcribendis: cuius verba viuida ſcilicet efficaciaque nunquam vacua reuertebantur; ſed infixa cordibus rem agebant illic, ac peragebant; ſic, vt ij vitam vel improbam extinguerent, vel languidam roborarent. In hunc itaque modum obita cum proximis ex obedientiæ præſcripto munia illum in ſpiritus proceſſu iuuabant: quemadmodum ex materiatis dapibus corporis membra pingueſcunt: quod & illa Chriſti ad diſcipulos ſuos verba indicant, *Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui miſit me, vt perficiam opus eius*, humanæ nempe ſalutis. Eòque D. Gregorij eſtatum ſeriò penſitabat: *Eſca iuſtorum eſt conuerſio peccatorum.* Atque veluti *Aquila* (quæ Iobi ſententia eſt) vbicumque cadauer proſpexerit, expletura famem, eò *volat ad eſcam*, ita feruidus quiſque Iuſtus, vbi vbi occaſio noxios ad Chriſtum traducendi ſe dederit, ad eam dapem, pergratam Deo, ſibique maximè ſalutarem approperat.

Ioa. 4. 34.

Iob. 9. 26.

Iam verò, ne in partem aliam exuperaret, agendi licentiùs, ſolutiúſque cum proximis, illum explicatè Deus edocuit, permulta „ opus eſſe virtute, vt id muneris tutò ſuſcipi queat. Permulta, in„ quit, virtute opus eſt, ne quis perditorum conſuetudine perda„ tur; tot ſcelerum auditu conſceleretur: tanta ſordium tractatio„ ne ſordeſcat: neù genua honoris idolo ſubmittat, cui litatur à „ Mundo. Quòd ſi, ne quid detrimenti quis capiat, tanta il„ lum oportet inſtructum eſſe virtute, quanta opus erit, vt „ proſit ſibi quiſquam, & proximis? Is ille profectò ſit opor„ tet, cui quod voluptarios homines necat, alimento ſit, virus. „ Quod illud Oſeæ docet: *Peccata populi comedent Sacerdotes*. Me„ ritò quidem, ſapienterque Dionyſius, neminem, inquit, in di„ uinis rebus ſine hiſce conditionibus agere Inſtitutorem poſſe: „ Primò, vt ſit Dei conſimilis: Deinde, vt illum Deus vocet ad vo„ landum: Tertiò ne ſuo munere per incuriam defungatur. Quæ „ quidem aſſequetur Chriſto Domino per preces innixus, confi„ ſuſque, ſibi eum, à quo mittitur adfuturum: neque permiſſu„ rum, in ijs perire ſe, in quæ ipſo mandante, aggreditur. Quæ „ verò partes ipſius ſunt, oculis, vt cæleſtia illa animalia, ſit ple„ nus oportet; inconniuenſque peruigilet; neque oculis, linguæ, „ manibuſque permittat habenas: neque ijs ſeſe occaſionibus in„ ferat, quas declinare poſſit: ex his enim, non ex ijs in quas ip„ ſum Deus immiſerit, lapſus exiſtere conſueuerunt. Sub finem „ verò operis rationem omnem rei à ſe geſtæ, quidque in illa pec„ carit, ſecum ipſe diſpiciat, mulctâque in poſterum, remedioque „ prouideat.

Oſeæ. 4. 8.
lib. de Eccl. Hierarch.

CAPVT

CAPVT OCTAVVM.

Dexteritas eius, atque prudentia in iuuandis proximis: & quibus ad id vniuersè præsidijs vteretur.

IVre quidem optimo Euangelicis operarijs illud Christus diligentissimè commendauit, vt in concredito ipsis munere, *Prudentes essent sicut serpentes, & simplices sicut columbæ*: vtroque scilicet iuuandis proximis, nobis indemnibus, pernecessario. Prudentia, dexteritas, sagacitasque sumenda à serpentibus est, in faciendo animorum quæstu; vsu nempe omnium eò conducentium præsidiorum; calliditatis etiam, vbi res postulet; exemplo Pauli, vt eos innocenti dolo capiamus Deo. A columbis simplicitas, mens recta, mansuetudo, humilitas, vitæque innocentia; vt eosdem comi affabilitate, proboque exemplo pelliciamus. Et verò perquàm mirificè Baltasar id documenti custodijt; lux enim hausta inter precandum à Deo opportunas illi rationes, atque modos ostendit, quibus hæc duo coniungeret. Eorumque princeps, ac cæterorum veluti fundamentum illud erat, in proximorum consuetudine rectissimo animi obtutu Deum vnicè, ipsiusque diuinam gloriam, placitumque spectare; nullo temporarij, fluxique sui damni, vel lucri respectu: primarijne, an postremi, clari, an obscuri essent ij quibuscum ageret, pensi nihil habere: sed illud æstimare vnum, ab Assertore Deo cui curæ sunt in vniuersum mortales omnes; omnesque pretio cruoris sui redemit: eos ab ipso impulsos ad sese mitti diuinitùs; Quam animi sui sententiam eo Christi oraculo confirmabat, *Quem dat mihi Pater, ad me veniet: & eum, qui venit ad me, non eijciam foras: quia descendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me*. Affirmabatque propterea, se neque cum pluribus, neque cum alijs acturum, quàm quibuscum agendum sibi diuina destinatione cognosceret: idque, Dei dumtaxat, non commodi sui causâ; Eiusque ad id animum obfirmabat ea apud Malachiam querela: Neminem esse, qui lychnum, ignemque altaris accenderet, lucernamque aut fungosam emungeret, aut suscitaret extinctam: multò minus, qui eo munere *gratuitò* diuini obsequij, animarumque salutis ergo, libenter, ac liberaliter fungeretur. Quare tantus Baltasari candor erat in agendo cum proximis, vt ij per se ipsi cognoscerent, nihil ab eo, præter vnum Deum, in ipsorum consuetudine spectari, quærique.

Matth. 10, 16.

Ioa. 6. 37.

Malach. 1. 10.

Hinc porrò in mores sese omnium, quibuscum ageret, cuiuscunque

cunque demum conditionis essent, ac generis facilè induebat: nullo humilium fastidioso contemptu; nullo affectu mancipante nobilium. Eos adeò detestabatur Confessarios, qui, pœnitentium nomine, honorem aucupantur, & famam: quare spectatos modò, alijs ab se reiectis, excipiunt. Quod spiritualis negotij genus humillimum, atque apud Deum nihili appellabat; Qui enim, ex oraculo Sapientis, *Pusillum fecit, & magnum, & æqualiter cura est illi de omnibus*, neque contemni pusillos vult, neque non vacari Primoribus: non humani splendoris, sed vno dumtaxat studio animorum.

Sap. 6. 8.

Secundum hæc, animi excelsitate præcelluit, affabilis tamen, comisque; beneuolentiæque suæ tam largus erat in omnes, vt illum summi, atque imi enixè, intiméque diligerent iuxtà, & colerent. Vt enim agendi cum ijs vna erat illi ratio, Deus, ita in eandem Dei eminentiam exurgebat, qua telluris magnitudinem sibi subijceret, præ diuina quidem, qua veluti Regis summi fidus, carusque assecla efferebatur, angustam. Proceres verò, quibuscum consuescebat, permulti quidem ij, vt deinde dicemus, eius animi tantam esse amplitudinem cognoscebant, vt se longè infra ipsum positos, minoresque putarent. Atque ita suo ipse commonstrabat exemplo, quod alios edocebat, eos oportere nos esse, vt proximi nostris congressibus immutati reuertantur percutientes pectora sua, dicantque, *Verè filij Dei sunt isti, Cælique spiritu aguntur.* Quod de Baltasare affirmabant omnes, qui cum illo agere consueuerant; nunquam ausi coram de profanis, aut de non sanctioribus rebus inferre sermonem; initium opperientes ab ipso, causâ nimirum & voluptatis ob dicta, & reuerentiæ in dicentem.

Cum hac animi eminentia summam in agendo iungebat spiritus libertatem: neque enim suos in virtute Alumnos imperfectâ beneuolentiâ, cui commisceret se caro, complectebatur; sed amore vno ingenuæ caritatis, ac spiritus, non expetebat illos sibi, sed Deo. Humanarum rerum non modò quicquam ab ijs non poscere, sed neq; ingestũ etiam atq; etiam admittere; ne quid de sua libertate imminueret: nullam cum quopiam adeò addictam, viscosamque familiaritatem inire, vt ea perlitus, aut constrictus animus teneretur: integrâ migrandi aliò, seque ab omnibus auellendi libertate, vbi Præpositorum iussa intercederent: neque insyncerum erga se amorem vllum aliorum admittere: à quibus adeò cum digrederetur, quanquam illi ab ipsius absentia magnoperè angebantur, eius tamen animi sensus indicia palam facere non audebant. Eam etiam ob rem nihil obesse eorum libertati volebat, quò minus alium quempiam Confessarium, animique Institutorem adirent, cuius affatu, & consuetudine capere possent incrementa virtutum:

modò

modò id seu leuitati fouendæ, seu fallendo tempori non daretur. Eos verò Confessarios improbabat, qui æstuant, cauentque, ne, quorum ipsi conscientijs moderantur, ad alium ij quemquam diuertant, liberumque illis esse non sinunt cum ijs agere, quorum ope possent fieri meliores: quod seruitij genus quoddam est, onerisque grauissimi. Eòque suam quandoque sedem ad audiendos confitentes non adibat, vt apud alium noxę liberiùs expiarentur, quas illos fortè sui Confessarij auribus credere suppuderet.

Quanquam verò ardore animi erat ingenti, salutemque proximorum omnium omni studio expetebat, norat tamen, à supremo Rege, cum suos ille intimos in cellam vinariam introducit, ordinari in ijs caritatem; quo fiat, vt quos amoris, ardorisque vinum inebriat, ijsdem ratio atque prudentia moderetur. Quamobrem sapienter, cum pluribus, quàm suo posset indemni spiritu, non agebat. Numeri porrò cura vtique ipsi nulla: sed illud agebat seriò, vt quæcumque vis eorum esset, in ipsis consuetudinis suæ, ac familiaritatis ratio elucceret. Aiebat enim alienum à nostro Instituto esse, dextra, læuaque, quàquà versum proximis operam dare, effuso ad licentiam corde, spirituque profuso; verùm in pondere & mensura; eâque formâ, quæ cum viro constet virtutis, & animi studioso: nihilque sibi de adminiculis detrahat precum, proprijque profectus: non secus atque instrumentum ijs vsibus est accommodum, quibus ipsius acies non hebetatur. Securis enim obtusa si fuerit, diem totum, nihil profectura pertundet; quâ exacutâ, satis, multumque operis dabit vnius horæ labor. Optimus verò quisque Christi operarius non is est, qui populum ad se frequentiorem pellicit; verùm qui, iacturâ suâ nullâ, proximorum, etsi pauciorum animos largiùs locupletat. Studebat proinde impensè, vt, quorum ipse curam gereret, ij, pro suo quisque captu, diuino spiritu implerentur: neminem quippe non idoneum arbitrabatur, qui, diuinorum ope Sacramentorum, meliorem se possit efficere; vitiorum extirpatione, insitioneque virtutum: etsi facti omnes ad secessum intimum, meditationemque nō sunt. Quamobrem nec turbâ, nec illorum vsu delectabatur, qui suo in progressu hærere constituerant; crebro Sacramentorum vsu contenti; quò à noxis lethalibus abstinerent; nullo proficiendi, perficiendique sui studio, & amore. Quo ipsius spiritu, ardoreque probè iam cognito, ab illo scilicet ij facessebant, quibus vires, animusue deerant ad sequendum. Ijs adeò vacabat propensiùs, quos syncerus amor ad excelsiores perfectionis gradus euadendi tenebat: ad quos iuuandos, veluti donis à Deo præcipuis erat instructus, ità & ijs sui laboris plurimum conferebat. Aiebat enim Iudicem

Deum

Deum ſibi eſſe formidini non culpas modò vindicaturum in ſeſe, à quibus eos non auertiſſet, quorum ipſe animos procuraſſet; ſed quæſiturum etiam de virtutibus, quibus ijdem, inſtitutionis ſuæ incuriâ, prædití non fuiſſent.

Eò denique ſuis perſuadere ſibi creditis conabatur, vt in impotentibus animi motibus, cupiditatibuſque edomandis ſeſe maximè exercerent: cui eorum ſtudio ſuam & ipſe curam conferebat; tum verbis, ad coërcendos eos meditatò conceptis; tum rebus alijs, quas ipſi auerſarentur, imperatis: alijs rurſum vetitis, quas amarent. Id porrò ſcitè quàm qui maximè factitabat. Vnumquemque enim in eo vellicabat altiùs, in quo ipſius acrior erat ſenſus, eratque è re plurimum in eo ſe frangere: ſuauiter tamen adeò, & amanter, vt non modò nemo propterea illi eſſet offenſus; ſed eum omnes & complecterentur arctiùs, & collati in ſe boni æſtimatione maiori, auidiùs rurſum adirent. Specie increpantis affatus ita eſt aliquando nonneminem: Si quod in te, id in alium quempiam ſtudij collocaſſem, quantò ille in virtute tibi præſtaret! Rurſum: ne tempus, oro, fruſtra teramus benè operantibus oppidò pretioſum. Eaque in dicente vis erat, vt, illo audito, & compungi ſibi cor, & ad excutiendum torporem, ſeſe quilibet incitari ſentiret. Quibuſcum verò apertiùs hac agendi forma vtebatur, ij erant, quos laxioribus ad perfectionem velis tendere cognoſcebat: ſuam in adſuuandis, exercendiſque ijs operi, operamque conferens cum diuina: precationis enim exercitationes, & actus, niſi & mortificatio adſit, aut præſtigiæ dæmonum ſunt, aut certè non perſtant. Auctor itaque omnibus erat, vt à quo maximè refugerent, in eo ſe ipſi peruincerent: mores aulicos, verborum officia, ſalutationes domi, conſuetudineſque præciderent; in eamque formam ſeſe componerent, quæ pro cuiuſque gradu conſentanea magis eſſet Chriſtianæ humilitati, modeſtiæ, ac decoro. Illudque primùm, vt vbi ſubmiſſionis atque contemptus ſeſe daret occaſio, ibi fortiter animo imperarent, ac linguæ: cum nempe locum eſſe, ex animi veluti ſcrutis, ac ſordibus emergendi: expetendum id porrò, veluti ab exercentibus mercaturam opportunitas omnis augendæ ſortis optatur: Quo paratos illos, alacreſque ad dicta factaque aſpera exorbenda cum voluptate fructuque, nihil detrectando, excuſandoue, ad ipſius ſui triumphati ſpecimen efficiebat.

Neque verò hæc ſcita, legeſque ab ſe ipſe procul habebat; quin ſuo præibat exemplo, non ſeſe modò vltrò compeſcens, verùm & complura peracerba, quæ ex conſuetudine proximorum obueniunt, perlibenter vorans. Obuenire autem ea ſibi gaudebat, vt ſuo excitati exemplo, alij etiam vberes fructus, vnde & ipſe, perciperent.

perent. Eorum verò omnium, quæ hoc memorata ſunt capite, illuſtria ſubijcientur exempla; cum geſtas ab ipſo varijs, in quibus verſatus eſt locis, res præcipuas exequemur.

CAPVT NONVM.

In laudatis virtute permultis magnos Abulæ fructus edit.

OMnium Auctor, Rectorque rerum, *cuius Sapientia attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter*, quemadmodum in omnibus Eccleſiæ ſuæ, Orbiſque vniuerſi Prouincijs, vrbibus, oppidiſque, quid neceſſe mortales habeant, rimatur, ac perſpicit: ſuorumque item operariorum dotes, ac facultates introſpicit; ità illos ſingulari prouidentia ad meſſem animorum faciendam in varia huc illuc loca diſpertit: eamque cuique deſtinat ſedem, in qua & largiores habiturus ſit ipſe proceſſus, & vberiores etiam fructus ex alijs percepturus. Quanquam ex his quandoque alterum, alterum aliàs primò, magiſque molitur. Sic Apoſtolis, poſt illapſum in eos diuinum Spiritum, quibus ſacrum Euangelium diſſeminarent, Prouincias attribuit, cuique ſuam: Romam Petro, Ioanni Aſiam, Hiſpaniam Iacobo, alijſque alia Regna, vrbeſque præcipuas, è quibus fructus vberrimos ſuſtulêre, laboreſque ibidem plurimos exantlarunt: quibus, veluti ſementem fecêre, quæ poſtmodum ſubrogatis illò Diſcipulis meſſem daret. Eadem erga cæteros Euangelij adminiſtros, qui Apoſtolis ſubiêre, Dei prouidentia fuit; eadem in Baltaſarem Aluarez, qui certè non ſine diuino conſilio, ac deſtinatione, ſua cum proximis munia obire agreſſus eſt Abulæ; vbi ad demetendum, maturam ſegetem Deus illi plurimam comparârat. Nouem ea in vrbe annos perarduè Miniſtrum egit. Id enim officij, eiuſque domus, recentis nimirum, adeòque ſummâ rerum inopia laborantis incommoda, illum opportunitatibus omnium, ſuarum oblitum conſulere adigebant: eòque maximè, quia vniuerſum regiminis eius pondus vni ipſi ferè totum incubuit. Per id enim omne temporis duo dumtaxat eius Collegij Rectores dicti, Dionyſius Vaſquez, & Gaſpar de Salazar, alter ſeſquianno, alter nouem dumtaxat menſibus præfuêre regimini; aliò à Præpoſitis, re ſic poſtulante, dimiſſi: ijſque abſentibus Collegij adminiſtratio penes Baltaſarem, Miniſtri tamen nomine, tota fuit.

Ad hæc extrariorum ad nos aduentantium ſacras confeſſiones in Templo, ſtataque ſede, perquàm aſſiduus excipiebat; eoſque, cum ipſorum animi res poſceret, allocuturus conueniebat:

cede-

cedebatque illi tam prosperè, vt à permultis fructus nobiles, spectatosque collegerit: atque ab aliquibus primò, quos Deus præsigni sanctimoniæ destinarat. At enim veluti naui, solertesque discipuli, Magistri sui (quod Paulus affirmat) gloria sunt, *gaudium & corona*; atque argumentum non tenue præstantis prudentiæ, sapientiæ, ac sanctitatis, quibus imbutus is erat, qui eos docuit, ac duxit in eam metam, quam attigêre, virtutis; non abs re fuerit, in argumentum spiritus, perfectionisque Baltasaris, hoc alijsque deinceps capitibus aliquot, memoranda quædã & grandia perscribere discipulorum, qui ab ipso in hoc lyceo virtutis instituti, nobiles edidere progressus. Atqui eos illi tales obtulit Deus tum in Societate, tum extra, vsus ipso tanquam instrumento ad eos consummandos; ipsiusque verbis adiecta vi, vt essent, quemadmodum Ieremias inquit, *Quasi ignis, & quasi malleus*: Quò nempe corda pietatis igne molliret; atque mortificationis malleo dexterrimè elaboraret: quod satis poterunt persuadere dicenda.

Philip. 4. 1.

Ier. 23. 29.

Et primò quidem ea in vrbe Sacerdotum frugi non exigua vis erat, quos coëgerat, adiunxeratque sibi Magister Daza, spectatæ virtutis vir; vt in aliorum procuranda salute, inopumque difficultatibus subleuandis, non intra dumtaxat vrbis mœnia, sed & in omni Diœcesi, sua ipsum ope, operaque iuuarent. Cui cum primum compertum est de sanctimonia, ardoreque Baltasaris, Christiana, qua præditus erat humilitate, Ioannis imitatus exemplũ, qui suos discipulos dimisit ad Christũ, suos & ipse tradidit exercendos, dirigendos, perficiendosque Baltasari: quos adeò hic subinde cogere, diuinisque de rebus tam profundè, ac feruidè alloqui, vt conceptus inde calor dies in ijs plurimos perduraret: suscipiendas corporis voluntarias afflictationes, rationemque vitæ ineundæ monstrare: ijque semel in hebdomada noxias apud Baltasarem, expiare; eidemque omnem cõscientiam aperire. Indeque in optimi, exempli viros euasêre; expertique ipsi indicabant alijs Baltasaris ad regendas animas vim diuinam: quam & familiares ipsius alij persensêre. Eos inter insignis præcipuè vir fuit Augustinus Osorius; cuius ægrotantis confessionem Baltasar exceperat; quem, vt à morbo conualuit, domi conuenit, tantaque vi, ardoreque affatus est hominem, vt peruictum planè, prorsusque mutauerit: eumque ad genus quoddam religiosæ vitæ pertraxerit; pietatis opera in egentes asiduò obeuntem. Is verò deinde, oculis in scamnum, vbi consederant ambo, coniectis, admirabundus dicere consueuit. Prò, si lingua, fandique vis esset huic scamno, vt alta illa, sublimiaque testari posset, eumque spiritum, quo me vir ille Sanctissimus Baltasar allocutus hic est! Francisco

item

item Salſedio, in eum, quò ſe extulit virtutis apicem, opitulatus eſt plurimum; quem Sanctiſſima Parens Tereſa IESV ſuo in codice tot laudibus extulit; Chriſtiani Equitis ab ea nomine ſalutatum; gnarum ſcilicet nobilitatis leges Chriſti præceptis conciliandi: reſectis, reiectiſque ab ſe omnibus, quæ profana inſtituta iuberent, prohiberentque diuina.

Largiùs tamen adhuc profuit Franciſco Gutmanio, Moſen-Rubi Bracamontij filio, præſignis in ea Vrbe Sacelli primo Patrono; qui peramplis Eccleſiæ reditibus, penſionibus, optimiſque ſacerdotijs curionatis præditus, profano tamen habitu incedens, prouentus omnes in equorum, veſtium, aliarumque futilium rerum apparatum, pompamque, cum ingenti notorum offenſione conferebat. Eius animum præpotenti manu perpulit Deus; eumque in virum alium commutauit. Suadente enim Collegij noſtri Rectore Dionyſio Vaſquez, apud quem ſacra exhomologeſi animum expiarat, Clericalem induit habitum; curionatis abdicauit ſe ſacerdotijs; nummis è diuerſis penſionibus non amplius mille retentis; quorum vim ſuos in vſus perexiguam, cæteram omnem præſidijs pauperum tribuebat. Sacerdotum adſcriptus eſt ordini; multoque & pietatis ſenſu, & animi fructu ſalutarem, diuinamque immolare hoſtiam occœpit. Quoniam verò poſt paulò Vaſquez aliò commigrauit, conſuetudinem cum Baltaſare inijt: cuius vt incendebatur verbis, ità maximè ad ea, quibus exercebat ſeſe, pietatis opera incitabatur. Vnus ſequebatur gradientem Puer: domoque aliud omne ſeruitium, mulierum in primis excluſit: effuſus ante in menſam, ciborum deinde coluit parcitatem: totumque hominem munera caritatis habebant: ægrotantibus egenis miniſtrabat ipſe; ipſe, ſiue ad illos Medicum accerſebat, ſiue pro illis eius domum adibat; eorumque vrinam ſub pallio deferebat in vitro, vt quid agendũ cũ ijs eſſet, ex eius obſeruatione præciperet: ſæpeque fiebat, vt vnam, alteramque horam perquietè, dum ille aut rediret domum, aut ſurgeret, expectaret: caritate nimirum in hanc illum patientiam erigente. Cibos ipſe item eiſdem paratos quandoque, crudos aliàs deferebat; adibatque & laniarium, vt carnes egenis ſua ipſe manu coëmeret. Atque à Germani ſui funere, inter eius Aedis ſacræ Canonicos adſcitus, vitæ rationem neque aliam inijt, neque ab ſe ſuſcepta iam officia pietatis abſtinuit: quin auctos ſibi reditus ſolertiore cœpit cura in egentium Cœnobiorum, Noſocomiorum, pudentiumque pauperum commoda erogare: pluresque trecentis quodam anno inopes tantis curauit, aluitque impenſis, vt ipſius prouentuum computata ratione, horum illæ longè modum exirent. Sed pij nimirum animi

H lar-

largitati, largum etiam Deus pietatis suæ fauorem impertijt. Nōnullis etiam afflictatus est morbis, quibus diuinus Artifex solertiore manu in illo perfectionem exculpsit. Et verò Baltasar quanquam inde iam aberat, non deerat tamen per epistolas eam illi opem suppeditare, quam poterat. Quas inter, has illi Methymnæ dedit verbis hisce spiritui, vt tunc erat, ægrotantis accommodis.

Etsi vereor, mi Domine, ne non tua ex inualetudine tantum noris percipere fructum, quantum, qui te illa nunc afficit, Deus velit, solatio mihi tamen fuit ingenti, quòd accepi diù te illa exercitum vehementer esse, & nunc scilicet exerceri. Quamobrem continere me ne rerum quidem, quibus vrgeor, tanta vis potuit, quò minus huius in te animi mei vltrò te per litteras facerem certiorem. Animum aduerte nunc, Domine, tuisque in morbis tenerrimorum in te Dei viscerum pignus non dubitandum agnosce; qui eius, quem amat, culpas impunes abire non sinit: neque porrò satis illi est tuum animum, commiseratione, memoriaque, ac veteris hominis, per iugulatas ipsius cupiditates, interitu, patientis sui Filij cruci esse confixum; sed & ipsa famuli sui membra agi amat in crucem; quò & suæ sit voluntati, & imagini Christi similior, qui de cruce nulla non sui parte pependit. Auidè igitur laboris huiusce, crucisque fructum expecto. At enim plantam suam diuinus colit Agricola: quòd si maiorem tua spe, atque expectatione illa fructum ediderit, eum tu cum egentibus participa. Curabo ipse interim sedulò, vt Socij Patres, fratresque omnes suis apud Deum precibus agant, ne tantæ frugi tua crimina impedimento sint; vt diuina pietas eam tibi, quæ in maiorem diuinæ suæ gloriæ cumulum cedat, salutem impertiat.

Hanc visum est hoc loco epistolam exscribere, tum vt iuge studium, ardensque Baltasaris peregrè etiam degentis cura erga suos in virtute alumnos appareat; tum quòd in ea probi, nobilisque huius viri vitam, atque exercitationes effingit, tribus hisce gradibus ad perfectionem enixi; memoriâ nimirum & commiseratione Dei è cruce pendentis; veteris hominis, prauarumque cupiditatum expugnatione atque victoriâ; ac demum corporis afflictatione, laboriosis primò muneribus erigendorum inopum causâ susceptis; deinde morborum perpessione, cruciatuque, vt ex viuo magis ipsum Seruatoris Christi imitaretur exemplar, ex Apostoli
2.Cor.4.10 sententia: *Semper mortificationem IESV in corpore nostro circumferentes. vt & vita IESV manifestetur in corporibus nostris.*

Percupijt ille quidem nomen Societati dare: datum tamen hoc illi non est: ea enim eius opera erat sanè Vrbi perutilis. Verùm, quo fraudatus voto est, dum inter mortales fuit, eius factus est com-

pos

pos, cum ex hac mortalitate deceſſit. In noſtris enim ædibus animam Deo perſanctè reddidit; noſtro item in Templo eius exuuiæ illatæ ſunt tumulo. Extremis verbis iam iam moriturus inquit, animo ſe eſſe tranquillo, nouerat enim ſe ſe fruiturum Deo. Affirmauitque parens Sanctiſſima Tereſa IESV, eius animam à ſe viſam in cæleſtem gloriam Angelorum manibus deportari.

Hæc eadem forma ratioque Baltaſari fuit agendi cum viris alijs ea in Vrbe præcipuis; eo cuique vitæ genere conſtituto, quod illis pro ſuo gradu magis eſſet accommodum: quod & tam altè illorum cordibus infigebat, vt in eo diutiſſimè perſeuerarent. Quempiam ea in Vrbe ciuem hebdomadarum omnium ſecundâ feriâ, expiatis animi noxijs diuiniſſimam Euchariſtiam ſumere iuſſit: idque ille quatuor deinceps & triginta præſtitit annos, quos vitæ reliquos habuit; nullo vnquam vel omiſſo die, vel mutato: ea nimirum, ac tanta erga ſanctiſſimi ſui Confeſſarij verba fides ipſius erat; indeque permultis ac peregregijs auctus à Deo beneficijs eſt: atque inter humanæ neceſſitatis incommoda, diuinæ prouidentiæ fecit ſanè periculum. Per hyemis enim frigora, quorum vis Abulæ deſæuit aſperrimè, cum in abundante familiaribus domo, ne ramuſculus quidem illi, ſegmentumque ligni ſuppeteret, contigit haud ſemel, vt depoſita inueniret lignorum plauſtra pro foribus: quod acceptum ipſe Baltaſaris Parentis ſui ſanctiſſimi precibus referebat. Numero etiam plurimo fœminas, ſanguine, ac pietate prænobiles, non ſine ingenti in illis fructu animorum inſtituit. Harum vna D.Guiomar de Vlloia fuit, quæ vndeuigeſimo ætatis anno orbata viro, cum forma ſpectabilis eſſet, ſpectari ob eam, laudarique ab alijs, addito etiam muliebris mundi ſuffragio, cupiebat. Adire cœpit hæc, affarique Baltaſarem; atque hic tantum in eam valuit auctoritate verborum, vt quod fieri vix poſſe putaret, illius animum ad humanarum rerum, pomparum, ineptiarumque obliuionem, ad ſyncerum etiam, ac ſerium Chriſti Domini amorem, obſequiumque perduxerit: cuius inſtinctu, atque ope in nobilem venit mundanæ pompæ contemptum; pueros ab ſe, famuloſque dimiſit: prouectoque dein æuo, incomitata Templum adibat; ſellulâ, in qua conſideret, ſubnectâ ſibi ſub ſtolam. Largis porrò muneribus aucta à Deo eſt, honoribus illos afficiente, qui ſeſe habent ipſius causâ deſpectos: eoſque diuinis illecebris perfundente, qui ab ſe delicias repulêre terrarum. Hoc verò ſpiritu Matronas, quarum confeſſiones exciperet, imbui cupiebat: prouocabatque illas, vt nimios ab ſe ornatus, ac pompas liberè, libenterque dimitterent. Quibus verò animus ad ea non eſſet, eæ à Baltaſare faceſſebant; ex quo nempe illa gra-

H 2 uaban-

uabantur audire, quibus ipsæ auscultando nollent annuere; cæteris interim in hunc modum elaborari sese gaudentibus. Anna in primis Rejesia, quam Baltasar mortificationis malleo, scalproque contudit, & exculpsit. Dicebat hæc verò subinde, se ab illo vno tantum obtutu, percelli: ab eiusque graui ac seuero oculorum in sese coniectu intelligere se, num quod inesset sibi mendum in animo, vultuque, vel habitu, quo ille videretur offendi: idque in loco illicò corrigebat. Compertum verò omnibus erat, absurdam videri Baltasari eam colligentis sese animi, effundentiumque se vestium discrepantiam: qui propterea diceret, extima oportere conspirare cum intimis. Et verò eius, ad quam instituta fuit à Baltasare, mortificationis fructum suo cognouit ipsa periculo. Ex ea enim summum ipsi accessit in suas cupiditates imperium; animus in omni re æquabilis, & pacatus; precandique donum, ac studium singulare; Deo illam edocente apertis obuijsque similibus Diuinitatis suæ arcana excelsissima; sensisque sanè mirandis fidei diuinæ mysteria, pendentis præcipuè de cruce Christi, cuius ante diuinam imaginem prolixis diù precibus, nec parciori sui corporis afflictationi vacabat.

CAPVT DECIMVM.

Mariæ Diatiæ singularem virtutem Abulæ prouehit. Collatio cum ipsa perutilis de quinque Patientiæ fontibus.

ID, ex quo Abulæ magnum Baltasari nomen accessit, opera cum primis fuit impensa in mulierum par longè præstantium, quæ inibi vno ambæ, eodemq; tempore præclara ediderunt exempla virtutum. Harum altera Maria Diatia fuit ea in vrbe ob sanctimoniam notissima æquè, ac laudatissima: cuius memoria viuit adhuc, vigetque; & digna sanè est, quæ perpetuò retineatur in posteris; vt ij & heroicis ipsius exemplis in virtute proficiant, & simul ipsos pudeat, quod operaria paupercula, quasi *stellio* (ceù Salomon inquit, perpenditque Gregorius) *manibus innitens*, eò enixa sit, *vt moraretur in ædibus Regis*, non humani scilicet, sed diuini; cuius perpetua conuersatio esset in Cælo: ipsi verò, cum ad assurgendum, volandumque præstantioribus instructi sint dotibus, in humili imoque hæreant, suarum nempe affectionum cassibus irretiti. Feliciter sanè cecidit huic fœminæ, quòd in Baltasarem incidit, à quo, ad assurgendum, hausit animum, atque præsidium.

Vertit

Vertit, & benè Baltasari, quòd eam nactus est, cuius & exemplo plurimum etiam ipse profecit, & præclarè ab illa gestis, ipsius nomen, atque auctoritas apud omnes ea in vrbe percrebuit. Natale Mariæ Diatiæ solum, Vita fuit, Abulæ Pagus: quæ cum ætatis annos quadraginta cœlibatu castissimo exegisset, sibique per pium secessum magno popularium exemplo vacaret, perfectioris formæ Deo seruiendi perauida, post humana Parentis vtriusque, Abulam venit; remque suam omnem diuisit in pauperes; victura deinde precariò: vixitque porrò, eâ modò stipe contenta, cuius egeret ad vitam modicissimè tolerandam. Castitatis voto sese pridem obstrinxerat; tum verò alia duo Paupertatis & Obedientiæ erga suum Confessarium nuncupauit, quò religiosæ vitæ formam aliquam etiam in communi seruaret: eorum accuratè quàm poterat custodia votorum, in quibus illius posita summa est. Dei afflatu, apud quos conscientiæ suæ labes expiaret, Patres sibi ex Societate delegit: à quibus etsi Obedientiæ conceptum ab illa votum admissum haudquaquam est; quantum in ipsa fuit obstringere tamen sese Diatia voluit; omnique libertate prorsus exuere; atque voluntatis suæ liberam integramque Deo hostiam immolare. Quo verò colligere sese, arctiùsque posset includere, ab Antistite Aluaro de Mendoza in S. Millani Templi absida sibi domicilium impetrauit; vbi diuinissimæ Eucharistiæ, quam summa pietate colebat, iugi præsentia fruebatur. Neque verò pedem exportabat inde, nisi sacræ exhomologesis, cælestisque epuli causâ, Societatis Templum aditura. In hunc itaque modum perfectionis excelsæ rationem iniuit, afflictatione, submissioneque sui, omnique virtutum genere, ac rerum cælestium, Augustissimi præsertim Sacramenti, cui nomen, Vicino suo fecerat, æstimatione tanta, sensuque, vt quicumque affatum eam adibant, summa hærerent admiratione defixi: atque vt vt litteris essent, doctrinâque perculti, haud vnquam tamen aliàs tam dilucidè, quàm cum ab illa explicabantur, percepisse se diuina Fidei nostræ mysteria faterentur.

§. I.

COmpluribus tamen, quæ abs re nostra sunt, etsi de ipsius sanctimonia testificantur, omissis, ea dumtaxat peropportuna exequar adminicula, quibus ad eam sibi parandam effulta est à Baltasare: in quam cum primùm ille vidit tantum largitatis diuinæ profusum, eius prouehendæ, perficiendæque auidam in sese curam ipse recepit. Deo interim illi ad hæc gratiæ suæ opem præcipuam conferente. Animum igitur eò primùm intendit, vt

mendas

mEdas næuosq;quos in eius animo animaduerteret,omnes euelleret; ageretque in illa submissionis altæ, tolerantiæ, obedientiæque, cum integra, plenaque sui deditione radices; sexcentis,quas comminiscebatur, vijs illam cohibens, ac domans. Aliquid ab se sciscitanti ieiunè respondebat, & asperè: diù illam expectare; primamque accessu, postremam omnium peccata confiteri iubebat: eludere subinde illius postulata,inauditamque dimittere: cælestisq; mensæ (cuius appetentissima nimirum erat) factâ illi potestate ter in hebdomada, in hoc etiam, maioris causâ in virtute processus, sumere de illa, exercendo, periculum. Et verò sanctimoniæ studiosiores, quorum animos, mortalia hæc, perituraque non implicant,leuiùs ferunt in ijs cõprimi se, quàm in aliquarũ rerum piarum exercitatione, vsuque, è quibus suam omnem hauriunt voluptatem. In his verò eorum capere experimentum oportet; vt diuinæ voluntati penitus sese dedant,in eaque vnicè conquiescant. Eò igitur illi semel edixit, ne ad diuinam mensam accederet, nisi apud se noxas antea expiaret:in id enim quandoque illi adire alios annuebat. Adfuit illa postridie, stato nimirum sacræ Synaxi die, nec ipse ad confessiones excipiendas in Templum ante se contulit, quàm commonitus est fœminas alias ipsum opperientes adesse. Postquam verò accessit, conseditque, cæteras primò circumfusas audijt: aliæque interim subière; & has priùs admisit: quibus necdum omnibus auditis, vndecimæ horæ signum exclusum est: surgensque tum de sede, redire Diatiam iussit in crastinum. Et verò rediuit illa: sed ipse rem ita construxit, vt ea successus haberet eosdem: atque in hunc modum Sacramenti vtriusque refectione vacui viginti extracti sunt dies: iudicante Baltasare, quicquid illa lucri sacris è mysterijs interea loci non caperet,quotidiana præparatione, eiusque sanctissimi ferculi fame, tum fortissima exercitatione patientiæ, victoriæque sui, quibus ad illa Dei munera vtiliùs capienda fiebat aptior, compensari. Mora hæc tam longa altè scilicet Diatiæ animum fodiebat: nihil tamen, reuerentiæ causâ, erga Baltasarem audebat contra reponere; siue illum, pro ea, qua ipsum complectebatur caritate, deserere; quanquam accipiebatur ab eo tam asperè, vt illi ipsa, modesti ioci gratia, dictitaret, Pater mi, aduersatorque meus.

Templum aliàs ingressa est crepidata cum baculo; seseque ferre in speciem videbatur: quam vt Baltasar ineuntem prospexit, accersijt, rogauitque, Matronamne iam nunc, & Dominam affectaret? nihil enim ad fastum in ea amplius desiderari. Continuóque Templum exire illam iussit,crepidasque pro foribus deponere; quaque deceret forma, modestam ingredi, & sibi parem. Audiens confestim

confeſtim dicto Diatia fuit: neque interim patere furto relictas ab ſe crepidas reputauit. Redeunti præcepit ille, vt pœnam leuitatis datura ab vſu ſacræ dapis abſtineret: Quanquam profundè ſubmiſſam, æquabilemque, ac prompto animo ad parendum vt vidit, reuocatam, voti compotem fecit. Dæmonum infeſtationibus obnoxia principio fuit: poſtquam verò accepta ſemel ab ijs immaniter eſt, in aliquo ſcilicet metu erat. Quamobrem puerum ex cathechiſmo ætatis infimæ ſibi contubernalem adiunxit. Illò ingreſſus aliquando Baltaſar, puerique ſtratum intuitus, quippe qui cauſam illius habendi iam norat, acerbè illam increpuit, aitque: Quorſum hic puer? neque verò te pudet? infantula etiamnum es? tantoque poſt tempore in primis adhuc elementis hæres? Deoque tam parum fidis? Adhæc Diatia nutui Baltaſaris obſecuta, lectulum inde confeſtim exegit: egitque oppidò ſapienter: quibus enim ea virtus ineſt, ab ijs inferni hoſtis metum abeſſe decet immodicum: norunt enim illi, ſuarum veſtium, niſi annuente Deo, ne tantulam quidem ab eo carpi poſſe laciniam: in nullo proinde mortalium, ſed in immortali dumtaxat Deo, cuius patrocinio tuta ſunt omnia, ſpem eſſe omnem, atque fiduciam collocandam.

Abſidam S. Millani cum coleret, præcipuas aliquas in vrbe Matronas ſalutatum itabat. Parceret tempori, edixit illi Baltaſar, quod ad Deo vacandum, meliori fructu, conuerteret. Atque ex eo die Diatia nullam viſit in poſterum. Sugillantibus verò eius Confeſſarium nobilibus fœminis, quòd caſtam ipſis voluptatem eriperet, quam ex Diatiæ conſuetudine capiebant, non excuſabat ſeſe apud eas ipſa; culpâ (quod nonnullæ ſolent) in Confeſſarium reiectâ; quin eum tuebatur; atque, meus aiebat, Confeſſarius, non à ſalutationibus abſtinere, ſed vacare mihi me iubet. His, alijſque exercitationibus Diatiam cõpeſcebat Inſtitutor hic in virtute dexterrimus: non eius dumtaxat ingentis boni causâ, quod in eam inde redundabat, acerbiora illa cupidiſſimè deuorantem; ſed vt alios etiam eo excitaret exemplo; deſideſque intelligerent, quam multa in ipſorum indubia, nec inficianda crimina animaduertendum eſſet, ſi cum ea, quæ neutiquam culpanda, & in qua erroris vmbra vix eſſet, adeò tamen aſperè agebatur: quò ipſi ſe ad ſua corrigenda vitia alacriùs incitarent.

Virtutis denique ſuæ ſpecimen ſanctiſſima hæc fœmina dedit, animo tam perſeueranti ſeſe illi ſubmittens, à quo tantoperè exercebatur: eumque fontem ſui tanti boni tam vberem adeò amans impensè, vt ab eo ne abſente quidem, poſtquam digreſſus eſt Abulâ, oculos vnquam ſuæ mentis auerterit; audita ab ipſo è memoria nunquam abiecerit. Ac tantum illi tribuebat, vt præ eo tam

grandi,

grandi, pumilam, infantulamque ſe in virtute putaret. Dicebatque ſubinde ſe poſt Cæli fores cum infantibus ſubſtituram in angulo; Baltaſarem verò ingenti cum gloria, & comitatu in excelſa faſtigia ſubiturum: addebatque cum ſale, ſibi, vti nempe ſolebat, exprobraturum in trãſitu, Illic demũ iners vetula ſubſtitiſti? Quanquam verò loco habebat ipſa ſeſe tam nullo, in præcelſo certe habebatur à Deo, ſuoque à Magiſtro, ac Duce, qui illam etſi cohibebat, ſubmittebatque, æſtimabat tamen plurimi: eique deinde, pro ipſius ſingulari in ſacroſanctam Euchariſtiam pietate, latentiſque in eo Dei fide non ſecus viuida, ac ſi oculis illum ibi conſpiceret, fruendæ quotidiè diuiniſſimæ illius dapis poteſtatem fecit. In oſtentata populo à litante diuiniſſima hoſtia puerum aliquoties peruenuſtum vidit: rurſum in elato calice diuinum ſanguinem purpureum, fumantemque, & mox diuiſâ bifariam ſacrâ fruge, Chriſtum in vtraque parte integrum videbatur ſibi conſpicere. Quod cum ipſa cuipiam Theologiam profitenti Salmanticæ retuliſſet, demirante nimirum illo, quòd ab operaria paupercula hæc audiret, Atqui, ait illa, idem & ab alijs conſpici equidem reor. Ipſumque Deum hoc de diuino myſterio alloquens, ſubinde rogabat, Plurane iſtic, Domine, ſuppetunt tibi, quæ dones? affectu hoc amantiſſimo profuſi illinc in ſeſe immenſam teſtata vim boni, ſatietatemque ſuam, qua eo fruebatur epulo; veſcendi quotidie integrâ ſemper fame.

§. II.

ERit hoc ſanè loco perutile ſimul, ac periucundum id meminiſſe, quod ego Patrem Baltaſarem per piam cohortationem memorantem audiui; qua nos ad patientiam, latentis in ea boni nomine, hortabatur. Inter cætera collationem ab ipſo cum Diatia inſtitutam retulit in ſermonem, de quinque fontibus innocuè patiendi: è quibus ingentia ſanè promerita permanant in eos, qui ſapienter ijs vtuntur; æquo nimirum animo, Deique voluntati, ex qua ij profluunt, conſentiente. Quantum verò memoria aſſequor, niſi ea me fallit, hi ſunt. Primus; temporum iniurias perpeti; cùm frigus, calorue deſæuit: abundat humor, aut ſiccitas, aliæque perhorridæ, ventorum, imbrium, tonitruum, rerumue ſimilium ingruunt tempeſtates; æqui omnibus, bonique conſultis; ſiquidem ea ex cõſtituto eueniũt Dei. Rem porrò confirmaturus exemplo, Abulę, inquit, cum ſumma eſſet hyems, atque perfrigida, Diatia verò detritis calceis, panniſque obſita, in domicilio rimarum pleno ab ea immitiſſimè vapularet; adeòque ad aram Euchariſtiæ torpens, ac tremens

mens illam brumæ inclementiam quereretur, Deum audijt interpellantem; Huius ego sum auctor, & quereris? documento scilicet (quod serio Baltasar in loco perpendit) ad ærumnas, aduersaque omnia sine querela, & cum voluptate ferenda, satis esse intelligere, ea nobis ex vno diuinæ voluntatis imperio euenire. Regius inde Psaltes aiebat, *Obmutui & non aperui os meum, quoniam tu fecisti*. Alter fons est, corporis molestias, atque incommoda patienter excipere; vndelibet ea nobis accidant, siue ex humorum exuperantia; vnde inualetudines, morbi, dolores, tristitiæ, tædiaque: siue ex necessitatibus, quibus obnoxius quisque est; indeque fames, sitis, somnus, defatigatio, lassitudo, paupertas, rerumque defectus; quibus cibi, vestes, domus, cubicula, cubiliaque parantur: siue aliis è rebus, quæ nobis sunt sexcentis vulgò modis infestæ; quos & muscæ, pulicesque & culices, cæteraque gregaria bestiolarum agmina insectantur: atque in his omnibus patientiæ specimen dandum est: diuinæ nimirum in ijs respectu, æstimationeque prouidentiæ, seu plectere culpas, seu virtutem exercere, seu quid aliud malit, quod assequi vestigando non possumus. Tertius fons est, mores aliorum ferre, nostris aut aduersos, aut ab ijs longè diuersos: agendum enim persæpe est aut cum iracundis, ac vultuosis, aut cum frigidis ac remissis: siue cum alio quouis hominum genere, quorum habitudo atque propensio, à nostris aliæ, nobis accidunt permolestæ. In quo plurimum sanè, famulos Domini, Dominos famuli, Religiosique homines, & quicunq; cum alijs communi cœtu, contubernioque conuiuunt, in tanta morum diuersitate inuicem sese ferant oportet: Deo sic prouidente, vt eorum quos elegit, virtutis periculum sumat. Affirmabat proinde Baltasar perfectam nusquam esse virtutem, nisi vbi exercita variè sit, probataque cum proximis. Quartus fons est, probra, contemptus, & damna ferre, quæ ad nos inde pertinent, quòd hæc ij perpetiuntur, qui nos aliqua ratione contingunt. In confesso enim est, cuiusque contumeliam sanguine nobis, vel necessitudine propinqui, in nostrum etiam dedecus redundare. Id verò in Religiosis Ordinibus frequentius multò est: Vnius enim à culpa, vel nota, culpantur item cæteri, ac notantur: inscitiâ vulgi æstimante omnes ex vno; eique, de cuius crimine, infamiaque compertum est, reliquos omnes consimiles opinante. Horum dedecorum, & ignominiarum perpessio animo æquabili, submissoque, in vacantibus culpâ fons est ingentium meritorum: aiebatque Baltasar, solam in hoc ferculo pulpam exsortem ossis haberi; quòd propriæ culpæ sit expers. Quintus fons est, ægritudines animi in ijs, quæ diuini sunt obsequij, patienter ferre; quæ, remedio persæpe nullo, per- Ps. 38. 10.

acerbè nos angunt: eiusmodi verò sunt ariditates, animique euagationes, nebulæ, angustiæ, scrupuli, variaque tentationum genera, lemurumque per metuenda spectra insectationes, quibus immanissimè animus cruciatur. Ea verò omnia diuinæ prouidentiæ recensita sunt calculo, cuius ergo, quandiu abigi nequeunt, ferenda patienter sunt. Ad hunc verò fontem ea experimenta refert, quæ Confessarij, Deique Administri capiunt, Moderatores item, ac Præsules, examinandæ causâ, perficiendæue virtutis eorum, quibus ipsi aut moderantur, aut præsunt.

Atque hi fontes quinque sunt innocenter patiendi: è quibus in ambos, qui de ijs inter se contulere, plurimum boni fluxit. At hi etiam sensus erant Diatiæ ab experta; quam, pro eo, quo patiendi æstuabat, ardore, largè in his fontibus, exercuerat Deus. Confessarij sui iussu Abulensi Matronæ prænobili suam operam locauit illa sex annos: eâque insciâ mirum quantum molestiarum à domestico seruitio deuorauit; contumelijs, sannis, probrosis verbis item, ac factis, fameque tam auida, vt panis aridi frustulum, quo tolerare vitam posset, inter delicias haberet. Altum verò inter hæc illi silentium; iure nimirum, ac meritò secum ita fieri reputanti. Ab emissis Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ votis, tantâ Deus ariditate continuò illam exercuit, vt amanter cum eo expostulans aliquando sic dixerit: Itane verò, postquam ea, quæ poteràm omnia, elargita sum tibi, tu me porrò destituis? Hoccine tu probas! Ad hæc, debacchandi in eam Dæmoni potestatem fecit: quam ille perpluribus ac permolestis morbis, angoribusque constrauit: neque contenta tamen his erat: annis enim octoginta, atque his tantis calamitatibus prægrauata, quò plura Conditoris sui causâ perpeti posset, longiora sibi vitæ spatia cupiebat. Itaque sanctissimæ Matri Teresæ IESV, de qua sermo mox erit, aienti, se videndi Dei anxia cupiditate teneri, respondit ipsa, præoptare se hoc sibi exilium, ad perpetienda plura, produci. Etenim inter mortales degentem, laborum, pœnarumque perpessione, posse se Deo aliquid elargiri; inter Cælites verò, vnum illud esse reliquum, eorum, quæ pertulimus, præmia beatitatis accipere: At verò fruendo Deo in omni quippe æternitate, satis est temporis: tanti est igitur, Dilecti causâ, plurima in terris hìc perpeti, quò gratiorem illi rem faciamus. In hunc itaque modum piè inter sese mulieres hæ sanctissimæ decertarunt: quarum vtrinque vota rationes sanè optimæ fulciebant: Diatiæ tamen, non suis quidem, at Dei viribus opitulantis innixæ, tutior voti ardor erat: Dei enim præcipuum sanè munus est, ipsius gratiâ pœnis hìc, & laboribus
hil. 1.29. exerceri. Quod explicatè docuit Paulus, *Quia vobis*, inquit, *donatum*

natum est pro Christo, non solum, vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini. Quo Diatia ditata munere luculenter, meritorum plena diem Abulæ felicissimè obiuit: suique in Deum obsequij tam profusi, laborumque tam iugium, ac tantorum adepta beatè est præmium, & coronam. Cuius ab exemplo coorta item in Baltasare est tanta illa æstimatio patiendi: siti interim abundanter explendæ occasiones Deo identidem offerente.

CAPVT VNDECIMVM.

Sanctissimam Parentem Teresam IESV in virtute plurimum iuuat. Cui de æterna Baltasaris salute, ad eiusdem solatium, diuinitus innotescit.

ALtera tunc Abulæ degens mulier sanè præsignis, spectatissimum sanctimoniæ exemplum, non illi dumtaxat Vrbi, sed Orbi vniuerso ab Auctore summo ibi propositum, Sanctissima parens Teresa IESV fuit, Monialis tunc in Cœnobio Incarnationis Carmelitarum Calceatarum: Discalceatarum deinde laudatissima, sanctissimaque Fundatrix. De cuius vita, quippe quæ in ore, præconijsque omnium est, hìc referre non vacat: nam & libri de ea sunt editi; rebusque mirificè gestis, per se vbique ipsa clarescit: quamobrem verè gentis est nostræ decus. Quemadmodum enim Hispania diuinæ consilio prouidentiæ, Parentes maximos, clarissimosque Ecclesiæ dederat, Dominicum, & Ignatium, Prædicatorum, & Societatis IESV, duorum præstantissimorum Ordinum Fundatores; ita eiusdem prouidentiæ nutu, quod non largitus antea fuerat, strenuam sanè fœminam, sanctamque nunc dedit, religiosarum perfectionis, ac sanctimoniæ tantæ mulierum Parentem, & Fundatricem: quæ sua etiam ope, operaque virorum similem aut suscitaret, renouaretque Ordinem, aut fundaret. Eòque in illam Deus rara, admirandaque charismata de largis benignitatis suæ fontibus superfudit; quam etiam, vt confitebatur ipsa, plurimum Baltasar adiuuit. Etenim ex suis Monialibus cuipiam sciscitanti, operæne factura pretium esset, si consuetudinem cum Baltasare iniret; Tecum verò, respondit, amantissimè Deus ageret: is enim ille est, cui meus animus maximè omnium debet in hac vita; & qui opitulatus mihi in primis est, vt ad perfectionem eniterer. Atque in eo, quem sui Confessarij iussu edidit, libro, dum felicitatis suæ fontem omnem, ex consuetudine cum Societa-

tis IESV Patribus, fluxisse commemorat; postquam de fructu retulit, quantum eum ex primo Confessario percepit, quem sibi ex eadem Societate consciuerat, de altero subijcit (isque Baltasar est) Hic verò Parens, maioris mihi perfectionis ineundæ auctor fuit: aiebatque, gratificaturæ Deo cumulatissimè, nihil oppidò prætermittendum esse mihi, quod possem: summâque dexteritate simul, ac suauitate, ex ambagibus me humanarum familiaritatum explicuit.

§. I.

ET verò sic ipsâ re fuit: primùm enim omnium superuacaneæ quædam huiusmodi, quæ sub initium fruticabant in ea, resecuit. Norat enim probè Vir diuina imbutus luce, rerumque spiritualium expertissimus, quantum detrimenti ex priuatis necessitudinibus, amoreque nimio, bono licet in speciem, erga res procreatas eueniat: his enim irretiri animum affirmat: eamque libertatem ingenuitatemque deperdi, quam nobis summus Opifex ingenuit: fieri etiam nos ad intimam Dei familiaritatem ineptos: namque animi curas in eum, qui amatur, hominem pertrahunt: de tempore nobis plurimum suffurantur: Deoque inhabitaturo locum in corde non dant: neque cor ipsum sinunt vnius Dei caritate deuinciri. Quare Baltasar cum aliquarum amicitiarum nexibus, innocentium quidem, expedire sese integerrimæ Dei famulæ perarduum videri cognosceret; reputante nimirum illa, animi esse ingrati eum amore non prosequi, idque etiam argumentis ei ostēdere, qui te amet; hunc ab ea obicem perquàm prudenter remouere constituit: persuasitque illi primò, vt dies aliquot Deo rem seriò commendaret; hymnumque recitaret, *Veni Creator Spiritus*, vt, quid conducibilius ipsi esset, hausta inde luce, dispiceret. Paruit illa, resque in tantum ex voto successit, vt in quodam secessu mentis à corpore illi Deus edixerit: Nolo te deinceps cum hominibus, sed cum Angelis conuersari. Eaque iam tum, neque solatium ex vllo cepit, neque vllius consuetudinem vnquam inijt, qui Dei obsequio impensis enixè viribus non vacaret: sublatis illicò mendis, quæ hinc fortè in eius mentem irrepserant. Hic verò optimi magistri prudentia summa se prodit: eos quippe amicitiarum nodos noluit ipse vno statim ictu præcidere; sed illam constituit docere tantùm, ac ducere, vt diuina bonitas, cuius vnius opus hoc est, ab ijs illam nexibus expediret. Huc verò nostræ sunt artes dirigendæ cum ijs, quorum animis Deus sese largiter impertitur.

Vitæ ipsius c.24.

Exercebat illam prætereà in coërcendo quodam ardoris impetu,

quo

quo in rebus, quas concupisceret, deflagrabat: vt sub imperium se sibi in castris etiam pietatis ipsa submitteret. Quod & docet Apostolus, *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*: neque *ego sub vllius redigar potestate*. Absenti Baltasari literas peranxia dedit semel hæc Virgo, expetitum à se responsum vt laboranti sibi maturaret exobsecrans. At verò Baltasar è re magis esse cohibere præ-rapidum illum ardorem existimans, literis quidem sine mora respondit, fronti tamen earum inscripsit, Literas has ne resignes, nisi post mensem. Atque illa fortiter sibi imperauit, & paruit.

1 Cor. 6. 18 10. 21.

Periculum tamen eius certius inter aduersa sumpsit; qua viâ, excelsâ quidem, & rarâ illam Dei consilium prouehebat. Affirmabat enim illi quandoque, opinionem esse conspiratam omnium, quicquid ipsa sentiret, mera dæmonum esse ludibria: ipsumque se in eâdem esse sententiâ. Dies viginti à diuina mensa illam abstinuit, ipsius in eo patientiam experturus: eamque exercebat, cohibebatque tot modis, vt de Baltasaris consuetudine dirimenda venerit in mentem illi non semel; à quo nempe tam duriter, asperèq; acciperetur. Quoties verò id suo secum animo versabat, toties obiurgari se, & reuocari à consilio sentiebat. Egit itaque cum Baltasare perseueranter, eumque pari prosecuta est reuerentia, & amore. Meritò quidem: postquam enim de syncero, veroque sanctissimæ fœminæ spiritu, luce à Deo, sacrisque libris eò euolutis hausta, factisque demum experimentis, exploratum indubiè illi est, eius vsque ac palam tuendæ prouinciam ipse strenuè capessiuit: eique solatio, præsidio, perfugioque fuit in aduersis, iudicijsque tam varijs de ipsius spiritu perperam opinantium perferendis. Qua de re sui libri cap. 28. scribens, ait: Obijcientibus sibi præstigias dæmonum veras, animique illustrationes adulteras, respondisse, id vtique repugnare: experimento quippe cognorat, meliorem fieri se, vitiorum imminutione, & incremento virtutum. Et mox hisce verbis de Baltasare loquens, quanti illum æstimet, palam facit. Qui mihi, ait, à confessionibus erat, Vir è Societate IESV sanè persanctus, id ipsum quod ego, vt resciij, respondebat. Summa verò in illo prudentia, animique submissio fuit: at hæc crebras in me molestias deriuauit. Etenim etsi scientissimus erat, studioque precandi addictissimus, sibi tamen ipse fidebat nihil. Cum verò viam hanc, Deo duce nondum iniisset, plurimis & ipse modis mecum exercitus vehementer est. Dictum illi noui: Caueret à me sibi, neque ab stygio hoste falli se sineret; fide nimirum vlla ijs, quæ in ipsius aures insusurrarem, adhibita: quod & exemplis aliorum confirmabant. His equidem angebar maximè, verebarque, ne nullus foret, qui me confitentem noxas

Ribera in ipsius vita l. 1. c. 11.

vellet

„ vellet audire. Diuinâ factum est prouidentiâ, vt constituerit il-
„ le mihi perseueranter adesse. At is Dei obsequio tam impensè
„ vacabat; vt, eâ gratiâ, nihil non auidè deuorasset. Monebat ille
„ me, à Numinis offensa cauerem, atque ab ijs, quæ mihi impe-
„ rasset, neutiquam declinarem; ac tum ipsum mihi nunquam de-
„ fore certò scirem. Addebat mihi semper animos, & serenabat:
„ edicebatque, ne illi, subticendò, quicquam occulerem; hoc in-
„ tegro, etsi me lanio infernus incesseret, indemnem tamen ab eo
„ futuram: quin immò ex praua ipsa ab eo in me iacta semente
„ segetem à Deo factum iri salutis. At ego, quippe quæ tanto eram
„ in metu, imperfectè licet, illi tamen planè parebam. Tres adeò
„ amplius annos exegit ille mecum ex animo: meque interim per
„ hæc aduersa confitentem audiuit. Etenim inter tot infesta, quæ
„ pertuli, eaque permulta, quæ permissu Numinis de me ferè qui-
„ dem immerita præpostere affirmabantur, in ijs omnibus adiba-
„ tur ipse, meiq; causâ culpabatur innoxius. Nunquam certè, nisi
„ in tantum sanctitatis fastigium euectus, erectusque à Deo, tan-
„ tum molestiarum perpeti potuisset. Affirmantibus enim, perdi-
„ tum ire me, satisfaceret oportebat (cassa tamen apud illos fide)
„ ac rursum animi mei motus metusque componeret. Solabatur
„ interim me perhumaniter: sique suo ipse iudicio fidere voluisset,
„ tot mihi certè, ac tanta exantlanda non fuerant. In omni quip-
„ pe re veritatem edocebatur à Deo, eumque, meâ quidem senten-
„ tiâ, diuinissima Eucharistia cælesti lumine perfundebat.

Et hęc Teresæ verba sunt; in quibus Baltasaris prudentia, submissioque se prodit. Tantis enim in rebus suo nolebat niti iudicio; quod tamen fuit illi certum maximè, & probatum. Tot inter hallucinantes vnus ipse peruidit: probauitque tunc ea, quæ in præsentia comprobant vniuersi. Id verò, quod extremis verbis affirmat, eum lumine à diuinissima Eucharistia fuisse perfusum, Baltasaris in diuina re facienda illustrationes indicat, de suis, quos ipse in virtute instituebat, alumnis: quod & capite sexto meminimus. Hinc porrò Virginis huius laudatissimæ spiritus, & sanctimonia apud Virum hunc tantum summo quidem loco fuere. At enim ipsa luculentum habebat à sua tanta obsequela suffragium; audiens iuxta dicto, ac si esset infantula. Prænobilis sanguine & pietate, ac peramans vtriusque Matrona, de huius sanctitate Virginis magnificè ait, grandiùsque multò quàm de Maria Diatia, locutum sibi nonnunquam fuisse Baltasarem: ab eoque dictitatum & illud; Videtisne, quot, quantisque muneribus aucta à Deo, quantaque sit Teresa? Atqui puerulæ tamen similis doceri se sinit, ac duci.

Opitu-

§. II.

OPitulatus & illi plurimùm est in Virginum Sacri secessus Parthenone fundando; quanquam vbi eius orsis sensit aduersari permultos, supersedere aliquandiu operi illam iussit. Cumque interim animo esset ancipiti, in illud magis, ne progrederetur vlteriùs, propendebat: At verò qui cœpti auctor erat illi Deus, ipsam Confessario suo iussit edicere, meditandi argumentum ad matutinas preces sumeret ex illo Psalmi 91. versiculo: *Quàm magnificata sunt opera tua Domine! nimis profunda facta sunt cogitationes tuæ.* Qua in commentatione intellexit explicatè Baltasar, id esse quod maximè Deus vellet, qui sua nimirum admiranda decreuisset ostentare per Virginem. Ille porrò, dubitandum prætereà neutiquam esse affirmauit: ageret actutum de Collegio excitando: eique in condendis constitutionibus, legibusque adfuit, quibus nunc cœtus vniuersi reguntur, qui eius Ordini nomen dant. Et enimuerò quanquam Virgo hæc sanè prudens res suas cum alijs contulit; virosque item graues, eruditos, virtutumque studiosos, ex alijs Religiosis Ordinibus, atque ex inclyta maximè familia Dominicana consuluit; quandiu tamen Baltasar ab ipsa non abfuit, hoc certo, statoque vsa est consiliario, & magistro; qui præstò illi deinde fuit in sacrarum Virginum domibus Methymnę, ac Salmanticæ excitandis: quo tempore nostrorum ibi Collegiorum gubernacula Rector ipse tenuit. Postquam enim Baltasar profectus est Abulâ, neque illa suis ambagibus, rebusque omnibus, vt poterat, eius consulendi curam abiecit; neq; hic, epistolis, consilijs, cæterisq; studiis, quibus potuit omnibus, adesse intentè illi non perstitit. Ps.91. 6. Ribera l.1. c. 14.

Cui vt adstruam rei fidem, partem hic attexam epistolæ, quam huic Virgini Salamanticæ dedit: eamque curâ fortè molestiore tunc anxiam consolatus est, his verbis. IESVS, inquit, tibi lux „esto, atque solatium. Has tibi litteras do, postulanti citiùs pro„imperio, quàm ad solatium indigenti. Etenim inter prementia „minus aduersa, edocere te, præoccupare, ac roborare assolet Deus. „*Mihi autē*, aiebat Paulus, *absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri IE„SV Christi.* Idem equidem aio, Absit mihi vt existimem gloriari te „in alio posse: tam largâ illius dulcedine tuus delibutus est ani„mus. Si Deus immolari sibi peruelit Isaacum, nostri nempe „animi delicium, & optatum, præberi ab eo Abrahæ, ad pera„gendum sacrum, ignem & gladium, munus est diuinæ bene„uolentiæ singulare. Me verò angustiæ tuæ istæ non angunt: „noui enim quàm amplè eas inter viuāt ij, qui Dei tenentur amo„re: tuarumque rerum meliores vidi per hæc aduersa, quàm qui

expe-

„ expectabantur per secundiora, successus. Spe, silentio, iugibusque precibus, hac certè via nobis de voluntate Dei innotescet: „ qui vnus virtutem operum suorum, suorúmque consiliorum, „ magnitudinem annunciare potest populo suo. Ego verò, Domina, meis partibus & hic, & vbicumque videbitur è re fore, „ non deero.

Hæc Baltasar & scripsit, & præstitit: inque omni re sanctissimæ huic Virgini, ipsiusque Monialibus Methymnæ, Salmanticæ, Vallisoleti, & vbicumque locorum degit, suam opem & operam commodauit: quibuscum agere de diuinis animi rebus iucundissimum illi erat. Lampades enim rebatur illas earum simillimas, coram sacratissima Eucharistia in Templis ardentium, diuini amoris igne succensas. Quod & Deo fuisse pergratum, insignium aliquarum, quæ cum ijs actæ sunt, rerum euentus suo loco memorandi confirmant. Nunc verò singulare beneficium Baltasari per hanc Virginem à Deo collatum huic capiti coronam imponet; quo Teresa labores ipsius causâ exantlatos simul largè Baltasari compensauit; simul eundem ad vberiores processus efficiendos adiuuit. Tantundem enim opis, vt diximus, suis Confessarijs eiusmodi pietatis alumni reponunt, quantum ab ijs ipsi percipiunt. Angebatur per hæc tempora tentatione permolesta Baltasar de suæ destinatione salutis; secumque ipse, adepturus ne illam esset, an non, diu multumque altercabatur. Intellexit id nempe Teresa, precibusque institit apud Deum, vt præsens illi sua ope foret: At verò in loco Deus Baltasarem fore saluum Teresæ indicauit; sedemque præterea ostendit illi sublimem in Cælo, eius virtuti, ac meritis destinatam. Affirmauitque illi præterea in eum perfectionis gradum hic in terris euasisse Baltasarem, vt inter homines nemo tunc obtineret alius altiorem: eique deinde pares in Cælo gradus immortalis gloriæ responsuros. Id è Cælo edocta, Teresa, Baltasarem alloquens, bono animo eum esse iussit, Magister enim (hoc illa nomine salutis nostræ Vindicem appellabat), ipsum certò fore saluum aiebat. Ex eoque die Baltasar animo tam quieto fuit, & alacri, vt diuinitus indicatum id esse, palam, indubiéque cognosceret. Id verò perpluribus ex Societate Patribus, sacrisque familiæ suæ Virginibus, alijsque religiosorum Ordinum viris, ac fœminis rem hanc certò affirmantibus, eadem virgo sanctissima indicauit. Quin ipse Baltasar idem persimili modo, vti suo loco dicemus, à Deo edoctus est. Non tamen illud inobseruatum in hac Diuini Numinis affirmatione prætereo; id temporis, cum pronunciatum est, Baltasarem virtutum perfectione suis in hac mortalitate coæuis omnibus anteire, permultos æuum agitasse

in Ec-

in Ecclesia, & in Societate nostra, extraque illam sanctitate præsignes. Quòd si tunc in tam editum sanctimoniæ culmen Baltasar euaserat, quantò deinde altius, quibus superuixit annis, extulit ille sese, diuini obsequij opera molitus heroica? Ad hæc eiusmodi arcana patefacere nequaquam ijs consueuit Deus, quorum virtus pusilla sit, & infirma: iuxta periculoso, ne vel ob gloriolam in honore superbiant, vel ob desidiam in virtute lentescant. Quare cum id Baltasari Deus indicari voluerit, & ipse scilicet indicarit, argumēto sanè est altas in eo radices Christianā humilitatē egisse, & studio illum arsisse in summum perfectionis apicem euadendi: eâque significatione animos amplius illi additos ad præclara aggredienda facinora, atque ad plurima, Dei, animorumque causâ, fortiter toleranda. Affirmari potest & illud, insignem hanc Baltasaris sanctimoniam illo repræsentatam fuisse diademate lucis immensæ, quo redimitum ipsum sacris operantem sanctissima hæc Virgo conspexit: quod capite sexto memoratum à nobis est. Quantum etiam suo huic Confessario illa tribueret, potuit & illinc intelligi, quòd diuinum hoc visum, ad sui solatium animi, in secretiora, carioraque sibi aduersaria retulit, quæ in Tarraconensi Episcopi Didaci Yepesij manus deuenêre; isque illinc edoctus, id nobis postea affirmauit. Suffragatur his denique luculenter & illud, quod ab eadem Virgine Matronæ prænobili dictum, auditumque ex ea referente deinceps est: de nulla nempe orandi forma cōtulisse se cum Baltasare, in qua ipse non anteiret. Mirum profectò! plurima enim, mirandaque Teresæ largè Deus impertijt. Id verò muneris non nisi in eos fermè, qui magnos in virtute progressus habuerint, collocatur. At enim videndum mox est, quantis hæc à Teresa dicta fundamentis innitantur. D. Anna Erinquez ea est.

CAPVT DVODECIMVM.

Methymnam Campi mittitur: vbi salutis Anno 1567. quatuor Votorum professionem emittit, eamque perintegrè custodit.

GEsta per Baltasarem Abulæ cum de singulari ipsius ad iuuandos in virtutum adeptione animos facultate liquidò testarentur, visum Præpositis è re fuit Rectorem illum, Tyronumque Institutorem iubere Methymnæ, vt auxilio ibi foret & nostris. Illò igitur, post diem sacrorum Regum aduentu solemnem, profectus

eſt ſalutis anno 1566. Verùm antequam aggrediamur in opera præſtita ibi cum proximis, ab inſigni re gemina ordiri ſatius erit, quæ acta cum illo ibidem eſt anno 1567. Primo enim Maij die, ſolemnem, quam in Societate quatuor votorum dicimus, Profeſſionem emiſit: qui graduum noſtri Ordinis ſummus eſt; in eumq; prouectos Societas conſummatos pronunciat litteris, & virtutibus. Quemadmodum enim duplex in Orthodoxa Eccleſia ſtatus eſt perfectionis; eam addiſcentium alter, alter verò docentium; primus eſt Religioſorum hominum, qui ex D. Thomæ ſententia, de hoc vtroque ſtatu diſceptantis, non illicò in faſtigio perfectionis eſſe tenentur, ſed in illud eâ eniti viâ, quam ipſorum Inſtituti ratio decernit: alter verò Epiſcoporum eſt, quibus perfectio debet ineſſe. Vt enim profiteri ſcientiam nemo poteſt magiſter, in qua non ſe ipſe ante perfecerit: ita qui muneris ſui gradu perfectionem docere tenetur, perfectus ille ſit oportet. Iam verò ſiquidem huius doctrinæ munera omnia per ſe ipſi obire nō poſſunt Antiſtites, Curiones ſacros, alioſque Beneficiarios adiutores ſubrogant ſibi. Haud ſecus Vir Sanctiſſimus Ignatius diuina luce perfuſus, proportione aliqua, conſimiles horum gradus in Societate conſtituit. Tempore enim probationis exacto tria vota, quæ vitæ ſunt Religioſæ eſſentia, nuncupantur: iiſque editis in Religioſos verè homines Nouitij tranſcribuntur: atque ad perfectionem eniti eâ tenentur viâ, quæ Societatis legibus definitur. Status hic verò ſtudiorum tempus omne, ſeptenos annos fermè complectitur, quibus litteraturâ noſtris opportunâ muneribus Scholaſtici imbuuntur. Tum tertio rurſus anno probantur, quo renouantur in ſpiritu; ac more Tyronum operam impensè nauât exercitationi virtutum; ſacriſque initiati quædam obeunt aliquandiu munera, propriæ perfectioni, pro Societatis inſtituto, vacantes. Interea Præpoſiti notionem, periculumque ſumunt, qua quiſque facultate ſit præditus in virtutibus, litteris, prudentia, conſuetudineque cum proximis. Vbi verò de iis ſatisfactū Moderatoribus eſt, quos hi perfectos nēpe, & conſummatos exiſtimant, eos ad profeſſionem quatuor votorum admittunt: in qua præter conſueta Paupertatis, Caſtitatis & Obedientiæ vota, quartum etiam præcipuæ erga Summum Pontificem Obedientiæ emittunt, Miſſionum; quòquò gentium fidelium, aut infidelium profecturi, ad fidem orthodoxam propagandam, animorumque ſalutem, per varia docendi, concionandi, adminiſtrandi ſacra, cæteraque Inſtituti noſtri munera procurandam. Quam in rem, heroicâ planè nullam in partem inclinatione, virtuteque præſtantiſſima opus eſt. Tempus adeò Profeſſionis huius edendæ certum ſtatumque non eſt, ex Societatis

noſtræ

nostræ Constitutionibus per summos Pontifices approbatis: maximè verò per XIV. Gregorium, Pontificio diplomate, in quo sic habetur: *Tempus promotionis ad huiusmodi gradus nullo modo volumus certum, seu determinatum esse: sed selectos spiritùs, & doctrina viros, & multum, diùque exercitatos, ac in varijs probationibus virtutis, & abnegationis sui ipsorum, cum omnium ædificatione satis cognitos, ad professionem esse admittendos*. At enimuerò eiusmodi hominum spiritu, litterisque præstantium vis permulta esse non potest: gradum itaque Ignatius inferiorem alterum minus peritorum instituit, quos Coadiutores appellat; quorum eæ sint partes, Professos in ijsdem erga proximos obeundis muneribus adiuuare; atque hi quarto, quod diximus, voto minimè se obstringunt.

Baltasar igitur cùm virtutibus, & doctrina tantum excelleret: atque ad iuuandos proximos dotibus tam idoneis esset instructus, duodecimo ab inita Societate anno, inter quatuor Votorum Professos cooptatus est. Quòd etsi honestum in Societate esse, inficiari nemo potest; eo namque testimonium dicitur de virtute, ac litteris Profitentis; re tamen ipsa gradus ille confertur, non honoris causâ, sed oneris; quippe qui nullo munitus est priuilegio, nulla nostrarum legum immunitate, munerumque vacatione, quibus alij defunguntur. Quin immo ad eum gradum promoti, arctiorem profitentur Obedientiam, & Paupertatem: huiusque non laxandæ, nulliusque honoris intra, vel extra Societatem ambiendi, extra verò nec admittendi, nisi eius obedientiâ coacti, qui possit ipsis sub peccati pœna præcipere, votum edunt. Summa tamen honoris est, Professionis suæ strenuè partes omnes implere; id quod à Paulo dicitur, *Ministerium tuum imple*. Quas Baltasar egregiè quidem, quàm qui maximè peregit; quarti voti, vt de tribus alijs di- 2.Tim.4. 5.
ctum est, peraccuratâ custodiâ. Professorum enim in Societate vocatus Apostolorum vocatui consimilis est; qui non vni affigebantur loco, sed varias sortiti, ad disseminandum Euangelium, obibant oras, atque Prouincias; quanquam constitutò alicubi diutiùs commorati, ibique vberiores consecuti sunt fructus: Itá *Nostræ vocationis est diuersa loca peragrare, & vitam agere in quauis mundi plaga, vbi maius Dei obsequium, & animarum auxilium speratur*: aut quòquò summus Pontifex, eiusue nomine, siue alio quocumque modo Societatis Præpositus Generalis in eum finem proficisci nos iusserit; etsi Professorum aliqui, gubernandi, vel docendi, aut aliâ diuini obsequij causâ, alicubi hærere iubentur, dum illi semper studeant fructui, de quo diuinus ait Agricola, *Ego elegi vos, & posui vos vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat*. Hanc obeundi loca varietatem, alia velut in- Io.15.16.

transitu, per excursiones, missionesque, alia stato inibi domicilio, gemina similitudine Isaias mirificè exposuit, cum operarios Euangelicos *nubibus* comparauit, quæ diuersas in Cæli partes ventorum propulsæ vi circumferuntur; & *Columbis ad fenestras suas, nidosque* volantibus. Ij enim nubes verè sunt non inanes; at cælestis sapientiæ, doctrinæque plenissimæ, quæ vento diuini Spiritus, & obedientiæ incitatæ, plagas mundi omnes, humanorum cordium tellurem irrigando circumeunt, vt bonorum operum optimos fructus edant. Atque in alium certè locum diù largiter impluunt, quòd ibi perseuerantiùs degunt: parciùs in alium, quòd breuior illic mora est excurrentibus: tandiù tamen hærendo, quandiu fructui colligendo sit satis. Similes sunt etiam columbarum ad nidos perniciter volantium; vbi pro mira, quæ illis inest fœcunditate, oua deponunt; suosque, incubando, pullos excludunt: licet enim suopte genio cubiculi secretum proniùs ament, in quo precantur, gemunt, diuina mysteria meditantur, quietemque summam animi nanciscuntur; spiritales tamen filios ibi progignunt; eosque enixi, summâ educant curâ; præpetes verò, tanquam varios ad nidos, ad diuersa loca circumuolant, vt consimiles etiam ibi fœtus educant.

Eâ planè, sed & præstantissimâ quâdam formâ, fuit vita Baltasaris; præsertim verò à Professione iam edita. Quanquam enim suâpte naturâ, columbæ similis, secretum amabat, in quo meditationi, precibus, contemplationique vacaret: in quocunque tamen Collegio domicilium illi fuit, fœcunditate Columbæ, spiritualium filiorum prolem edidit numerosam; quos eo studio educauit, vt in perfectos euaderent. Quò verò fructus ipsius esset vberior, ampliorque, illum priuatis è Collegijs educebat Deus, vt, nubis instar, sapientiæ doctrinæque tantæ plenissimæ, irrigatum fœcundatumque animos, loca huc illuc varia circumiret. Quare Methymna allegatus est Romam; indeque reuertens vices Prouincialis gerere iussus est in Castellana Prouincia. Ex Villagartiensi angulo productus est ad Aragoniæ Prouinciam lustrandam: atque illinc ad tenenda gubernacula Toletanæ. Actumque prius est de illo Prouinciali iubendo in Prouincia Peruana; plagâ nempe tam disiunctâ, populisque barbaris, ac superstitiosis refertâ. Quantum verò in ipso erat, nihil contra causatus migrasset profectò, & re etiam ipsa migrasset, nisi destinationi obex intercessisset. Vnum interea opus huiusmodi absoluenti, simile illi Deus alterum præparabat, perinde in alterum alacri, atque in primum: illud sanè diuinum implenti, quod apud patientissimum virorum
Iob.38,35. Deus eloquitur, *Numquid mittes fulgura; & ibunt; & reuertentia*

dicent

dicent tibi, adsumus? Quo voluit effato Deus, ad Gregorij mentem innuere, voluntatis suæ consilio, Euangelij Administros varias terrarum plagas obire, fulgurum celeritate promptissimâ mortalium animis ad Auctoris sui amorem, & obsequium, lumen impertientes pariter, & ardorem. Vnoque missu perfuncti, relatâ, litatâque ipsi operis vniuersi gloriâ, actisque pro percepto fructu gratijs, ad alios iterum pro Dei nutu, arbitrioque missus, paratissimi reuertuntur. Quos vbi Deus animo videt esse tam grato, nouos ijs campos aperit, in quibus maiores ipsi processus habeant, fructusque colligant largiores: quos sanè Baltasar vberrimos, ex omni, quem adijt, coluitque, loco percepit; vti ex gestis per ipsum Abulæ visum iam est, eritque deinceps videre ex ijs, quæ gessit & alibi.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

Precationis, & Contemplationis donum duodecim fructibus insignitum hoc eodem anno Baltasari Deus impertit. Ea res ab ipso Præpositorum iussu descripta narratur.

SVb hæc ferè tempora sexdecim exacti sunt anni, quibus Baltasarem Deus orandi vsitatâ, tritâque viâ, ratiocinando scilicet, meditandoque continuit: quatuor ijs annis, antequam nomen Societati daret, computatis, quorum exordium, vt primo capite meminimus, cum ab anno ducatur 1551. ex eo tempore ad annum vsque 1567. quo solemnia quatuor vota professus est, anni sexdecim numerantur. Tum verò ad excelsiorem quandam orandi formam euectus à Deo est, quam quietis, & coniunctionis, siue, vsitatiore vocabulo, vnionis appellant: ad eam nempe tranquillam, perfectamque contemplationem, quam secundo capite per occasionem innuimus. Sedenim arcana hæc sensa, diuinaque munera, quibus animus in intima illa cum Deo familiaritate perfruitur; quandoquidem, nisi ipsius fruentis ore explicentur, assequi mente non possumus: ex alterâ verò parte Christianæ submissionis indoles hæc eadem amat occulere; diuinæ consilio prouidentiæ factum est, vt ea Baltasar viâ geminâ patefaceret: alterâ quidem, caritate ipsa, atque amore proximorum impulsus, cum, ad eos iuuandos, oportebat vt suum aliquid aperiret: alterâ, & eâ quidem arctiore, Præpositorum, eiusque præcipuè, penes quem totius regimen Societatis tunc erat, iussu coactus. Perlatum enim ad

huius

huius aures erat (quod fusiùs deinde capite 40. & 41. dicetur) eam orandi formam apud nonnullos audire non benè; quippe qui de fallacijs, præstigijsque metuerent veteratoris inferni, sese in lucis Angelum induentis. Quamobrem, vt planè de veritate constaret, de sua precandi ratione, deque ijs, quæ in illa vel agebat ipse, vel patiebatur, scriberet, doceretque imperatum illi est. Is verò, filius nempe obsequentissimus de re vniuersa scripto per quàm integrè Præpositum Generalem edocuit: quam hoc loco mihi visum est narrationem attexere, quippe ad præclara beneficia cognoscenda in ipsum ab largitore summo hoc ipso anno collata pernecessariam. Verùm vt eius lectio in nostrum compendium, instamque vertat acceptorum ab eo munerum æstimationem, duodecim perpendendi sunt fructus, quos ille à precatione percepit: in quibus tota inest sanctimoniæ, perfectionisque Christianæ summa, ad quâm aspirare decet omnes, qui spiritalem verè vitam inire constituunt; eos maximè, qui se Religiosis cœtibus aggregarunt; superque hos etiam, animorum curatores, quos ipsi hac orationis, diuinæque consuetudinis viâ ducunt, ac prouehunt; si constare id velint cum suo ipsorum compendio, & suorum. Temporis etiam habenda ratio est, quod in hoc munere diù expetendo cònsumpsit; reuocandique in memoriam adhibiti, eius obtinendi gratiâ, conatus industrij, quorum capite secundo meminimus: vt laboribus fructibusque compositis inter se, atque perpensis, siquidem hi nobis arriserint, illorum certè non pigeat.

§. I.

De suo precandi modo Societatis IESV Præpositum Generalem edocet, commentariolo ad illum dato.

SExdecim annos exercitus labore sum, arantis instar, & non colligentis: animo certè perpusillo tunc eram, angebarque maximè, quòd ijs cæterorum dotibus cassus eram, quibus æstimationem mihi conciliarem ab alijs, & amorem: hac modò, modò illa cura discerptus, vacandi precationi percupidus; quiete illic, vbi oportuit, neque collocata scilicet, nec reperta. Tentationem hanc ipse pernici, meum apud animum constituto, nullum amplius orandi tempus expetere, quàm quod ab Obedientia in Societate præcipitur: abiectâ procul inquiete illâ, futilique appetitione præstandi in hoc, eaque munera capiendi, quibus alij meritis potiores ornantur. Eodem hoc tempore meas animi mendas amarori

potiùs;

potiùs, quàm submissioni mihi esse cognoui: ijsque videbantur mihi diuina præpediri consilia: proque animi mei angustijs, cruciabar etiam vitijs aliorum, quorum ad me cura spectabat: rebarque rationem esse regendi optimam, submissos illos, afflictosque habere, dum se ipsi corrigerent.

Quatuordecim post annis, totus in eo fui, vt coram Deo memet ipse statuerem, egentis instar, eleemosynæ causâ ab eo aliquid accepturi. Id verò temporis, quippe amantior eram mei, animo simul eram ægerrimo: videbatur enim mihi nunquam fore, vt virtutum perfectionem assequerer: idque eò, quia diuina largitas non ita mihi sese impartiebat, vt cæteris. Stultitiam sensi meam, quod auersus à Deo nequiter, viâ vellem ad eum reuerti etiam nequiore. Conuersus porrò in me ipse descendi, compluresque dies mei me coram Deo dispuduit. Et verò effari ne verbum quidem poteram præ pudore; mulctamque dumtaxat, veniam, atque remedium efflagitabam: dum ad alia demum præstantiora vocatus sum exercitia, & promotus: qua etiam cura sanati sunt alij.

Sextodecimo euoluto iam anno, cor mihi extemplò immutatum, ac dilatatum sensi, à rebus fluxis expeditum ecstasi quadam illius persimili, qua supremo mundi die dicturi sunt Iusti, Quando te, Domine, vidimus, bonum omne, omnemque satietatem vidimus. Multa hic in me collata sunt simul; Æstimatio primùm *pretiosi*, scientiaque *separandi illud à vili*. Vias hîc ad cælum non arduas, neque in eorum cœtu cônspexi, quos ad æternam, beatamque vitam destinauit Deus. Nouam hic hausi veritatum intelligentiam, quibus iucundè animus alebatur; finisque is erat illius, quies, atque tranquillitas: ita planè, vt memet in ipsum Dei, ex quo fluebant, pectus immergeret. Intercepit id deinde temporis mora breuis; redibat verò subinde: nunc verò frequentiùs: Deo sint laudes. Ier. 15.19.

Erectus ope hic etiam sum ad vitam in cruce, laboribus, ac periculis, pro Dei nutu, atque arbitrio, exigendam. Eumque metum exui, quo pusilli, angustique animi mei causâ, sapientiores homines, sanctioresque verebar: quibus antea sistere me non audebam, quòd exuctum, efflictumque me cernerem, inter illos mente, ore, litterisque carentem: neque vitæ munera obire mihi posse videbar, nisi geminos inter viros medius, alium hinc virtutibus, alium inde negotijs gerendis exercitum. Nunc verò, quamquam omnes magni æstimo, habeoque necessarios, non eodem tamen, quo prius modo videtur mihi res agi: illud enim habeo nunc potius, vno cum Deo, in quo nempe sunt omnia, vitâ exigere.

Data hic mihi est interioris in me, alijsque scientia spiritus; è Dauidis oraculo, *Quoniam respexisti humilitatem meam; saluasti de* Ps. 30 8.

necessi-

necessitatibus animam meam . Interioris itaque iam tum vitæ genus quoddam experior, à Deo mihi scilicet impertitæ, vt per ipsum, vel in minimis regar. Quæ me perurgebant prius, ea nunc in loco faciliùs explico, quam si de ijs dies noctesque perputarem. Il-
1. Pet.5.7. ludque D. Petri experimento nunc noui, *Omnem sollicitudinem vestram proijcientes in eum, quoniam ipsi est cura de vobis*. Expertus verò quàm difficilè me ad me ipse retulerim, cũ partibus defui meis, stimulo id mihi, cautionique fuit, vt probè meo defungar munere in agendo cum proximis, ne me aut effundam, aut inquinem.

Onus hic alleuatum mihi est in regendo, ne me secum vnà perpelleret. Etenim liberæ cuiusdam, expeditæque voluntatis est, plurimas inter curas sine vlla cura versari. Accessit hìc illud, vt seriò meipsum ingrederer; defixaque est menti meæ iugis ferè quædam Christi Domini species corporata. Hìc anxitudines, tentationesque effluxere prolixioris ad preces temporis seponendi: fecique periculum, plus à Deo vnâ precationis horâ sui domitoribus impertiri, quàm cupidis, impotentibusque, permultis. Eundem mihi largiorem esse initâ, ipsius causâ, negotiorum viâ, quàm in otio, lectioneque iniussâ sanctorum Patrum. Ex eoque tempore mea me submittunt errata, non angunt: quin me quodammodo, dum submittunt, exhilarant: etenim, quid ipse sim, edocent; efficiuntque vt perparum mihi fidens, Deo tantûm innitar. Eademque veluti fenestræ quædam animæ esse mihi videntur, quibus sese diuina lux ingerit; erroresque non voluntarios, nec meditatò, scienterque, vt aiunt, admissos, Dei consilijs impedimento nequaquam esse conspicio: quamobrem nec alio ea loco, nec pluris habeo, quàm vt coram Deo erubescam, intelligamque, deseri à nobis oportere nos ipsos. Ad aliena verò vitia, misericordiâ commoueor: sentioque intolerantiæ meæ fuisse, illos accepisse tam asperè, quos ferre sit opus; obtutu minimùm in illos, plurimùm in Deum defixo. Tunc verò illos nostræ subiectos potestati, nobis Deus ef-
Ps. 143.2. ficit obsequentes: *Qui subdit populum meum sub me*.

Ex quo largitatem hanc tantam in me Deus effudit, hæc meæ precationis est forma. Diuinæ illius præsentiæ sisto me, quam mihi intimè, extimèque spectandam, *Per modum habitus permanenter*, ipse mihi tunc obtulit, cùm semel ipsius suauitate cum ipso perfruerer. Consulatur D. Thomas 2.2. qu. 24. ar. 9. ad 3. vbi discrimen inter incipientes, proficientes, atque perfectos exequitur: atque horum omnium illud esse studium ait, *Ad hoc principaliter intendere, vt Deo inhæreant*. Ad tertium deinde respondens: Quanquam, inquit, perfecti quotidie in caritate proficiunt, non tamen id præcipuè moliuntur, sed vt Deo inhærentes, eo perfruantur:

quod

quod etsi Incipientes, Proficientesq; perquirunt, curant tamen illi magis exuere vitia, hi virtutes induere. Id verò in ipso articuli corpore cōfirmat exēplo motus corporei, in quo mobile primùm à termino recedit, in quo est, deinde ad terminū accedit, in quem fertur: tertiò demū in quæsito, inuentoq; termino cōquiescit. Idem ipse sanctissimus Doctor in opusculo sexagesimo tertio, de Beatitudine, sub finē tertij præcipui argumenti, docens quo pacto beatissimi Cæli ciues Deo sint in immortali gloria fruituri, ait, ratione cōsimili, Deo nos in hac vita frui assiduò opportere; quippe quòd nostrum ille, præcipuumq; ac proprium bonum est, ac dignissimum, quo per sua ipsius dona fruamur: in quibus, cæterisq; rebus omnibus hoc spectandū à nobis est vnicè, ex oraculo Isaiæ dicentis, *Dei filium nobis nostri causâ datum esse*, vt illo in hac etiam mortalitate fruamur. Isa. 9. 6.

Ex quo profunda cæcitas, egregiaque stultitia eorum apparet, qui Deum anxiè semper quærunt, suspirantque vt inueniant; vt audiantur ab eo scilicet, inter orandum exclamant: seque viua Templa (quod docet Apostolus) esse non intelligunt: quare bonum hoc summum in nobis verè ipsis inhabitat: intraque nos ipsos diuini maiestas Numinis conquiescit: & tamen illi fruendæ animum non conferunt. An verò manifestus insaniæ non est, qui quæ domi habeat, vestiget foris? siue, quis quempiam vsquam vidit inuentis, aut obuijs, sed non gustatis tamen dapibus innutriri? aut instrumento vti, quod nactus ante non fuerit? Atqui ea vitæ ratio est Deum inquirentis semper, nunquam verò gustantis, cuius idcircò opera à perfectione plus distant. Doctor idem Angelicus 2.2. q.182. a.2. ad 1. ait: Etsi diuini amoris argumentum est, Dei causâ, libente animo perpeti: expressiùs tamen eundem euinci, cum ab se procul habitâ mortalium rerum curâ, cum Deo quisquam in oratione quiescit. Hinc verò conficitur, Deo perfrui, & beatis in Cęlo ciuibus, & Iustis terrarum incolis, fructum esse communem.

Inter orandum aliàs, diuinorum è sacris paginis verborum significata, sensusque arcanos animo mecum ipse commentor: taceo aliàs, & quiesco: at hoc coram Deo cum quiete silentium, thesaurus est ingens. Deo enim loquuntur omnia; eiusque oculis res nulla non patet; meum cor, mea vota, meus animus, conatus mei, quicquid intra me ipsum est, quæ scio, quæ valeo, diuini Numinis oculi sunt, qui mea possunt euellere vitia, cupiditates meas incendere; alas sufficere ad volandum; mei boni, suique obsequij appetentiore ipso, quàm me. Hinc verò animus colligit, ducente illo, & gradiente per angustias, esse illac enitendum & ipsi: ideò enim ille anteijt, vt nos quieto, pacatoque animo

ſubſequamur ; atque innixus fidei veritati, ſolatio habet, ſi res ex voto non ceſſerit, grandius tamen ab ipſo aliquid obtineri ; voluntatis nempe ſuæ cum diuina conſenſum; quæ ſcilicet ipſi vitæ ſons eſt. Neque porrò ſciendum vltra, quàm velit, neque properantiùs, neque alio, quàm quo ille conſtituerit, tramite incedendum: quod in libello de contemptu mundi docemur: Si aſſecutus, inquit, id fueris, vt non te ipſe, ſed me quæras, tua tunc vita, & mihi percara, & tibi periucunda erit. Animi verò imbecillitati, gementi ſæpe ſub onere, reſpondendum, In te vno ne id, quod Deum habet auctorem, expedire iam deſinet? ſiue quia tibi non probatur, quod volet ille, non fiet? Id verò illud eſt, quod in præſentia primùm ſpecto, recreorque profectò, quòd præ ipſius oculis, proque ipſius voluntate acceptum me, exercitumque contemplor.

§. II.

IAm verò quandoquidem hanc precandi rationem ingreſſus obiurgantem intra me ſenſi, ſi ab ea ad vſus alios ratiocinandi deflecterem, contuli animum ad Auctores, rationeſque peruestigandas, quibus eam ſcilicet effulcirem. Auctores ſunt S. Dionyſius Areopagita c.1. de myſtica Theologia: S.Auguſt. epiſt.119. S.Thom.& loco citato, & in ea Apocalypſis verba c.8. *Factum eſt ſilentium in Cælo quaſi media hora*: Et in eadem verba S.Greg. l.3. Moral.c.16. ſub finem,& c.24. in illa verba Iob. c.39.6. *Cui dedi in ſolitudine domum*. Et hom. 14. in Ezechielem ad illa verba c. 40. 5. *Et in manu viri calamus menſuræ ſex cubitorum & palmi*. S.Bernardus ſerm.55. in Cant. Albertus Magnus de adhærendo Deo c. 20. S.Ioannes Climacus gradu 27. Et diuinus ipſe Spiritus Eccleſ.32. 9. ijs verbis: *Audi tacens, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia*. Quaſi dicat, Audi tacens, quod te Deus edocet; & reuerentiæ causâ, quâ illi commodas aures, ſuâ te gratiâ, & familiaritate dignabitur. Quies hæc ſopor ille videtur eſſe, quem cuſtodiri Deus iubet in Cant. c.2.7. *Adiuro vos, filiæ Hieruſalem, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, quò ad vſque ipſa velit*. Sponſa verò reſpondet, *Vox dilecti mei*. Hoc enim ferculum tam dulce, vacuumque periculo, aliâ mitti, quàm ipſius, manu non poteſt. Requies hæc eſt promiſſa exantlatis in Deo perquirendo laboribus. *Inueni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam*: ait ſponſa Cant.c.3. 4. Animæ enim illud complexæ gaudium, quo conſtant auctore res omnes, vnde poſſit angor accidere? Anxitudines noſtrâ nos ipſi manu colligimus; earum nempe rerum aucupes, quæ ijs ſunt per-

perlitæ, ac refertæ: easque per neglectum procul habentes, in quibus vita inest, & gaudium. Quare cupiditates nostræ carnifices nostri sunt. Finis votorum deterrimi cuiusque mortalium, felicitas est: laboribus iuuentutem exercent, vt senectuti sit quies. Eorum verò vita, quæ omni parte per labores, nulla per quietem exigitur, inter miserrimas numeranda est. Quare S.Thom. opusc. 63. eos redarguit, qui suam vitam omnem, in quærendo Deo, nunquam in fruendo, consumunt: quorum opera minus perfecta esse affirmat. Finis agentis aliquid, est, illo frui; serentisque vineam, vesci fructu. *Quis pascit gregem* 1.Cor.9. 7. inquit Apostolus, *& de lacte gregis non manducat*? Et ipse apud Lucam. c.9. Assertor hominum Christus lachrymabundus ait, *Hierusalem, si cognouisses & tu, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis*! Ac si diceret. Hierusalem, si bonum quo potiris, nec tamen vides, agnosceres! Nescientem quippe in quo bonum hoc habeat, sua ipsius cupiditas inquietat: fugit enim ipsum, apud se esse, quod quærit. At vbi compertum à se illud intelligit, conquiescit. Quemadmodum si quempiam aliquis, quem ipse affatur, inquirit; eumque, cum coram aspiciat, non tamen agnoscit, animo adhuc anxius est, sui enim nequaquam voti potitur. Quod Magdalenæ accidit rediuiuum Dominum alloquenti, nec tamen fruenti, donec indicio sese manifestum exhibuit; eumque tunc ipsa palam agnouit. Quis verò epulas perpetuò instruit, instructisque aliquando non vescitur? *Est aliud malum* (ait Eccles.c.6.1.) *quod vidi sub Sole, Vir cui dedit Deus diuitias, & substantiam, & honorem, & nihil deest animæ suæ ex omnibus, quæ desiderat; nec tribuit ei potestatem Deus, vt comedat ex eo.* Interest verò inter erroris huius participem, & exortem; inter laborantem auidè, vt fami quærat obsonium; eumque qui comedit iam paratum: quòd hic edendo quiescit, præsertim verò si epulis per quàm lautis accipitur. Labore in quærendo Deo perfunctis, vbi illum inuenerint, illud superest, vt fruantur. *Gustate & videte quoniam suauis est Dominus*: sententia Dauidis est Psal.33. Huiusce viæ sublimitas compluribus notis à diuino Spiritu Sap.8. describitur. Cum primùm verò spiritus hic sapientiæ in animam influit, tantum illi accedit pretij, vt nihil æquè mortalium oculos suo fulgore defigat, quocum possit illa conferri: non aurum, non argentum, non forma, non vires. Omnia, cum illa, bona subeunt: atque ita vnus est spiritus, vt sint vnà permulti: suauis est enim Dominus, benignus, locuples &c. cuius gustum vbi quis ceperit, dimittit ab se omnia, quibus ante seruierat; suique incipit esse iuris, ac liber.

Rationes, quæ huic precandi formæ suffragantur, hæ sunt. Pri-

ma: licet enim absit ab ea fermè ratiocinatio, petitio tamen adest: in eaque, quam Deus animæ impertit, quiete, virtutum plena exercitatio est: ibidem petitio intercedit, *non in actu signato*, veluti Theologi loquuntur in Scholis, *sed in actu exercito*. Quid enim anima silens coram Deo non petit, ea nimirum fide, qua persuasum habet, adeunte se Dei conspectum, sua illi vota omnia esse perspecta? Vota namque apud Deum, perinde, atque voces apud homines sunt, è Dauidis oraculo, *Desiderium pauperum exaudiuit Dominus*. Psal. 9. 17. Non voces modò, sed & vota, inquit, pauperum iustorum. Quisquis hac fide fretus ad Dei fores adit, credit inde sua bona omnia processura; amat, seque submittit, & exercet: ac diuinam, relictâ suâ, viam insistens, bonum omne nanciscitur. Altera ratio est, quòd ea est forma, quâ sentitur de Deo præstantiùs: hoc verò excelsæ illius Maiestati par est. Tertia: oratur hoc modo prolixiùs: compluriumque sanctissimorum virorum preces eiusmodi fuisse probâtur: mentis enim agitatio defatigat; illorum verò assidua erat precatio. Quarta: quod emendare in anima, ratiocinando, connitimur, compendiosiùs à Deo fieri apparet, hac via: atque eiusmodi homines studiosiores virtutum sunt, subiectiores Præpositis, suis cupiditatibus maiores, efficacioresque cum proximis.

At enim hæc vtique via nequaquam omnes admittit: admittit quidem illa, quam sanctissimus Pater Ignatius in Societate constituit. Hæc vero communis certè ijs est omnibus, quibuscum eam Deus cõmunicare voluerit; seu quos ab diuturno precationis, ac ratiocinationis vsu, Præposito, cuius est de hac causa ferre iudicium, in paratam hanc viam vocare videbitur Deus. Id verò cum exemplo constat Ignatij: is enim quanquam eâ sub initium ingressus est viâ, quam ipse in Exercitiorum libro descripsit, in hanc deinde alteram prouectus est; quod ex ipsius vita cognouimus, in qua sic legitur, *Postea erat patiens diuina*. Quòd si cuiuscumque scientiæ initium est, medium, ac finis; in hac quoque profectò sic habet. Hos autem in Societate gradus, processusque haberi, videtur id euidens; cum in hoc Ordine Socios tantus gratificandi Deo ardor incendat. Iam verò, quos in hunc orandi modum Deus erexerit, eos cum detrimento corporis, animique, ab ijs argui, & vetari, qui nempe illius periculum ipsi non sumpserint, id verò tutum conscientiæ non videtur. Scitum hoc Osunæ est in suo Abecedario; Nequaquam illos vacare culpa, qui quemquam à Dei via seducunt. Aliusque nonnemo inquit; Præpositis id molientibus vitam à Deo contractum iri, nisi destiterint: secus tamen, cum id causâ vel exquirendi, vel experiundi tentatur: hoc enim consen-

sentaneum & rationi est, & muneri Præpositorum. Atque hæc mea sententia est de ijs, quæ aguntur, & acta sunt mecum; deque orandi forma, & vacatione subinde ratiocinationis, diuinæ causâ præsentiæ. Quorum omnium eâ, quæ subiectum Parenti filium decet, animi submissione, etiam atque etiam rogo, vt Paternitas tua sola sit conscia.

Hæc in hunc modum Baltasar suo commentariolo exposuit: quibus sanè singularis ipsius virtus, & sanctimonia commostrãtur. Ibi enim perquàm submissè de suis primò vitijs, tenuibusque ad auctoritatem, æstimationemque sibi adiungendam dotibus, deque suæ vitæ explorata sibi ratione miseranda, ac inope confitetur. Deinde verò bonorum ingentem vim subijcit, quam in ipsum Deus effudit; vt hinc & tantulum illud, quod suum ipsius erat, & profusa Dei largitas appareat; cuius vi tam mira extitit in ipsius corde mutatio: quæ sanè tam multa, ingentiaque dona complectitur, vt si singulatim omnia pensitanda sint, iusto largiùs effundatur stylus oporteat.

Postremò, ait, præcelsam illam, in quam euectus est à Deo, precationem, ex altissimis fuisse gradibus diuinæ contemplationis: munus nempe, quo ornari raro consueuere perpauci. Porrò hæc ipsa exarauit, postquam dierum quindecim secessu ad spiritualia exercitia collegit sese. Pridie verò quàm scripta hæc mitteret Romam, ea graui Societatis viro recognoscenda dedit ipse sub vesperam. At hic clam sibi illa exscripsit, habuitque apud se complures annos occulta: quæ deinde protulit, ac vulgauit; eâque demum viâ nostras deuenit in manus. Sedenim cum complura in ijs sint in hoc precationis studio permagni sanè momenti, in quibus discrepari posset à mente Baltasaris; ea, nullo ab historia deflexu, in sequentibus capitibus euoluemus.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

Modus hic orandi pleniùs explicatur, Quorsum illum Baltasari Deus impertijt; & cur annos aliquot distulit.

OMnium ferè vitæ Sanctorum multiplici rerum varietate miscentur: eæque propositæ omnibus sunt, aliæ quidem ad imitandum, aliæ ad demirandum, Deumque illarum largitorem laudibus efferendum. Quandoquidem verò *non est abbreuiata ma-* Isa 59.1.
nus

nus eius, (& nunc enim ea munera solet alijs elargiri) hi qua in illis ratione se gerant, sanctorum hominum, in quibus ea effulsere, vestigijs inhærentes; ex ijs, quæ legunt, poterunt erudiri. Hoc idem exempli intueri licet in vita Baltasaris, atque in ijs, quæ ad illam superiori iam capite expositam, initamque ab ipso precandi formam pertinent. Enucleatiùs verò inclusa illic exponere longè fructuosum erit. Quorsum nempe munus hoc tantum sanctissimo huic Viro Deus impertijt; alijsque piè ipsum colentibus elargitur: Rationes, quibus prolatum hoc idem est, ad sexdecim vsque annos: Fructus, atque charismata, quibus illum auxit, augetque eos, qui vitam per bona opera exigunt: diuinum impulsum, quo ad hunc orandi modum vocatus est, necessarium eum quidem omnibus viam hanc tutò, atque vtiliter ingressuris: securitatem, & commodum vsitatæ precandi formæ, quâ diu se Baltasar exercuit, erogataque sibi munera exorauit: reliqua demum omnia, quæ è re fuerint, vt recensita à Baltasare faciliora sint captu, nostrçque historiæ seriem prosequamur.

§. I.

MOdi huius orandi naturam, & quæ ad hunc pertinent, fusiùs Baltasar ipse, in alio huius argumenti opusculo, obiectas contra diluens rationes, explicuit. Quorum meminisse, & responsa vtique grauissima proferre sui etiam erit loci. In præsentia verò distinctiùs, breuiùsque interpretationem hanc è nominibus eliciemus, quibus hoc precationis genus animorum Institutores, & ipsemet Baltasar appellant; ijs enim, quid illa sit, & quæ sint ipsius, effectus eiusdem, & causa significantur. Ea verò etsi permulta sunt, vsitatiora tamen sunt hæc, ad quæ & cætera referuntur.

Primò huic precationi nomen est, *Præsentiæ Dei*. Quanquam enim, quacunque quiuis ratione precari rectè, mente, vel ore voluerit, necesse profectò est fidei obtutu Deum sibi præsentem aspiciat, audientem, intelligentemque quæ dicit (nemo enim quempiam alloquitur, quem absentem, atque ab se prolata minimè audientem, atque intelligentem existimat) hic tamen orandi modus, *Præsentiæ Dei*, peculiari nomine appellatur, quòd in illa mens diuino lumine, sine vlla ratiocinatione, imbuitur: Deumque ita præsentem aspicit, sibique aut propinquum, aut intimum, vt videatur ipsa sibi sensu eum percipere, quem affatur, & cui tunc adest: quod de Moyse Paulus affirmat: *Inuisibilem*, inquit, *tanquam videns sustinuit*. Ex quo, naturæ veluti ductu, ita subeunt reueren-

uerentia, & admiratio, prona voluntas, voluptas, & gaudium sistendi se coram ipso, quasi quisquam vultum aliquem hominis, aut imaginem forma præstantem aspiciat; quam cum admiratione simul, ac voluptate tantæ pulchritudinis contemplatur.

Hinc alio etiam vocabulo dicitur hæc *Precatio, Quietis*, aut *Vacationis internæ*: cessat enim imaginum, & cogitationum multitudo, varietas, atque tumultus: superioresque animi facultates, Memoria, Intelligentia, & Voluntas in Deum, diuinorumque mysteriorum contemplationem, summa suorum actuum requiete, ac tranquillitate coëunt, & figuntur. Hæc verò ea est, quæ proprio magis nomine, *Contemplatio* appellatur: atque (ex D. Thomæ, aliorumque Doctorum sententia; & vt nos ipsi in libro, cui titulus est, Dux spiritualis, exposuimus) à Meditatione discrepat: hæc enim, ex vna in rem aliam excursu, veritatem delitescentem indagat; eamque sensim detegens, permulta euoluit, vt capiat. At verò Contemplatio, vno statim intuitu, veritatem summam peruidet; eiusque magnitudine admirabunda suspenditur, delectatur, & fruitur. Hinc illud est Psaltis, *Vacate & videte, quoniam ego sum Deus*: Psal. 45. 11
& *Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus.* Psal. 33. 9

Rursum *Oratio silentij* nominatur: In ea namque loquitur Deus, & anima silet; eaque excipit perattentè, quæ ipsius intimè cordi diuinus Præceptor eloquitur; quæque de se suisque mysterijs ipsi indicat, & explanat. Neque verò, vt rudes arbitrantur aliqui, existimandum est, conticere animum, & silentio expectare, vacationem esse omnium omninò actuum in intimis animi facultatibus: id enim, nisi per somnum, fieri minimè potest: resque proinde molesta esset, ac noxia: Immò tempus perinde atque inani otio tereretur: periculo sanè quàm proximo, ne mens aut cogitationibus vltrò fruticet alienis; aut absurdas, prauasque ab nefario iniectas hoste suscipiat. Quamobrem quandiu Deus nihil ipse agit in animo, ipse profectò aliquid intelligentiâ, ac voluntate agat oportet. Atque tunc etiam, cùm agit Deus, agit aliquid & ipse cum illo. Quemadmodum discipulus lectionem ex Præceptore silenter excipiens, agit intus: ea enim, quæ Magister edocet, & ipse audit, aduertit, intelligit. At verò hæc precatio non idcirco Silentij nuncupatur, quòd lingua tantummodò conticescat; fit hoc enim quotiescunque mente precamur: neque rursum, quòd sileant penitus internæ animi facultates: sed quòd, quicquid illæ tunc agunt, à Deo nimirum accipiunt: quod & Dauid aiebat: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*: Qui Præceptoris munere fungi, & ad cor loqui, eique & sua effata veritatis euoluere, & amorem intimum illorum, nullo ipsius, vt aliàs inter enixè orandum

dum, exorandumque conatu, gaudet ingignere. In hanc sententiam de diuino Hierotheo Dionysius dixit, *Erat patiens diuina*: In diuina nempe consuetudine Discipulum potius agens doctrina imbutum ab alio, quàm hominem sua sagacitate, atque solertiâ veritatis arcana, quæ non eruit, vestigantem. Rursum, hoc ipsum audire, *silentium* idcircò vocatur; quia tunc res omnes procreatæ in animo conticescunt, neque quicquam est, quod illi quietem adimat, molestiamque facessat. Idcircò etiam *Somnus*, sacris in Canticis appellatur: ità enim cor vigilat, atque ad cognoscendum, amandum, complexandumque Deum erigitur, vt animus quodammodo ad extraria dormitet; neque ea, quæ loquuntur alij, extràque aguntur, audiat, videat, intelligat. Huic proinde precationi meritò etiam *Coniunctionis*, siue, vt aiunt, *Vnionis* nomen est: Etenim animus, ex cognitionis, amorisque amplitudine, Deo
1.Cor.6.17 perquàm arctè coniungitur, estque (vt Paulus inquit) *vnus spiritus cum eo*, nesciens inde auocari tunc alio ad rem vspiam vllam optandam, quærendam, amandam; illud cum Dauide pronun-
Psal.72.25 cians, *Quid mihi est in Cælo, & à te quid volui super terram?* Et cum
Cant. 3.4. Sponsa: *Inueni quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam.*

Hæc vsitatoria sunt nomina Precationis adeò excellentis: in qua permultæ insunt mentis illustrationes, atque affectus erga diuina mysteria admirandi; imaginarijs quandoque symbolis, quæ Deus effingit in animo; aliàs verò lumine dumtaxat intelligentiæ
L. de myst. Theol. & Bonau. in li eiusdem titulij. multò præstantiore: quo in fastigium mysticæ Theologiæ solet euehere: quodque à Dionysio appellatur *ingredi in diuinam caliginem*; lucem nimirum inaccessam; & cæco quodam impetu in intimam Maiestatis eius coniunctionem efferri; quæ omni natura, intelligentiaque maior est. Etenim diuinæ naturæ cognitio est illa tam alta, complexusque tam intimus, ac diuinus, vt vnus ad id Deus, & singulari quidem munere, ac prærogatiua possit attollere: cumque tam immensum sit, quod ibi cognoscitur, adhuc infinitæ cuiusdam profunditatis speciem exhibet, quod ignoratur.

Hinc inusitata subinde quædam in hoc genere precationis eueniunt; è quibus alia illi nomina accedunt. Cum enim diuinæ visitationes, illustrationes, visiones internæ, ardentesque affectus, cum Dei amore, atque complexu tanto impetu influunt, vt animus externis abalienetur à sensibus, motusque corporis cessent, *Suspensio* hæc appellatur & *Ecstasis*. Quòd si hæc magna cum vi repente
2.Cor. 12. 3. se ingerit, *Raptus* vocatur; seque ita inquit Apostolus, *Raptum esse vsque ad tertium Cælum, & in Paradisum*. Sin maiori interna suauitate sese insinuat, *Spiritalis volatus* dicitur, quem Dauid cu-
Psal.54.7. piebat sibi cum diceret, *Quis dabit mihi pennas, sicut columbæ, &*

volabo

volabo, & requiescam? Ipſum verò corpus in aëre quandoque à tellure ſuſpenditur, proſecutum nempe impetum ſpiritus in altum ad contemplanda cæleſtia euolantis. At enim in his omnibus Suſpenſionibus, Raptibuſque, cum ex Deo ſunt, neque otiatur ſpiritus, neque dormitat, ſed aliquid ſemper videt, audit, intelligit, admiratur, gaudet, amat: cùm verò nihil agit, aut patitur, ſtupor dicendus magis eſt; euaneſcentis, ac ſomniculoſæ mentis inertia; ſiue ludibrium, Dæmoniſque præſtigiæ. Hæc verò inſueta quandoquidem ſuapte naturâ ſunt plena periculi; neque optanda porrò ſunt, neque poſtulanda: quin fugienda potiùs, dum ad ea excipienda Deus ipſe compellat; eaque ſentienti indicia faciat, ſuæ voluntatis eſſe, hanc ab ipſo viam inſiſti.

§. II.

ATque hæc illa ſunt, quæ genus eiuſmodi precationis, contemplationiſque complectitur; quam permultis nominibus Baltaſari Deus impertijt. Primùm verò, quòd cum illum ſpiritualis doctrinæ Magiſtrum, plurimiſq; de precatione cum eo acturis deſtinaſſetDucem;in hoc propterea voluitipſum cum primis excellere: atque varietatem hanc viarum, quibus diuini prouidentia Numinis percaros ſibi deducit, ſuo ipſius experimento callere. Ratio hæc comperta Baltaſari fuit; eamque in eo, cuius meminimus,
„ Opuſculo, accuratè perpendit. Ait enim primò; Qui Græcè
„ nunquam didicit, is neque Græca volumina legere, neque Græ-
„ cè loquentem intelligere, multòque minus etiam eo ſermone
„ alios poterit Magiſter imbuere. Deinde in hac potiùs, quàm in
„ quauis alia facultate decet Inſtitutorem, Cauſæ inſtar eſſe ſupe-
„ rioris, atque vniuerſalis, qui iuuare vniuerſos poſſit in ſuo
„ quemque gradu, atque progreſſu, vijſque omnibus, permultis
„ quidem illis, etſi eodem conſpiratò ducentibus. quas eos diui-
„ num Numen inire voluerit. Eò verò plurimum refert, earum
„ omnium in ipſo ſe feciſſe periculum. Etenim vſus ille eſt, quo
„ fit, vt Præceptores excellant. Quanquam enim commentatio, &
„ Sanctorum Patrum, myſticorumque Doctorum lectio plurimum
„ in id confert, ipſa tamen experientia longè præſtat, ac proficit.
„ Ingentique ſolatio (velut animorum nonnemo Inſtitutor ſapiē-
„ ter aſſeruit) diſcipulo eſt, à ſuo Duce dicitari; Præteruectus
„ hác ego ſum: atque, hoc mihi, & illud obuēnit: eumque diri-
„ gere vadentem; quòque tendat proſpicere, atque ex illius ſemi-
„ uocula mentem ipſius omnem eruere; & quæ explicare ipſe ne-
„ ſciat, illum liquidò edocere. Quod ſanè diſcipulorum proceſſui
„ conducibile cum primis eſt: vtque ipſius auctoritati plurimum

„ illi tribuant; atq; ea, quæ docet momentum habeant apud illos:
„ quod Christo confitebantur Apostoli, *Nunc scimus, quia scis om-*
„ *nia; & non est tibi opus, vt quis te interroget. In hoc credimus, quia à*
„ *Deo existi*. Fortiùsque illos exemplum Magistri incitat ita sen-
„ tientis, & loquentis, suaque ijs arcana intima retegentis (quo
„ Christus cum Samaritana præiuit exemplo) quàm quæcumque
„ illi de ijs, qui iam fuere, legendo cognorint. Quare Doctor idem
„ affirmat, è re etiam esse, vt Institutores hi præpandant sese;
„ cumque ijs, quos instruunt, sese ipsi communicent, neque, vt
„ à nonnullis fit, subtrahant sese penitus, includantque; etsi in
„ quantum, & quo seipsos modo prudenter aperire fas sit, decori
„ ratio est habenda; ne Magistrum totum hauriat, exhauriatque
discipulus. Hæ rationes Baltasaris sunt, suo ab ipsius experimento deproptæ: quo mirificè prouexit animos, in eorumque intima altè pertinuit; magnâque apud omnes famâ, præcellens, vti dicendum suo loco erit, audijt Institutor. Et verò de Baltasaris in quacumque via spiritus vsu, testimonium dixit sanè grauissimum sanctissima Virgo, vt meminimus, Teresa IESV, cum ait, In omni precandi genere, quod cum Magistro ipsa suo Baltasare conferebat, eum scilicet præiuisse. Cui & illud adstipulatur, quod in Superiore commentariolo confessus est ipse, cum dixit, scientiam spiritus à Deo fuisse sibi, & sui, & aliorum gratiâ impertitam: quo Magister dictus, factusque est interiorum scientiâ rerum experientissimus.

Atque hinc alteram licet rationem elicere, cur Deus in hunc suum Administrum, Euangelicumque Operarium munus hoc contulit: Ne scilicet ex consuetudine ac familiaritate cum proximis quicquam detrimenti, immò magna potius perfectionis incremēta caperet, eius congeminatione spiritus, quem duplicari sibi Elisæus expetijt, & quo ipsius Magister imbutus erat, Elias; precationis excelsitatem, intimamq; cū Deo consuetudinem assecutus Baltasar est eâ quiete, quasi æuum in solitudine agitaret; solertiamq; item in hominū procuranda salute: diuina interim neq; consuetudiue, neq; præsentia ab se dimissis, aut remissis in sese. Quanquam verò, auctore Cassiano, hæc in re vtraque perfectio rara admodum est; perpaucique illâ sunt præditi; quemadmodum magni illi Antonius, & Macarius; in modicum tamen horum numerum diuini consilij fuit & Baltasarem cooptare: qui & consuesceret assiduò suo cum Conditore, per preces; & insinuaret simul sese in hominum vsus, quos ad Deum, cum ijs agendo, traduceret: concentu sanè mirando, studio altero alterum adiuuante. Adstruam dicto fidem: Ipso enim anno, quo Baltasar solemnia professus vota, procuran-
dæ

dæ animorum saluti deuouit se, hoc decoratus munere à Deo est: vt intelligeret, non idcirco collatum in se illud esse, vt se in solitudinem abderet; sed vt consuetudinem Dei, hominumque coniungeret; quod facilius multò est, cùm in precibus non laboriosa connixi remigatione, sed diuini Spiritus secundâ impulsi aurâ prouehimur.

Tertia hinc etiam consequitur ratio collatæ huius in Baltasarem prærogatiuæ: præmio nimirum afficiendæ gratiâ illius industriæ, quam, vt capite secundo meminimus, in orando per ratiocinationem, diuinorumque mysteriorum commemorationem adhibuit. Intuitus enim Deus eius conatus, animique vota, ac fidelitatem simul in sua proximis opera commodanda, hæc omnia remunerari largè constituit; ita nempe, vt fructum, quem expetebat omnem, vberioremque etiam, negotio faciliore perciperet. Quanquam enim præstãtes ex vtroque orandi & contemplandi genere fructus edũtur, interest tamen in eo discrimen: Etenim qui ratiocinatione, ac meditatione mentẽ exercet, rem conatu, ac fatigatione molitur, eius instar, qui fune, ac situla aquam haurit ex puteo; siue haustam antlia, infusamque canalibus, irrigatum plantas, in hortum, areasque deriuat. At verò genus alterum quietæ contemplationis labore caret, atque molestia; pluuiæque instar est labentis è Cælo, quam infusam tellus imbibit; de qua Psaltes cecinit; *Riuos inebria, multiplica genimina eius, in stillicidijs eius lætabitur germinans.* Suauis *Psal.64.11* verò summi Regis prouidentia sua munera munificè diuidentis, voluntarios suos alleuare mancipes amat: adeòque ad contemplationem idoneis, vbi ad eam sese, cordis munditiâ, cupiditatum fræno, atque victoriâ, diuturnoque meditationum vsu comparauerint, abundè simul, & placidè solet id muneris impertiri; tunc verò maximè cum in proximorum salutem sua sunt studia collaturi. Itá & Ignatium insigniuit hoc munere, eâ progressum antea commentationum viâ, quam ipse nos suo in libello Exercitiorum edocuit: eodemque etiam ornauit Baltasarem, & eos omnes ornabit, qui ad illud habendum consimili seipsi studio aptarint: dum id & ipsorum perfectioni sit congruens, & animum perseuranter humilem, obsequentemque retineant, in ijs, quæ precationis vsitatæ sunt, accuratè præstandis: siquidem illa ad excelsiorem est gradus.

§. III.

HÆc verò perseuerantia, nullo diuinæ visitationi tempore præstituto, ad sua obtinenda vota pernecessaria cuique est.

Etenim ſexdecim, vt poſitum eſt, annos Baltaſarem Deus, quemadmodum etiam ſanctiſſimam Tereſam IESV, affirmante ipſius vitæ auctore Franciſco Ribera, annos duodeuiginti conſuetæ precationis formâ continuit: alijque etiam ſanctitate præſignes diuturna, patienter expectando, tempora extraxere. Neqne verò mirum: ſi enim quatuordecim annos laborioſiſsimam ſeruitutem ſeruiuit Iacob, vt ſibi daretur nupta, quam deperibat, Rachel, adumbrata nimirum vitæ contemplatricis imago, quid habet momenti futuros olim in ea vita præſtantes, ſibique diuinam Sapientiam animo deſponſuros, complures in ea ſpectanda, expectandaque annos per labores, ac ſudores exigere? Cum primis verò, quòd hiſce conatibus, bonis interim aliis ingentibus augentur: modò hi in ſumma animi ſubmiſſione nitantur. Tanti enim muneris cũ intelligant in ſeſe deſiderari promerita, mundiores efficere ſe etiã, atque etiam ſtudent; ne indigni planè ſint, qui illo donentur: vota, induſtriaſque ad rem tanti pretij adipiſcendam accumulant; tolerantia ipſorum, atque fiducia probatur, conſummaturque; quippe qui in tanta expectandi mora animum non deſpondent. Hiſce, alijſque virtutibus dignos ipſi ſeſe diuino munere contemplationis efficiunt. Quo potiti, vt cum maximè ſunt & in largitorem ſuum grati, & in tuendo, excolendoque ad fructum deſtinatum munere ſtudioſi. Denique ſuo exemplo ſimul, atque periculo animos nobis addunt ad retinendam in precatione conſtantiam; permulta licet anxitudo, & ariditas intercedat. Quiſquis enim perſeuerante fide ad Dei fores pulſat, auditur; inque eminentiam, ac dulcedinem diuinæ familiaritatis admittitur.

Id verò Baltaſar ſexdecim exactis annis ſuo ipſe vſu cognouit; ijs, quos diximus, fructibus ex hac Dei probatione, moraque perceptis. Atque expertus ipſe nos ad perſeuerandum in precibus „verbis hiſce grauiſſimis hortabatur. Accedamus, fratres, ad Dei „oſtium perſeueranter: patet enim; aut, ſi ad illud clamabimus, „nobis vtique recludetur: fidem enim ſuam obſtrinxit ipſe cum
Matth. 7. 7 „dixit: *Petite, & accipietis; pulſate, & aperietur vobis*. Cur igitur
Luc. 11. 9. „tantum ſolatij ex hac pollicitatione non capimus, vt nihil nos „obiecta mora commoueat, quamobrem à clamando ceſſemus; „reputemuſque nihil omnem animi noſtri glaciem obſtituram, „quò minus promiſſa diuini Principis impleantur, modò illius „fidei ſubmiſsè, reuerenterque credamus? Atquî, ſi vti ratione „velimus, nulla certè vis ad aſperum quemque, quantò magis ad „facilem demulcendum efficacior eſt, quàm ad eius limen præ „frigore tremere, ac torpere, vt recludi iubeat fores. Perſtemus „itaque, fratres, tanti Regis ad ianuam, licet ibi à glacie vapulemus;

„ lemus; nobis enim minimè cogitantibus, iubebit *Assuerus Mar-* Esth.6.10.
„ *dochæum intrare, & faciem Regis videre*: suæque demum sortis & 8.1.
„ accessione tanta proficiet, vt memoriam omnem sit deleturus
„ incommodi, quo tandiu lapidis instar durus, ac gelidus ad eam
„ ianuam expectauit. Etenim de Iusto scriptum est; *Audiuit Deus*
„ *vocem ipsius, & induxit illum in nubem*. Ex qua incommodi, ex- Eccl.45.5.
„ pectando, clamandoque, deuorati perseuerantia, præmia quàm
„ amplissima reportauit.

Quæ confirmaturus effata de se ipse testatus est, multâ sibi opus fuisse constantiâ in tam diuturna Dei mora perferenda, dum ipsum miseraret denique, suæque thesauris misericordiæ locupletaret. Ad hæc, alterutro nomine Deum aiebat serò se animis exhibere; siue quòd illi vitiis altè infossi eruere ex eo se cœno supersedent: quodcumque verò vitium perdensæ instar est nebulæ, quæ conspectum Dei præpedit: siue, vt quantum sit illud quod perquirunt bonum, intelligant, cuius assequendi gratiâ tam multa patiuntur, & tandiu. Interim verò & angoribus intus, & vexationibus extra multifariam illos exercet, quò suasum, persuasumque sit, ingens illud esse bonum, quod per tot aspera quæritur.

Ex his demum omnibus precationis excelsitas, donorumque amplitudo colligitur, quibus diuinus hic Vir auctus est. Etenim si ferè messis sementi respondet; eâdemque mensurâ, quâ dolores, solatia erogat, & præmia laboribus æquat Deus; qui sexdecim annos in satu, cultuque per curam, anxitudinem, solertiamque summam, muneris huius frugi colligendæ consumpsit, quo cumulo in meritissimum illũ nõ effuderit hanc Deus, qui supra quàm petere, aut comminisci possimus, exhibet sese in largiendo munificum? quàm præstans, eximiumque donum hoc Baltasar accepit, cum messe promeritorum vberrima, cum cælestium affluentia deliciarum, cumq; cæteris diuinorum charismatum prærogatiuis, præmijs eorum nempe, qui virtutum studio incenduntur? Si bonam arborem bonus indicat fructus, quàm excellens illa fuit precatio, ex qua ij, quos meminimus, tam egregij, suscepti sunt fructus? Quinam verò præstantiores alij fructus sunt, quàm duodecim hi, quos in suo ipse commentariolo percensuit? quique tanquam duodecim lectissimi fructus sunt huius Vitæ Arboris, quam in suæ Ecclesiæ, ac Societatis Paradiso diuinus seuit Agricola? Atque veluti Ioannes ait, *Ligna illa Paradisi ferre fructus nouos per menses singulos*, ita illos Baltasar mensibus, immo diebus singulis Apoc.22.2.
renouabat: documento sanè intimæ cum Deo coniunctionis, quæ nimirum omnia hæc in illum munera deriuabat.

CAPVT

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

Præcipuo Dei afflatu orandi modum hunc init. Egregia dona, quibus cum maximè ad sese perficiendum, iuuandosque proximos instructus est, pleniùs euoluuntur.

DIuinum adeò bonum est intima cum Deo cõsuetudo, quietæ, ac perfectæ contemplationis, qualem illam effinximus, donum, vt Baltasar (quod in laudato opusculo ipse testatur) in eam eniti nequiuerit, sine ipsius Dei impulsu præcipuo; qui, quos vult, & quando, & quemadmodum vult, vocat; nullo ad id certo loco, anno, vel tempore; vnoque dumtaxat voluntatis suæ diuinæ consilio, cuius nempe *deliciæ sunt esse cum filiis hominum*: cum hoc tamen familiariùs, quàm cum illo: atque id munere, priuilegioque præcipuo; quam Vocationem dicimus: estque iniectus à Deo, inditusque altè animo afflatus, motus, amorque pereffica x, quo illum ad modum hunc adeò præcellentem orandi proclinat, idoneas in id illi cum mente vires impertiens. Neque enim ad hoc omnes vocantur, neque verò sunt apti: neque eò euadendi causâ, connitendum est arroganter, ac temerè. Quanquam verò nonnullos à primo ipso, siue ætatis, siue conuersionis exorsu, repente, vnoque volatu in excelsam hanc precationem, atq; subinde ad insolita quædam euehit Deus; ferè tamen non nisi cum ijs hæc sua dona communicat, qui in precibus antea exercuêre sese, ratiocinationis, ac meditationis vsu; ad quem omnes fermè, plùs minusue, vt aptus quisque, & capax est, diuino instinctu vocantur. Huiusce rei expressam ad viuum imaginem ad montem Sinai videre est in exemplo Moysis, ac populi. Etenim *Populus videbat voces, & lampades, & sonitum buccinæ, montemque fumantem: & perterriti, ac pauore concussi, steterunt procul dicentes Moysi: Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur*. Eosque Moyses confirmauit, aiens, *Nolite timere, vt enim probaret vos, venit Deus; & vt terror illius esset in vobis; & non peccaretis*. Tum verò *fratrem suum Aaron, & sexaginta de Senioribus Israël* propiùs secum deduxit. *Et viderunt Deum Israël; & sub pedibus eius, quasi opus lapidis Sapphirini; & quasi Cælum, cum serenum est. Cumque ascendisset Moyses, operuit nubes montem, tegens illum sex diebus: septimo autem die vocauit eum de medio caliginis: & ingressus*

Exo. 20:18. Exo. 24. 10. Exo. 24. 16 & 20. 21.




gressus medium nebulæ ascendit in montem: & fuit ibi quadraginta diebus, & noctibus: Loquebatur autem Dominus ad Moysen perquàm familiariter, *facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum*, suumque illi ea claritate vultum exhibuit, qua cerni in hac mortalitate fas est. Exo.33.12.

Non secus intelligenda ea sunt, quæ cum Christiana Republica transiguntur. Etenim multitudo fidelium, turba nempe idonea minus, & capax, aut rerum etiam plurimarum varietate multiplici occupata, ad preces vocatur, ore modò fundendas; atque ad quædam meditanda, & quasi procul aspicienda mysteria, ea præsertim, quæ castum Dei timorem, ipsiusque perseueræ Iustitiæ terrorem incutiunt: vt è flagitiis emergant, eorumque pœnas in se vltro ipsi suscipiant; moresque ac vitam emendent. Huiusmodi ea sunt, quæ tradit fides de vltimo Iudicii die; de Inferorum suppliciis pœnisque aliis, quas Deus in complures mortalium irrogauit. At verò ex Christiano populo alii, sexaginta eorum Seniorum personam gerunt, qui à Deo vocantur, vt pia mentis exercitatione, altioreque diuinarum rerum commentatione, atq; ardentioribus amoris, ac fiduciæ affectibus propiùs ad ipsum accedant: eumque per condita, gubernataque ab ipso opera, per Cæli, siderumque, ac Planetarum pulchritudinem intelligant: ea nẽpe scrutando, atque ex ijs Auctoris magnitudinem colligendo: eique propterea meritissimo, deque nobis optimè merito obsequi etiam atque etiam expetendo. Eiusmodi verò sunt religiosi homines, & communes, qui tritam meditandi viam insistunt; cuius securitatem, necessitatem, fructusque ingentes, secundo & quadragesimo capite, vbi opportunior erit locus, prolixiùs exequemur.

Perpauci tamen alij sunt in Moyse adumbrati, quos, instinctu præcipuo, ad summum Deus euocat precationis culmen; atque ad intimam cum diuino suo Numine coniunctionem: eosque in cælestem caliginem, nebulamque admittit, quæ oculos excæcat, ne fluxa hæc terrarum aspiciant; rursumque aperit, vt in obtutu sese Conditoris sui defigant; quicum agunt familiariter, ac iucundè; largiùs, parciùsue, pro vt cum suis ille communicare sese maluerit. Sed enim eos antequam summum euehat in verticem sex dies in humilioribus gradibus demoratur; quò de illorum patientia, tentando, cognoscat; seque ipsi exerceant, comparentque ad altiores alios obtinendos. Huiusmodi esse oportet, vt diximus animorum Institutores; qui Moysis instar, Christiano populo, ijsque, qui viam hanc ingrediuntur orandi, moderaturi sunt. Talisque Baltasar profectò fuit; in quem Deus, electum nempe animorum

Ducem

Ducem, vt in Moysen, & hoc, & cætera, quæ percensita sunt, munera collocauit: quæ tam egregia, ingentiaque cum sint, operæ pretium erit, ex ijs, quæ locis alijs Baltasar asseruit, ea cumulatiùs explicare.

§. I.

HOrum verò statuamus initio fundamentum, primum, cui cætera innituntur, munus. Ipsum nempe Deum habere in precatione Magistrum; non eo dumtaxat communi modo, quo Magister omnium nuncupatur, & est; & quo ad orandum, vt c.3. diximus, vnumquemque instruit, ac excitat: sed singulari alio, ac præstantiori, instinctibus, afflatibusque præcipuis, imbre sanctarum cogitationum, ardentiumque affectuum superfuso: securo interim, immunique laboris animo, in hoc diuino pabulo per mentis actus, & commentationes, multarumque industriarum pretium conquirendo. Quare aiebat vulgò Baltasar, cum inter precandum Deus animi ratiocinationem intercipit, argumento esse, ipsummet velle cum eo fungi munere Præceptoris. Animum enim clausis inire ianuis, prærogatiua singularis, ac propria eius summi Molitoris est, quæ cum bono, maloque spiritu communicari non potest. Quare tutissimum hoc est, falsisque ab imaginibus alienum: pax verò ipsa, & gaudium, quibus animus tunc perfunditur, diuini præsentiam Numinis asseuerant. Planiùs id
„ suo in libello tradit, his verbis. Die quinta Februarij, salutis
„ anno 1569. matutinas inter preces, cum apud meum animum
„ reputarem, quantum in me deriuarat incommodi Vir vitæ spi-
„ ritalis experiens, qui suam mihi pollicitus operam, ipse dein-
„ de sese à mea societate seiunxerat; præcipuum hunc hausi sen-
„ sum à Deo: Iniurius Deo est, qui cum Deo agens incommoda-
„ ri sibi ab hominibus existimat; sicubi ab ijs, modò propria absit
„ culpa, deseritur. Eodemque die, cum rem diuinam facienti ea-
„ dem mihi cogitatio obuersaretur animo, eodem sensu id rursum
„ obuenit. Atqui, si idem ille, qui præstò erat tibi per hominem,
„ Magistrum tuum agere, teque docere velit ipse per se, quam
„ tibi imponit iniuriam? Immò verò singulare beneficium hoc
„ est, ingentiumque bonorum fons. Deus enim vnicâ, ac breui
„ ratione colligit, edocetque permulta. Huiusmodi verò precatio,
„ assiduus quidam est confidens simul, reuerensque Dei conspe-
„ ctus; placidus item, atque veritatum intelligentiâ, suauibus-
„ que libis, reliquijs nempe diuini ferculi, colloquijsque cum ipso
„ familiaribus respersus vndique, ac refertus.

Hinc

Hinc alterum munus extitit, quo, vt inquit Dauid, *occulta* illi diuinitatis, *ac profunda suæ sapientiæ manifestauit*: ea ratione, quam de scientia mystica sacrarum rerum Magistri tradunt. Relatum ab „ ipso in eadem aduersaria legitur, hoc pacto. Die 1. Martij 1576. „ per illatum sub vesperam cum viro perquàm Religioso huius „ argumenti sermonem, Quid sit intelligens Dei, diuinorumq; „ mysteriorum visio; eorum, quæ ille protulit, quoddam mihi cum „ liquidæ voluptatis sensu vestigium lucis affulsit. Preces deinde „ ingressus, Deum ibi ita præsentem sensi, vt neque oculorum ob- „ tutu, neque mentis attingeretur imagine; sentiebatur tamen: „ certiùsque & clariùs, quàm quod vel spectatur oculis, vel mente „ fingitur, noscebatur. Huius verò argumenta rei hæc sunt. *Pri-* „ *mum*: Id quod ita spectatur, plus in animo efficit, quàm id, „ quod imagine mentis effingitur, siue obtutu cernitur corporato. „ *Alterum*: Pacem, quietemque animo tantam parit, vt in sui pos- „ sessionem Regni animum Deus videatur admittere. Cumque il- „ le se tanti compotem boni conspiciat, quod neq; assequi cogitatu „ poterat, nec mereri, ijs Deum Dauidis verbis appellat; *Quid est* „ *homo, quòd memor es eius*? ijsque rursum, quæ supremo Mundi die, „ ab Iustis dicenda Christus affirmat, cum ipse, quo nomine cum „ illis suum regnum participet, respondebit: *Domine quando te vi-* „ *dimus hospitem, & collegimus te*? &c. Hac inquam ratione animus „ Deum alloquitur. Domine, ecquæ tibi obsequia præstiti? vbi „ loci, ac temporis tantum promeritus sum boni? *Tertium*: Exit „ inde animus, nec suus iam amplius est, neque vllius vspiam rei, „ sed eius totus vnius, qui omnia vnus est: è Dauidis oraculo: „ *Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inabitem in domo Domini;* „ *quoniam abscondit me in tabernaculo suo*. Prouectò illuc animo il- *Psal. 26.4.* „ lucescere incipit, seseque Deus ostendere; eumque diuina suaui- „ tate perfundit, vt dulcissimum, tenerrimumq; propterea illi sit, „ ijs sese lautitijs acceptum aspicere, eosq; mortales in cogitationem „ accipere, quos Dei causâ plus amat, quam si eos, aut vellet si- „ bi aut numeraret in suis. *Quartum*: Quòd secum ipse perputans „ animus, num tantum doni bonique, veteratoris inferni laruas „ possit induere, rem, tantæ quietis fontem, quæq; adeò in Deum „ ipsum immergit, à malo spiritu esse, persuadere sibi non potest. „ *Quintum*: Quòd animus idem cum Petro tunc dicit, *Domine bo-* „ *num est nos hic esse*: soporem ab se omnem, oscitationemque ab- *Matth. 17. 4.* „ stinet; nec fastidio, laboriue sunt preces. *Sextum*: Quòd suo sibi „ videtur experimento cognoscere, quod c. 1. de Mystica Theo- „ logia Dionysius ait, hoc est, nihil intelligentem, intelligentiam „ omnem exuperare. Hinc enim videtur sibi nihil intelligere, rur-

,, ſumque inde aliò mentem nequit auertere : neque poteſt eo, quo
,, potitur, non eſſe vſque contentus : quanquam illud non intue-
,, tur, aut tractat, eius tamen clariùs, euidentiùſque certus, quàm
,, rerum omnium quas aſpicit, & contrectat.

Ex his verbis apparet, quanto illum Deus inter precandum lumine colluſtraret: quo nempe Baltaſar in ipſum Dei Regnum pertinebat (qui Paradiſus eſt cæleſtium deliciarum) *Iuſtitiam, Pa-*
Rom.14.17 *cem, & Gaudium in Spiritu ſancto*. Talem verò inde ſe referebat, vt iam non ſuus, aut aliorum, ſed Dei totus eſſet, quicum tam artè
1. Cor. 6. 17. coniunctus erat; vt *vnus eſſet* cum eo *ſpiritus*. Quare nonnemini à curis quandoque peranxio, per opportunitatem in collocutione de precibus, diù iam ſe alia in regione viuere, affirmauit; illud
Philip. 3. 20. Pauli, vt opinor, intelligens: *Noſtra autem conuerſatio in Cælis eſt*.

Muneri huic aliud proximè adiectum eſt longè præſtātiſſimum, promiſſa certò illi à Deo felicitatis æternæ poſſeſſio. Indicauit id ipſe Baltaſar P. Ægidio de Mata, qui ad Iapones deinde profectus, inde ad Societatis noſtræ Præpoſitum Generalem cum earum procuratione Prouinciarum bis allegatus eſt. Huic verò in familiari ſermone diſſerenti quandoque cum ipſo de illius animi felicitate, cui in tam multa ſeſe pericula, per tot obita munera, inferenti, de ſua immortali ſalute compertum eſſet; At mihi, Baltaſar inquit, mea ſaltem diſertis, expreſſiſque verbis affirmata certò ſalus eſt. Atque hoc ſingulare in nonnullos diuinæ benignitatis beneficium eſt; quo ij tanquam à ſtimulo incitantur, vt currant; non tanquam à fræno cohibentur, vt ſiſtant. Inter precandum aliàs Beatorum Ciuium cateruam ſupplicantium ordine incedentem, ſeq; ijs inſertum vidit. Quo de viſo, inter aperiendam conſcientiam, Præpoſitum Baltaſar edocuit; reſcitumque de illo eſt, duorum teſtificatione grauiſſimorum in Societate Patrum. Quin ipſemet in ſuis aduerſarijs eius meminiſſe videtur, cum inquit, Aggregatum ſe illicò eorum fuiſſe cœtui, quibus decreta erat æterna beatitas: congruitque cum eo, quod vti memoratum eſt cap. 10. ſanctiſſimæ Parenti Tereſæ IESV diuinitùs innotuit.

Quid igitur mirum, ſi viſis hiſce mirificè recreatus, ſuſpenſo ſubinde ſenſuum vſu in ecſtaſim raperetur? Methymnæ aliquando, cum in ſuo cubiculo flexis genibus precaretur, nonnemo ex Patribus intulit illuc ſeſe; eumque vidit miro lumine circumfuſum: eius certè lucis indicio, quâ radiabat in animo. Curator item ipſius cubiculi laicus ingreſſus eſt aliàs: ſuſpenſumque illum, atque à ſenſibus auocatum inuenit: ita planè, vt inobſeruatus ab illo intrauerit, exiueritque. Porrò, vt rem Baltaſar ſibi redditus

in-

intelligeret, linteolo eius vultum obnupsit; eoque sic relicto, discessit. Quæsiuit deinde ex eodem Baltasar; sciretne quempiam illuc introgressum; eique se scilicet fuisse illum aienti, imperauit, ne ea, quæ vidisset, cuipiam indicaret. Studijs aliàs litterarum intentus Salmanticæ oculos in aduersam sibi imaginem Dei pendentis è Cruce defixit, hæsitque in secessu mentis à corpore: alio rursum laico, idipsum quod diximus, circa illum agente.

Gaspar Astesius nominis in hac Prouincia peruagati, ægrotasse Baltasarem, inquit, Ministro se in Domo Professorum Vallisoletana: cùmque illum remissè satis, & commodè à vi morbi habentem in nocturno digressu Valetudinarius venæ numerum explorando sensisset, sub lucem deinde sensibus destitutum, exanimique similem inuenit. Accitis extemplò medentibus, nihil id interpretari aliud, nisi deliquium animi, venit in mentem. At ille hoc habitu perseuerauit in vesperam. Sacra diuinæ Crucis, aliorumque Sanctorum, quæ in ea domo custodiuntur, Lipsana comportata ad illum sunt: quorum ipse contactu restitutus est sibi; sermonemque, vti consueuerat, intulit; quasi nihil in eo passus incommodi. Inde porrò argumento res fuit, non defectum illum fuisse animi, at secessum: quales nimirum illi crebrò inter preces altissimas euenirent. Idemque rursus accidit eidem etiam ægrotanti: quem, vt reuocarent scilicet, torsere diù qui aderant. Verùm tentatis in cassum omnibus, Methymnam Campi, vnde recens illuc aduenerat, missus ex familiaribus actutum est, qui quæreret, quale illud morbi genus esset; atque, fuissetne illi aliàs Baltasar obnoxius. Responsum quærenti redditum: Abstinerent ab omni planè remedio; eas enim mentis esse alienationes à corpore Baltasari perfrequentes, inque dies aliquando integros perseuerantes.

Ex eo deinde tempore confidentiùs Baltasar incedere coram Deo; ad eumque in rebus suis omnibus tanquam ad Magistrum super ijs consulendum, implorata ipsius ope, ductuque confugere. Id verò pars magna illius est, quam dicimus intimam cum Deo „ consuetudinem, precationemque perpetuam. Quamobrem, ora„ re, aiebat ipse, est animum in Deum attollere; suasque cum eo „ res omnes familiariter, reuerenterque, ac maiori cum fiducia, „ quàm suauissimi cuiusuis erga suam Genitricem filij, commu„ nicare: atque tunc omnia, summa, ima, diuina, humana, ma„ xima, minima, suo cum Magistro, Dominoque transigere: „ animum illi explicare totum, nullâque retentâ re prorsus effun„ dere: ærumnas illi suas, sua errata, sua vota, reliqua demum „ omnia aperire: cum illo æquè recreari, oblectarique; atque

,, amicus cum amico, cui fidit; quem ſuarum rerum omnium con-
,, ſcium efficit, bonarum item, & malarum.

Atque hoc illud ex diuinis oraculis eſt, *effundere ſicut aquam cor*
Thren. 2. 19. *ante conſpectum Domini*: non vt oleum, quod vaſi aliqua ſui parte adhæret; ſed vt aquam, quæ tota in totum effunditur: ante Deum ſcilicet non grauioris modò, ſed & leuioris momenti rebus vſquequaque prolatis. Etenim cum omnimodis Prouidentia diuina nos regat; neque boni quicquam agere, magnum æquè, ac puſillum ſine illius ope poſſimus, ſapientis animi eſt, res ad vnum omnes expedire cum Deo; quo ex vno ſecundi illorum pendent euentus.

§. II.

EX hac frequenti cum Deo conſuetudine alia etiam in eum deriuata ſunt dona, rebus in ſalutem animorum benè gerendis maximè opportuna. Inter hæc verò præcellit fiducia, efficacitaſque ſumma in petendo, obtinendoque à Deo quicquid ſibi item ac proximis conduceret: quod ipſemet ſuo in libello ſic aſſerit; Me-
,, ditantem ſe nonnumquam in precibus ea Chriſti Seruatoris ver-
Matth. 7. 7. ,, ba, *Petite, & accipietis*, didiciſſe ex alto, nolle Deum in peten-
,, dis muneribus parcos nos eſſe; quin parcitatem hanc inſtinctu
,, Dæmonis ſuaderi. Cumque aliquando aliquid peteret pro quo-
,, piam indigente, admonentem audiuit. *Cur tu parcus in petendo es, ſi Deus eſt in largiendo munificus*? quaſi ipſi auctor is eſſet, vt pro egentibus etiam alijs flagitaret. Succeſſum aliàs in re quadam expoſcens, in hæc verba reſponſum accepit: *Ego tibi tanquam Rex adero*. Quod & tunc, & aliàs illi perſæpe ſic accidit: Ardore nimirum tanto in rebus quibuſdam arctioribus orabat, vt ante quàm à precando ſurgeret, prouiſum ijs eſſe remedio certò ſciret: ſiue ex manifeſta Dei ſignificatione; ſiue ex aliquo interiore afflatu, rem illi certiſſimè affirmante; qui auctore Caſſiano, index eſt auditæ precationis à Deo. Cuius deinceps rei perplura ſubijcientur exempla.

Id etiam temporis quicquid illi doctrinæ ſcientiæque deerat, quam aſſequi nempe ſuo ipſe conatu nequiuerat, à Deo Baltaſar accepit. Hoc & ipſe in ſuo ſæpius laudato commentariolo innuit: & planiùs etiam affirmauit Ioanni Pinedæ, qui ex Ouetenſis Collegij Salmanticæ Sodali nomen Societati dedit; donatuſque laurea Iuris vtriuſque, ad Philoſophiæ, Theologiæque ſtudia aggredi exhorrebat; ratus ibi conatus ſuos carituros eſſe ſucceſſu. Illum verò confirmaturus Baltaſar, adfore Deum, defectumque induſtriæ

ſup-

ſuppleturum affirmans, clam illi, taciteque narrauit, anxium ſe, triſtemque aliquando fuiſſe, quòd affatim inter ſtudia, ac multifariam occupatus, ſacriſque deinde initiatus, quantum oportuit operæ rei litterariæ non nauarat. Quare ad Societatis miniſteria, concionandi, Confeſſioneſque excipiendi, Scholaſticarum artium exiſtimabat ſibi defutura præſidia: cum ſeſe tamen diù multumq; exercuiſſet in precibus, inſolita repente luce quodam die mentem ſibi imbui perſenſiſſe; qua Scholaſtica effata, theſeſque Theologicas claré, dilucideque ita perſpexit, ac ſi complures diù annos curam, operamque ſummam in earum ſtudia contuliſſet: ex eoq; tempore infixas eas ſibi hæſiſſe menti tam altè, vt nunquam deinceps ſenſerit ſibi ſe,velut ante, deficere. Graui etiam alij ex Societate viro affirmauit, donatum ſe à Deo fuiſſe intelligentiâ diuinarum Scripturarum, facultatumque Moralium; ab eoque,quo tali munere auctus eſt, die, metu illo vacuum ſe fuiſſe, quo angebatur, niſi perdocti viri parata ſibi copia eſſet, quem poſſet illicò inter obiectas, obortaſque ſibi difficultates pro re nata conſulere. Cumque id ipſum aliàs in ſermonem incideret, In me quidem, aiebat, neque ingenij multum eſt, neque ſtudij; verùm piorum hominum conſuetudine, lectione Sanctorum Patrum, aſſiduoque precum vſu, ſacrorum Codicum ſenſus intelligere, beneficum mihi Numen indulſit.

His porrò verbis triplicem complexus eſt fontem, vnde ſcientiam ſpiritus hauſit, ad intima, ſpiritualiaque pernoſcenda: Sanctorum nempe lectionem, qui ea experti, ſcripto alijs tradidere: communicationem cum ijs, qui eadem ſentiunt, atque experiuntur: precationem denique, & conſuetudinem cum Deo; quæ præcipua cum primis fuit, cum illud faſtigium tenuit,in quod id temporis euectus eſt; non ex huiuſmodi rerum, quanquam præſignium, facto ſolùm periculo, ſed ex eo lumine, quo ad cognoſcendas, ſecernendaſque illas, à Deo fuit imbutus. Ea porrò lux Prophetici luminis inſtar fuit, quæ,affirmante Gregorio, cui Thomas adſtipulatur, duo, quæ diuina, Deique vnius ſunt,palam facit, arcana cordium, & futura. Vtrâque muneris huius parte ſuum hunc Deus famulum decorauit: Eorum nempe, quibuſcum Baltaſar agebat, ad eos tutiùs dirigendos, arcana interdum illi animorum aperiens: (diuina verò vaticinia, cum ſoleant enunciari per Angelos, Tutelares hi quædam Baltaſari, quæ illorum intererant, indicabant:) Interdum & futura eidem, & à noſtra voluntate pendentia deuelans; quorum euentus certiſſimò Baltaſar affirmabat ijs, ad quos res ipſæ ſpectarent. Horum exempla capite inſequenti dabuntur.

Hom 1 in Ezech. 2.
1.Cor.14.
Iſa.41.23.
D Th 2.2. q.172 a.
Dionyſ.c 4 de cæleſti Hier.

CAPVT

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

Mira quædam Methymnæ, & alibi per Baltasarem gesta cum proximis, precationis vi, & notione arcanorum pariter, ac futurorum.

QVanquam Baltasaris dimissio Abulâ Methymnam, atque in alia subinde Collegia, nostrorum primò opem, frugemque spectabat; Viri tamen caritas nequaquam continebat sese intra domum, interque domesticos; verùm ad extrarios etiam excurrebat: in ijsque egregios edebat fructus, præsidio gemino, precum, allocutionumque de Deo: ea etiam ad frugem animorum adijciens, quæ ipsi fuerant indicata diuinitùs. Horum hic omnium egregia quædam proferemus exempla; ijs antea commemoratis, quæ cum multiplici hominum genere gessit, quibus planè ipsius animi decora ostenduntur.

§. I.

ATque vt exordium à precatione ducatur, telum hoc erat præcipuum, quo contumaces oppugnabat, expugnabatque animos; sicubi haud satis valerent colloquia, & rationes: quibus tamen vim ipse mutuabatur à Deo. Memorabilia enim quæ cum proximis Religiosis item, & communibus egit, cœpta ab illo, perfectaque sunt, precibus: vna quandoque illarum ope; suis aliàs industrijs, conatibusque collatis; vt exempla docebunt.

Methymnense Societatis nostræ Collegium extrarius adierat diuinis Ignatij meditationibus vacaturus; eo consilio, nomen vt Societati daret. Veterator tamen infernus, quem insomnem scilicet ea cura coquebat, quarto die tanta liberioris vitæ cupiditate illius animum impulit, perpulitque, vt manus ille dederit: tradentiq; sibi pias illas exercitationes, velle se abire, denunciauerit. Rationibus hic agere cum eo cœpit, suasurus impulsionem illam, ad ipsum euertendum, hostis esse vaferrimi. Multis, tamen profecit apud illum nihil. Rem proinde omnem Baltasarem eius Collegij Rectorem edocuit. Hic verò orauit hominem, vellet ibi, rogatu nimirum suo, ea nocte in insequentem lucem persistere. Restitit verò ille, reuerentiæ causâ, qua summa Vir sanctissimus colebatur ab omnibus; veritus nempe, ne pœnas Deo daret vltori, si mi-

nus

nus Baltasaris postulatis annueret. At hic rectà confugit ad preces; corpore tamen antea asperrimis diù flagellis strenuè onerato: tota deinde nocte Deum obsecrans, vt impulso illi, lapsoq; opem suæ lucis afferret; eamque tenebrionis inferni caliginem ab eius mente difflaret. Audiuit orantem Deus, ardore motus, fiduciaque petentis: suique vigilantis famuli causâ, remedium constrato illi attulit dormienti. Efferatorum enim sicariorum par per speciem ille vidit in somnis, ad Collegij ianuam opperientium sese; pugionibusq; strictis in iugulum, rem se confecturos affirmantium, si pedem ex eo vestibulo extulisset. Somnium hoc à Deo, tutelarique hominis Angelo immissum fuisse, euentus palam ostendit: solutus enim somno est, à metu sic trepidans, tamque à se diuersus, & alius, vt impatienter, & anxiè diluculum expectaret, supplicem sese ad Baltasaris genua aduoluturus: aduoluitque porrò; cooptationem in Societatem precibus perquàm enixis efflagitans: & cooptatus post exacta exercitia est, permulto animi sui fructu; persistitque deinceps alijs etiam plurimis per sua ministeria fructuosus. Hæc ipse deinde narrauit; ac rei euentum acceptum retulit precationi perefficaci Baltasaris.

Neque verò minori miraculo fuit res in eodem acta Collegio cum Tyrone. Is enim malo adactus impulsu, vt ad Carthusianum Ordinem ab Societate discederet, consilium perducere decreuit in exitum; facilem sternente, monstranteque viam præstigiatore inferno, vt vtrumque illi bonum eriperet. Etenim per æstatem, cum, stato tempore sub noctem, domus ostia clauderentur, abdidit ille sese in hortum; perque parietem enixus, euasit: vespertinus, vt in Societate fit, cubiculorũ Visitator sensit nempe desiderari Nouitium; remque adeò suspicatus, Baltasarem adijt naui Pastoris instar, in gregem suum, precibus agentem excubias. Hic verò audita re, in Ædem eius Collegij diuinæ Genitrici sacram adiuit, flagellisque, vt solebat, corpore primùm cæso, noctem deinde omnem precibus dedit: Deum, Deiparamque etiam, atq; etiam rogans, errantem eam ouiculam, cui stygius inhiaret lupus, ab eo secum pertrahendam in tartara miserarent. Tantum rogatu valuit, vt non exorauerit modò, sed indicatum amplius illi fuerit, ex eo illum periculo, & verò perquàm formidabili euasurum. Deuius enim tyro, præpropero incedens gradu peranxius (videbatur enim sibi instantes à tergo, iam iamque comprehensuros hostes aspicere) mediâ superatâ iam viâ, diuisam huc illuc mentem, graui cogitatione suspendere, secumque perputare occœpit, in Aniagi, quò tendebat, Cœnobio à Carthusianis fidem sibi nequaquam habitum iri. Quæsituri enim, vnde profectus ?

in-

intellecturi erant, transfugam se esse Societatis: eoque nomine ipsum neutiquam admissuros. Religiosas alias adire familias, difficile; redire verò ad liberam, communemque vitam, turpe scilicet videbatur. Progrediebatur interim, donec ad impositum flumini pontem in ipsa via deuenit. Hic verò miserum perditurus erupit prædo tartareus; viam menti suggerens paratam & facilem, ad sese in loco ex tam multis ambagibus explicandum: ageret porrò, seque fluuio præcipitem è ponte daret, ac mergeret: vnoque iactu omnia mitteret in compendium. Cum hæc desperandi tentatio animum magis magisque fluctuantis impelleret, Pastoris sanctissimi precibus, eas inter tenebras, exorata à clementissimo Numine rimula diuinæ lucis est, quæ reditum illi ad Societatis Collegium, vti persuadebat properum, ita facilem commonstrabat. Id enim noctis cognitam fuisse nemini suam domo absentiam; reditum patere in hortum, eâdem, quâ exitum quæsiuerat, viâ, antequam cætera domus ostia panderentur: ijs verò patentibus, domum clam inire se posse, nullo spectante, ac teste. Res hæc, vt illi ante perardua, ità tunc adeò visa facilis est, vt eam exequi certò, continuòque decreuerit. Et verò suo ipsius, immo Custodis Angeli, à quo iniectum illi fuerat, consilio respondit euentus. Mane idem ille, qui abesse eum senserat, vbi præsentem vidit, rem Baltasari nunciauit. Eam verò ille compertam sibi iam esse respondit: summasque Deo egit idcirco gratias. Paucis post diebus Tyronem accersijt: atque hic diserte, planèque seriem rei omnem exposuit: animoque deinceps tranquillo perinde fuit, ac si nihil ipsi tale vspiam euenisset. Argumento sanè diuinæ erga Baltasarem beneuolentiæ, eius postulatis non annuentis modò, sed ad omnem animo anxitudinem citiùs depellendam, exorata vota liquidò indicantis.

Et adhuc mirum magis illud est, quod Francisco Abulensi accidit, viro nostræ Societatis egregio, qui in Hiberniam cum Classis Præfecto Martino Padillio profectus, Cluniæ, vulgò Corunnię, decessit in reditu. Operam hic litterarum studijs Salmanticæ nauans, eleganti sanè forma, aptoque, ac vigenti corporis habitu adolescens, per solemnis ieiunij dies in nostras secessit ędes, vt, quod ibi consueuere complures, animum otiosè, consideratèque, & à noxijs expiaret, & pijs aliquandiu meditationibus exerceret. Nullum illi tunc Religiosæ vitæ ineundæ consilium: post paucos verò, quàm se collegerat, dies, lumine collustratus ingenti à Deo est, quo, pluribus argumentis, sanè conficientibus, suarum interesse partium explicatè vidit, rebus humanis omnibus valere iussis, vni se Deo totum in Societate permittere. Eæ verò rationes

tiones licet animum vehementer impellerent, obnitebatur tamen tam obstinatè voluntas, vt inter hæc trucibus ipse curis, angoribusque conficeretur: ita planè vt è cubiculo, in quo intercludi sibi spiritum sentiebat, respirandi causâ, in aërem sese apertum eijceret. In eas adductum angustias Baltasar conuenit in tempore; animauitque scilicet, ac recreauit; suas illi, domesticorumque deprecationes pollicitus apud Deum. Orantis ea vis fuit, vt breui exanimato illi animos Deus ad difficultates, quæ aduersabantur, omnes peruincendas addiderit; magnoque ardore simul, ac fletu Socijs se decrerit adiungere; & omnem cum ijs (quæcunque deuoranda demum essent) vitam perseueranter exigere. Ergo cum primùm ad pedes sese Christi Seruatoris abiecit, eique totum se viuam hostiam dedicauit, adeò sibi immutari animum sensit, vt diuini Numinis opus illud esse planè cognosceret. Iamque non anxijs torqueri curis, sed liquidissima voluptate perfundi; insolitaque, ac intima cupiditate ineundæ Societatis ardere. Redijt visitatum Baltasar Iuuenem: reque ab hoc tota, vti gesta erat, expositâ, vultu ille persereno, Immortales, inquit, muneris tanti nomine, Deo gratias agamus. Noram equidem ità fore: Quemadmodum *Elias dixit ad puerum suum, vt ascenderet, & prospiceret contra mare*, an aliqua inde nubes exurgeret; iussitque illum *reuerti septem vicibus; in septima autem vice* dixit puer: *Ecce nubecula parua quasi vestigium hominis ascendit de mari*: aitque tum Elias: *Ascende & dic Achab: iunge currum tuum, & descende, ne occupet te pluuia. Et ita factum est: nam cum ille se verteret huc atque illuc, ecce cæli contenebrati sunt, & facta est pluuia grandis*: Non secus ipse futurum ita & hoc esse præsenseram. Hoc tu interim tuum apud animum cela. Quæ sanè verba, id à Baltasare precibus exoratum, ipsique diuinitùs indicatum docent. Rem porrò Franciscus idem scripto testatus est: suoq; ex Socijs cuipiam familiari iterum adiecit, efflagitatâ iam à se cooptatione in Socios, eâque à Baltasare impetratâ, mali Genij instigatione sæuissima, voti se, postulatique pœnituisse: meditantemque se ab eo secessu abitum non pudendum, causatum cognatos, & quædam cum ijs negotia explicanda, veniam à Baltasare petijsse: At illum respondisse contra: Sospitet tibi viam Deus: atque velut ipse, quid acturus sis, deliberando spatium quæris, ità & nos, quid è re nostra sit interea, consultabimus. Suam innotuisse Baltasari mentem ex hoc ille responso intellexit, adeòque resistere ibi constituit, donec in Societatem denique admissus est.

§. II.

HOc ex ijs fuit alterum, quibus mirificos cum proximis Baltasar edidit fructus; arcana cordium eruere; nullo sibi eorum facto ante à quoquam indicio; sed Deo scilicet ad destinata prouidentiæ suæ consilia commostrante: quorum hic illustria subijciemus exempla. Primum esto Francisci Reynosij Cordubensis Antistitis laudatissimi; qui ab vrbe redux, sacerdotiis ibi auctus amplissimis, dies aliquot Senticæ nostras secessit in ædes, daturus operam spiritualibus Societatis Exercitiis, quò & sua ordine, & seipsum vitâ perquàm emendata componeret. Petentique virum, quo ad id iuuaretur, idoneum, Baltasar attributus est, eiusce pij muneris experientissimus item, ac solertissimus. Hic verò die quodam à prandio, remotis arbitris, quasi ipsius animum introspiceret, legeretque, cogitationes omnes, & consilia, quæ ab Vrbe secum abstulerat, quicquid demum ipse secum versabat, distinctè ac singulatim exponere. Ea res tanta perculit admiratione Franciscū(quod ipse deinde affirmauit) vt lachrymis largè perfusus, totum se illi permiserit,quò de omni vitæ suæ serie, eâ, quæ in maius Dei obsequium verteret, formâ, arbitratu suo decerneret. Ab exercitijs tantum studio orandi profecit,vixitque deinde moribus, sumptibusque ac pompis adeò castigatis, vt probi, probatique exempli odore notos omnes afflauerit: complurium etiam egenorum emolumento, in quos, cum stipe, suam etiam opem largiter erogabat. Deinceps verò Palentiâ, vbi sedes illi erat, Villagartiam, in qua domicilium erat Baltasari subinde ad eadem repetenda exercitia proficisci: vberrimos semper efficiens in virtute processus, ingentiaque diuinæ largitatis dona in Baltasare maximoperè suspiciens.

Iam verò, in ijs, quorum & confessionem excepit, & consuetudine multa vsus est Methymnæ, Helena Quirogia fuit Gasparis Cardinalis Quirogij Toletani Archiepiscopi ex fratre neptis; quæ inter Discalceatas Moniales adscripta, vitam cum ijs egit, peregitque sanctissimè. Hæc verò duo secum acta per Baltasarem, vtrumque certè memorabile retulit. Alterum: eius, inquit, verba suo cordi altiùs, quàm cæterorum infigi, ijsque accendi se, lacrymarumque vi vberiore molliri consueuisse. Et me, semel, inquit, ad mea collacrymanda crimina plus centies impulit, quàm eadem aliàs in omni vita deflessem. Hic verò sensus in dies aliquot perdurauit, dum ille ad me redijt, remque mecum gestam à me fuit edoctus. At ille, collaudato Numine, benè est, inquit, de petra

aqùam

aquam eduximus; meumque illicò animum recreauit. Alterum, experiri se, quæ suæ saluti conducerent, perinde se ab illo doceri, ac si, quorum maximè ipsa indigeret, planè suo in animo ille perspiceret: quibus quandoque nondum à me indicatis, opportunum ipse remedium præmonstrabat. Præcipuè verò adeunte me illum semel cum graui mole curarum, id ipse antequam effari quicquam inciperem, in ipso sensit accessu; eiusque prima vox „fuit; Agedum, Domina, bonus vertitur annus: larga messis „erit: aduersa cum patientia grandia comportant bona. Ariditatem aliàs in orando conquesta, nondum eloqui aggressam occupauit, aitque: si bonum siccitas affert annum, annum agitamus „bonum: quo respirauit illa non parum.

Simile quid accidit alij cuidam fœminæ per quàm piæ: cui, pro singulari ipsius virtute, sacri conuiuij facta quotidie potestas erat. Hanc expiare animum noxijs cupientem, geminas Baltasar expectare iussit horas. Vbi verò ad sacri fori sedem contulit se, quæ secum animo id omne temporis illa versauerat, omnia singulatim exposuit. Ex quo non ingentem solùm admirationem, sed pares etiam animos pia fœmina cepit; eoque fructu benè collocatam duxit longam illam expectandi molestiam.

Hæc enim suis Administris diuinâ vi cognoscenda dat Deus, non vt illis modò auctoritatem adiungat; sed vt, quorum ipsi vel animis moderantur, vel consuetudinem ineunt, eos per hæc mira confirmet; quò largiores in ijs, suorum ipsi ministeriorum operâ, fructus edant.

Anna Henriquia Marchionis Alcanicij Soror, maximè studiosa Baltasaris, in aduersarijs ab ipsa nobis deinde permissis complura descripsit, quæ sibi cum illo mutuò intercessere. In ijs illud est rescitum ab ipsa, relatu Baltasaris: Ab eo nempe Methymnæ degente, atque à se alibi tum commorante disiuncto, ægritudinem, qua ipsa conficiebatur animi, intellectam fuisse diuinitùs: eumque enixis, quàm potuit, precibus apud Deum egisse, vt suæ prouidentiæ nutu locus ipsis congrediendi daretur; quo posset opportunum mœrenti solatium impertiri. Annuit oranti Deus, itineris oblatâ causâ Henriquiæ Viro, vt cum Coniuge Methymnâ traijceret, quanquam deuiè, accessionemque viæ Henriquiâ detrectante. Difficultates tamen omnes Baltasar precibus vicit: eamque simul peccata confitentē audiuit, simul ijs allocutus est verbis, vt insolitum aliquid in illa peregerit: eius animo cælestibus delicijs delibuto tam largè, vt rogatus demum ab illa fuerit, Parceret vltra verbis: se enim capere tanta non posse. Complura etiā aliàs prænūciata sibi à Baltasare affirmauit, quibus consensit semper euentus.

§. III.

HOc verò genus præſagiendi futura alterum illud fuit, quo admirationem peperit in alijs, nobileſq; fructus effecit. Cuius multa etiam ſuppetunt exempla præclara, alijs alia in locis edita. Primum Abulæ cum quadam ex ijs fœmina, quæ apud Baltaſarem animum expiabant. Ea vero ægerrima ab ſui abſentis viri deſiderio, de quo diù iam nullus ad ipſam nuncius perferebatur (colebat verò is etiam impensè Baltaſarem) anxitudinem ſuam ad Confeſſarium detulit, vt aliquod ab eo ſolatium reportaret. Commodauit hic aures, vtque perfuſam lachrymis vidit, piæ ſenſu teneritatis inflexus, illacrymatus & ipſe eſt: rem deinde, ſeque ipſe reſpiciens, ecquod, inquit, ſolatij genus hoc eſt, lacrymis pariter indulgere? Ceſſemus à luctu: aduerſi nihil eueniet: aderit enim certò tuus Vir intra hebdomadam. Conſtitit dicto fides: reuertit enim ille, quo à Baltaſare affirmatum eſt tempore: teſtataque mulier eſt, id ſibi ante fuiſſe à Baltaſare indicatum: Indeq; diuini obſequii deſideria deinceps ardentiora concepit; gratiaſque ſimul egit immortales Deo, quòd ſibi tam ſanctum animi ſui Parentem, & Confeſſarium obtuliſſet. Ipſi etiam eiuſdem fœminæ viro ſimile quiddam euenit, ab illo nonnemini ex Societate narratum; apud quem, Abulæ profecto Baltaſare, ſacram exhomologeſim obibat: de quo cùm eſſet ſermo, ſic inquit. O virum illum! quàm Sanctus erat! eiuſque verba quanto ardore animum incendebant! illum ego mœrens aliquando conueni, quòd mea ſocrus diem, vt ego rebar, obierat; atque ab accerſito pollinctore tunc aderam: angebar verò maximè, quòd ab ea quædam plurimi momenti explicata non fuerant. Erexit ille me, eam nondum deceſſiſſe, ijſque declarandis copiam temporis adfuturam, affirmãs. Secuta res eſt: confidentior enim ab eo colloquio domum redij; viuam comperi; tum illa ſingula, quæ optabam expoſuit; animam deinde placidiſſimè, columbæ inſtar, efflauit. Hæc ab vtroque narrata ſunt coniuge: eorumque ſolatio illa patefecit Baltaſari Deus, quæ ipſorum animos eas inter anxitudines permulcerent.

Aliud non minus profectò mirum de ſe retulit Sacerdos in Societate grauiſſimus. Iactatus hic animo, quòd ſe prouectum iam æuo dotibus, ad proximos pro Inſtituti noſtri ratione iuuandos, caſſum aſpiceret: fluctuationem hanc indicauit ſæpe Baltaſari. Perſtante tamen illa, nec ipſe ea ſuper re Baltaſarem affari vltra iam audens, obuius aliquando illi in ambulatione Collegij, triſtis atque exſpes ait: Pater, hæc cura vſque me coquit. Cui Baltaſar:

Præ-

Præsidia ne haberi in Societate existimas ad salutem? Affirmante illo, sanctissimus vir intulit; Atqui non te solùm, sed & plurimos adscribes tua ope saluti: tibique in Societate ex animo, ac bené erit. His anxitudo depulsa;& quæ Baltasar diuino impulsu præsagijt, habuerunt euentus: strenué enim defunctus ille suis muneribus est in nostro Salmanticensi Collegio: vbi regimen obtinenti Baltasari alia horum similia, quæ suum in locum consultò reijcimus, euenere.

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

Piarum allocutionum vi in plurimis mortalibus tum Religiosis, tum communibus fructus edit amplissimos.

ALterum, quo, ad quæstum animorum, Baltasar vtebatur, præsidium, vis ipsius erat, ac spiritus in piis cohortationibus. Quanquam sané diuini prouidentia Numinis, cuius consilia in diuidendis animi bonis, donisque cælestibus, arcana sunt admodum, eâ dicendi é superiore loco facultate, ac suadâ illum minimé exornarat, qua Concionatores permulti sunt præditi: vt esset nimirum, quo etiam nomine se ipse submitteret, alios æstimaret: adeóque pro sui animi modestia à concionibus ad frequentiorem populum habendis abstinuit. Vacuitatem tamen hanc dotis suppleuit Deus, laudatissimos Concionatores, eoque munere fructuosissimé defungentes subinde illi submittens; qui cœtus hominum, quibus Baltasar innotesceret, ad Collegium mira celebritate pertraherent. Regimen igitur capessente illo Collegij Methymnensis, eò ad concionandum missus est Ioannes Sancius, precationis adeò excelsæ suauisque munere decoratus à Deo, vt affirmantem quandoque illum Baltasar audierit; si quicquid voluptatum, & gaudiorum Deus in terris protulit, ac diuisit, in vnum colligeret, efficeretque perpetuum, vltrò se eum impertitis é Cælo sibi horario quadrante delicijs permutaturum. Rursum, si mortem se oppetiturum non esse ad diem vnũ integrum certó sciret, satis hoc fore, vt dolore enecaretur. Hinc veró magnitudo apparet amoris quo æstuabat in Deum: tot enim ac tantis in vita é Cęlo recreatus illecebris, adhuc eius, in quem tanto ferebatur affectu, videndi fruendique desiderio sic ardebat, vt cruciatui tanto futura ipsi esset illius ad diem vnum certa prolatio. Quanquam deinde Deus cariorum sibi animos in ijs gaudens cohibere magis, ac frangere, quæ etiam cariora sunt illis; quorum proinde sensus

est

est acrior; amarulentam hanc curam dedit Sancio exorbendam; diem illi horamque supremam explicatè scilicet longè ante denũcians. Adnotatumque ipsius manu in suo statarum precum codice compertum est: Hoc die, hac hora è vita discedes; vide quẽadmodum eam nunc exigas. Atqui sic illam exegit, vt preciosa morte concluserit. Vir hic longè sanctissimus summa vsus est familiaritate Baltasaris: deque diuino illius spiritu tam altè existimauit, vt Tyrocinium sub illo ponentibus dictitaret, Magistrum non præditum virtute, sed virtutem ipsam habetis. Congressi quandoque ambo, in pijs de Deo sermonibus tantas in se amoris diuini flammas mutuò excitabant, vt extrario Legum perito, qui colloquentibus nonnunquam interfuit, in Seraphycas mentes flãmatis euasisse vultibus viderentur. Hoc ardore mutuam sibi opem in animorum procuratione ferebant: Sancius quidem ardentissimis concionibus, confertissimum ad audiendum populum pelliciebat; insolitos, egregiosque fructus edebat in plurimis; aliosq; abnormibus à vitijs, atque illicitis à consuetudinibus auulsos mirificâ sanè vi adiungebat Deo; alijs verò perfectioris vitæ studiosis ad progressum calcaria admouebat. Horum verò præcipuè arctiorem necessitudinem Baltasar inibat; piisque de Deo collocutionibus ijs animos, & animis flammas addebat: coeuntibus quandoque permultis, vt disserentem ipsum audirent in Templo; ipso quandoque priuatim singulos alloquente; eo tamen feruore semper ac spiritu, vt eos penitus immutaret: atque, vt superius affirmatum est, veluti cælatura ignis ac mallei in virtutibus elaboraret, atque perficeret. Lucem veritas ab exemplis accipiet.

Ab Societatis nostræ grauiori Patre dictum accepimus, cum vir nobilis ægrotaret ab insano amore mulieris, quam adeò efflictim, ac miserè deperibat, vt maligna ea cura vitam illi denique obstinato morsu perederit; diuinæ prouidentiæ nutu factum esse, vt per hanc ægritudinem egerit cum illo Baltasar, verborum, argumentorumque vi tanta hominem allocutus, vt ea in illius cor altè defixa, quandiu vixit, vices ibi mucronum gesserint, ac tortorum. Cum enim eâ turpi flammâ deflagraret, affirmareturque illi certò vitæ incolumitas, modò furiatam illam cupiditatem expleret, præmori maluit, quàm admisso scelere offensos habere Deum, & homines. Ratum profectò, mirumque; eiusque ardoris index, quo Deus verba imbuebat illius, qui viro illi nobili tantum è Cælo indidit ignem, vt eo impuri amoris tantum inhiberetur incendium. Hinc quoque fit palam, quàm verè omnis *fortis*
Cant.8. *est vt mors dilectio*: at casta piaque, ne spiritualem gratiæ vitam amittat, mortem ipsam admittit, & mauult.

Eâdem

Eâdem vi Methymnæ aliorum etiam puberum opibus viribusque pollentissimi in tantum animos immutauit, vt sese in nostræ Societatis Ordinem aggregarint, alieni tunc adeò ab hac mente, vt in hastiludia magis,& equestres alias exercitationes sua studia curasque conferrent, quàm vllam animo imaginem religiosæ obeũdæ vitæ susciperent. Ex eo campo, viaque Gabriel Duennius vocatus à Deo est; ac deinde germanus eius Bernardus Duennius: quorum inexpectata vitæ mutatio,& in Societatem ingressus exemplo longè optimo oppidum illud vniuersum exciuit. Quo in Ordine vitam ambo duxere, ac Deo reddidere, præstanti patientiæ, & Christianæ humilitatis exemplo, per valetudinem vtrique semper incommodam: sic vt permulti, sonticique morbi, quibus Bernardus pæcipuè ab vsque Tyrocinio affectus, confectusque est, illius labefactare animum, aut proclinare nequiuerint ad abdicatas semel delicias repetendas: malueritque in domo Dei per dolores, & cruciatus, cum contemptu sui, iacturaque vitæ perstare, quàm inter voluptates, & commoda in ædibus degere opulentis, & claris.

Complures etiam inibi mercaturam, aliaque negotia luculenter, ac prosperè exercentes lucratus est, & adiuuit: quibus, tot inter exteriores curas, curare intus animum, precibusque, & consuetudini cum Deo vacare per diem aliquandiù persuasit. In his Ascensius Gallianus fuit prædiues ille cum primis, ac præpotens; quem in præclaræ virtutis exemplum suo Baltasar vsu perduxit: tantumque in precum studio, ac diuina familiaritate promouit, vt affirmaret ille, se quidem IESV Socijs non precationem, sed obedientiam inuidere. Cum primùm enim se à negotijs explicuerat,in domesticum Oratorium reuocabat sese, aiebatque Deo; Adsum hic, vt tecum, Domine, conquiescam. Contra Deus affluenter illum cælestibus delicijs immergebat. Sed cùm parciùs tamen adhuc frueretur thesauro Religiosorum hominum, quibus agere licet omnia nutu, ac ductu sui Præpositi, Institutorisque tam prompti, id ille, qua poterat ratione, diligentissimè compensabat: Confessario nimirum obtemperans, largamque stipem erogans in egentes: atque ita, opibus amicos sibi conscribens, qui, cùm deficeret, ipsum in beatas Cæli sedes exciperent. Inter cætera, quæ in piam eleemosynam elargitus est, causâ Baltasaris, Societatis Collegium pretioso pariter, elegantique Eucharistiæ tabernaculo donauit, ad eius sacrosancti mysterij, quod amore summo, cultuque prosequebatur, solemniores dies splendidè recolendos. Annumerari & aliæ possent hic in meliorem frugem eius generis hominum immutationes: sed consimiles cum sint huic, abstineo. Vnum tamen

pro-

proferre libet, qui cum animum octiduano secessu ad spiritualia exercitia contulisset, tantum lucis hausit à Deo, vt, quo viuendum modo sit, ad eum diem ignorasse, atque tunc id primò intelligere sibi videretur. Negotia enim antehac implicatum, confusumque ipsum habuerant: animum deinde à precatione hauserat expeditum & liberum, ita planè, vt in ipsa negotiorum turba quietem otij retineret.

Hoc spiritu, atque hac consuetudine planè cælesti plurimos variorum ordinum homines lucrabatur: ijq; ad habenda cũ ipso colloquia, nostras ferè ventitabant in ædes: ipse verò eos subinde semel in hebdomada modò hunc, modò illum conueniebat, visebatque domi: atque ita, exeunte annò, partibus suis cum vnoquoq; non deerat. Itabat ad eos præterea omnes, qui cum ipso communicare quicquam de conscientia vellent; seù vbi ipsorum animi ac salutis intererat. Mirum sanè hac super re illud est, quod Baltasari accidit cum honesta, piaque muliere, quæ causâ sui in virtute processus, cuius erat appetentissima, nostrum frequentare Templum auebat, vt ibi apud statum Confessarium animum expiaret. Experimentum enim ex hoc aliquoties ante iam sumpserat, sui se pij voti cumulatè ibi potiri. Eius tamen vir,& cognati Societatis interim aut osores, aut certè parum amantes, repugnare illi: quam si quandoque eò se contulisse rescirent, contumeliosè illam verbis item, ac rebus accipere. His vt obuiam pia mulier iret, diuino certè afflatu Baltasarem adijt, rogauitque, suum vt Coniugem domi semel inuiseret. Annuit Pater: at illa condicto die, aduersantes sibi cognatos omnes conciuit in domum: mox facto iam cœtu, Baltasar interuenit: consalutatisque primùm omnibus, sermonem deinde intulit de Deo, iisque argumentis, quibus per quàm dignissimus Deus est, cui nos impensè ac seriò obsequamur: tamque ea de re altè, tanto cum ardore, ac vi verba fecit, vt lacrymas ex omnibus sibi circumfusis expresserit; eorumq; animos immutarit; ac Societati eorum volũtates peramanter adiunxerit: ità planè, vt deinceps non solùm religiosæ fœminæ votis aduersati minimè sint; verùm eius exemplum secuti, sacram exhomologesim, diuinumque conuiuium crebrò deinceps obire decreuerint.

Et adhuc prodigiosiùs religiosam familiam, cuius norat ipse nonnullos, per occasionem, in itinere, mutauit. Rogatus enim ab ijs, vt pia cohortatione simul omnes alloqueretur, allocutus pro votis est: & verò vi tanta, vt ad vnum omnibus octiduanum secessum ad spiritualia Societatis exercitia, meditandi, legendi, sefeque introspiciendi persuaserit. Substitit verò ipse, annuente Prouinciali Præposito, vt eos dirigeret interim, ac iuuaret. Quibus

ab

ab exercitationibus, pijſque Baltaſaris per eos dies cohortationibus tantos illi habuere progreſſus, vt qui Prouinciæ ipſorum præerat, vir ſpectatiſſimus, rei famâ permotus, ad eos viſendos, quæque ibi agitabantur viſu cognoſcenda, confeſtim ſeſe contulerit. Tantum verò ſeceſſum omnium, ſilentium, legum ac diſciplinæ cuſtodiam intuitus, veluti prodigio perculſus obſtupuit: quos vt cœpta promouere pergerent adhortatus, Baltaſarem deinde conuenit, eique ſe ac ſuos quàm obſequenter obtulit, ipſius diſcipulis annumerari ſe cupiens.

Hæc verò prodigia ſunt, quæ ſummam præpotentis Dei vim, eorumque ſanctimoniam, per quos hæc ille præſtat, indicant planè, mirificèque commendant. Hæc illa ſunt, Caſſianus inquit, in quibus Deus verè magnus apparet, cùm cor aliquis aut ſuum, aut aliorum aſpicit immutari, fierique ex ſuperbo ſubmiſſum, ex auaro munificum, ex molli ſeuerum, ex languido, tepidoque vigens, ac feruidum. Quin etiam maiori quodammodo miraculo eſt, tepido cuipiam ardorem inijcere, quàm ad bonam frugem nequam hominem reuocare. Nequam enim improbari omnibus ſuam improbitatem intelligit: perſuaſumque habet, niſi reſipiſcat, perditum iri ſe: at verò tepidus tutò ſe, etſi lentè, ingredi arbitratur: quare penſi nihil habet retinere teporem. Id certè Bernardus Religioſis quibuſdam viris in hunc modum immutatis affirmat: Digitus, inquit, Dei eſt iſte, ſubtiliter operans, ſuauiter renouans, ſalubriter mutans; non quidem de malis bonos, ſed de bonis faciẽs meliores. Quis dabit mihi vt tranſeam, & videam viſionem hanc magnam? Nec enim minus mirum, minuſue iucunda iſta promotio eſt, quàm illa mutatio; niſi quòd multò faciliùs reperias multos ſeculares conuerti ad bonum, quàm vnum quẽpiam de religioſis tranſire ad melius. Rariſſima auis in terris eſt, qui de gradu, quem fortè in Religione ſemel attigerit, vel parum aſcendat. Hæc ita Bernardus. Atque hoc ſingulari munere Baltaſarem Deus ornauit; vt ſua dicendi vi non tam ex malis bonos, quàm ex bonis efficeret meliores: eos ex languido, in quo hæſerant, gradu, ad citatiorem, ardentioremque alium incitando. *Coll. 12. c. 12.*

Hunc eundem legebat fructum ex domeſticis cohortationibus, quas, vt in Societate ſingulis fit hebdomadis, habebat, feriâ ſextâ. In quarum prima ab inito Rectoris munere in Methymnenſi Collegio, tanto dixit ardore ſpiritus, vt viſus ſit vrentiſſimas flãmas in omnium pectora iaculari. Tantuſque inde perceptus eſt calor ab omnibus, vt ad complures menſes viguerit; quem ipſe ſimilibus ſubinde allocutionibus ſuſcitabat. In ijs, quibus domicilium illic erat, vir auctoritate grauis, ſententiæ tamen ſuæ non-

nihil tenax, vna tantum aiebat allocutione, seu pia collatione Baltasaris ita se instrui, ac moueri, vt alius planè, quàm venisset, abiret. Aliusque nonnemo par huic dedidit illi sese, aitque, Pareamus huic, scilicet; multum enim vacat ipse precibus, & ipsi Deus. De actis hic Methymnæ, testificari quod ipsemet possum, illud est; primam cohortationem in Societate audiuisse me ex Patre Baltasare, sextâ ante diem Christi natalem feriâ, cum illac itineris causâ transirem. Tanta allocutus est vi, vt me admiratione defixerit: aliquas verò effatus est ardore tanto sententias, vt in hodiernum vsq;diem eæ mihi profuerint. Christi deinde nascẽtis nocte solemnibus operatus est sacris: vbi verò vultum ab ara conuertit ad populum, prætentam manibus diuinam frugem domesticis, extrarijsque plurimis largiturus, breui sermone, sed perquàm tenerrimæ pietatis sensu plenissimo, ad eius, quem ostentabat, Dei cultum amoremque cohortatus est. Id moris tunc increbuerat: visum verò deinde opportunius est in aliud tempus allocutiones hasce reijcere: atque ipse cohortationes, quas ad Tyrones Baltasar habebat, ex hoc etiam in præcipuum caput destinatò reijcio.

Ad perturbatos etiam animos sedandos verbis plurimùm, mirificèque valebat: ac pro auctoritate, qua erat, vna non amplius ratio ijs tranquillandis vtique erat satis: quod exemplis, quæ subijciam, alibi editis palam fiet. Accidit Methymnæ vt extrarius vir apud nos pijs D. Ignatij meditationibus animum diligenter exercens, inter æterna inferorum supplicia contemplanda, horrificos dæmonum vultus imaginibus adeò viuis lymphata mente conceperit, vt inter somnum species illi oblata sit cubiculi sui à monstroso illo grege prorsus infesti: inque furorem similis deliranti actus, stricto, quem secum attulerat, gladio, concubia nocte surrexerit; egressusque cubiculum, immanissimis affatim ictibus obstantes vndique parietes, tanquam terrificos lemures cæca & manu, & mente pertunderet. Cumque in Baltasaris cubiculum semiapertis forte foribus obuenisset; irrupit nempe, punctim, ac cæsim quàquàuersum feriens. Agnouit hominem ex loquela Baltasar; ingressusque rem illicò, sistere illum iussit; qua voce audita simul & cognita, inhibuit se ille protinus, & quieuit. Surrexit Baltasar; prehensumque lacerto assidere sibi iussit, eumque paucis affatus demulsit; sedatumque in conclaue dimisit.

Eius denique sanctimoniæ, efficacisque sermonis famâ, perplurimi tum cõmunes, tum religiosi mortales exciti, Methymnam, ad capienda ab ipso de animorum salute consilia, ventitabant. Alij quidem, quòd alibi cum illo egerant: in quibus Magister Daza, Abulâ Methymnam profectus, vt ardorem in sese spiritus viri huius

ius sanctissimi colloquijs excitaret: Alij ex ijs, quæ de illo ferebantur, adducti: atque in his Alphonsus Roblius vir in sacra Carthusianorum familia longè grauissimus: qui, Pallantiâ cum traijceret, non neminem ex nostra Societate memorantem audiuit, quantum diuino spiritui, quo Deus Baltasarem imbuebat, tribueretur ab omnibus; quanta in illo facultas, & vis esset in tradendis pijs nostræ Societatis commentationibus: quibus ipse cum vacare percuperet, Methymnam ad Baltasarem conueniendum adiuit. Et verò, Me, inquit, tanquam ex beatitatis sede Angelum, negotijs occupatus licet, atque districtus excepit. Eius institutioni dies ibi sexaginta me tradidi: idque certò affirmare non dubito, etsi complurium spiritu, atque virtute præsignium consuetudine sum vsus, mihi tamen à nemine factum ita satis esse, vti à Baltasare: summâ in illo, quod sensi, in Deum fiduciâ cum ingenti ardore spiritus coëunte: subijciebatque in eam rem plura, quæ ipsi per alios aliàs cum eo sermones euenerant; eaque nos suo loco reddemus.

Æquum tamen haud fuerit tacitam hîc præterire diuinæ mentis curam in afficienda temporarijs etiam præmiis ea Baltasaris solertia, quam in Dei obsequium, proximorumque salutem sedulò conferebat; quò in id operis liberiùs, ac sine tricis incumberet. Industriam enim ad Collegium sustinendum adhibēti mediocrem, necessaria illi Deus omnia suppeditabat; integrâ promissi sui fide, quo dixit, *Nolite solliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Et verò quemadmodū Batasar Dei regnum, eiusque iustitiam, ac sanctimoniam, non sibi modò, sed & suis, ac Methymnensibus vniuersis primo loco diligentissimè conquirebat; ita, temperante res Deo, sexcentis vijs, per pias eleemosynas, xeniaque, & dona nec quæsita scilicet, nec spectata, ipsius Collegio prouidebatur abundè: vbi, in paucis tunc reditibus, nullo ære alieno conflato, sexaginta, ac septuaginta etiam Socij, multò sanè plures, quàm antea, posteaque aliàs alebantur. In rebus verò arctis diuina prouidentia, quæ vna fiducia erat tota Baltasaris, ope illi aderat tam præsenti, vt illam ignarus quâ viâ, adesse tamen aspiceret.

Matth 6. 31.

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

Labores & pericula, in quæ, animorum causà, sese coniecit. Tum insignia quædam, quibus plurimam suam caritatem exhibuit.

SPiritalis soboles vnis precibus, cohortationibus, ac pijs epistolis nec gignitur, nec nutritur. Ad eam Christo adiungendam, conseruandam, inque omni virtutum genere prouehendam, plurimum subeundum est laborum, ærumnarum, atque discriminum. Quare de mystica illa muliere Apocalypsis, typum Ecclesiæ, eiusque Administrorum gerente sic legitur: *Et in vtero habens*
Apoc. 12. 2. *clamabat parturiens, & cruciabatur, vt pariat*. Et Paulus; *Quotidie,*
1. Cor. 15. 31. inquit, *morior per vestram gloriam*. Quotidianam verò mortem appellat labores, ac dimicationes assiduas, quibus ipsorum causâ exercebatur: quas & Corinthiis ijsdem enumerans ait: defunctum
2. Cor. 11. se esse *periculis in mari atque fluminibus, in itineribus ab latronibus, falsisque fratribus*, ærumnisque aliis *in fame & siti, in ieiunijs multis, in frigore & in nuditate*, morbisque & insectationibus varijs. Atque in hunc modum, precibus, sermonibusque; mortalium multudinem infinitam Christi fidei, professionique Euangelicæ aggregauit. Idem & viro huic Apostolicæ sanctitatis euenit; cuius vita omnis, vnum in animorum messe negotium fuit: eam enim non colligebat precando solùm, pièque alloquendo; verùm etiam laboribus sese, periculisque plurimis obiectando; calcatis, vbi res poscerent, suis vltro commodis, quiete, honore, salute, ac vita: quò & destitutis opem, & mœrentibus solatium, & ob virtutem agitatis patrocinium impertiret: aduersa interim dicta simul, & facta plurima exorbens, quòd apud ipsum aduocatio esset ijs, quos erroribus abduci suspicarentur alii; serentes propterea multa ipsius nomini indecora: illum tamen nihil horum à cœptis, partibusque sui muneris omnibus obeundis integrè abstere bat: quin eo nomine excitabatur hinc maximè, quòd sua vti operâ Deum intelligeret, quando illi humani generis hostis tantoperè aduersabatur.

§. I.

AVspicatum sanè horum duxit exordium ab infestis ijs, quæ plurima in tuenda sanctissima Virgine Teresa IESV, Abulæ per-

pertulit: id verò ipsamet ijs confessa verbis est, quæ nos vndecimo capite retulimus. Eaque nota hominis in fallaciam inducti, quæ tunc fuit inustus, non sine graui deinde, vt suo dicendum est loco, molestia regerminauit. Atque hic Methymnæ tempestates in illum irruêre occupationum, itinerum, cœptorumque perdifficilium, ac laboris in Tyronum institutione tam iugis, ac tanti, vt in descriptum à se munerum diuinorum elenchum id inter alia quoque retulerit, quòd exantlato in ea Prouincia oneri minimè succubuerit: cum id oppidò sit tam graue, vt, meâ quidem sententiâ, vix tria præterea munia, prout geri à nobis assolent, nostro in Ordine grauiora numerentur. Et verò graues licet hic morbos, languoresque perpessus, nihil tamen vnquam de penso resecuit, quandiu, inualetudinis vi, illi absoluendo impar omnino non fuit. Verùm quandoquidem reliqua hæc omnis historia plurimis conspergetur ærumnis, quibus salutis alienæ, suique muneris obeundi causâ exercitus est, hoc loco, veluti prolusio, quædam proferam memoratu dignissima; quibus ingentis suæ in proximos caritatis, excelsique animi, quo eorum gratiâ sua commoda posthabebat, egregia protulit argumenta [illegible]

Et verò insigne fuit illud, quod Salmanticæ dedit tertianâ laborans, missoque bis sanguine. Accersitus enim à discalceata quadam Moniali, proximè moriturâ, ac mœrente insuper maximè, quòd è vita, Baltasare Confessario suo non viso, decederet, per quem compluribus à Deo aucta muneribus, eadem sibi in summo illo rerum discrimine per eundem salua, integraque fore sperabat; vir longè p[illegible] quamquam cui se committeret periculo prouidebat, allaturus illi solatium surrexit è lecto; atque affirmanti valetudinario id plurimum ipsi obfuturum, respondit: Plurima præstanda sunt ad vnius animi salutem; atque [illegible] solatium. Cum aures deinde confitenti daret, ab detracto nuper sanguine debilis, animo defectus est [illegible] comes valetudinarius præstò tunc fuit [illegible] Virginem perinde audijt vsque confitentem; recreauitque in tantum, vt mox supremum spiritum summa cum quiete, ac serenitate mentis efflauerit. Perægrè domum retulit Baltasar [illegible] decubuit, duplicataque febris est. Atque hic valetudina[illegible] [illegible]bam equidem incommodaturum tibi, Pater, hunc ictum. Cui ille perplacidè. Atqui ob vnius leuamen animi leuiter omnia perferuntur. Et iure quidem optimo: etenim si congeminata febris est, conduplicata est & caritas actu amoris gemino, Dei simul, & proximi. Tanti verò est eâ gratiâ agere, ac pati; animisque proximorum seruandis sui salutem corporis posthabere.

Iniquè verò facerem si silentio illud inuoluerem, quod Anna

IESV narrauit eius Parthenonis Antiſtita, ſanctiſſimæque Parenti Tereſæ cum primis cara. Ea tunc, aliæque cum ipſa ſacræ Virgines ægrotantis huius cubiculum iniere: atque id, quod animi defectio videbatur, raptum verè fuiſſe elati, immerſique in Deum ſpiritûs, argumentis optimis intellexere;non ideò duntaxat, quia tunc vultu Seraphicæ mentis imaginem præferebat; quare ſpectantes ipſas mirificè recreabat; ſed vel maximè, quòd, animo ad corporis munia reuocato, affirmauit ipſis, comparatam illi ægrotāti eſſe gloriam ſingularem,qua paucis poſt diebus erat vtique fruitura. Per octo enim menſes, quibus eam lecto morbus affixerat, Baltaſar affirmauit, ſe magis ipſa, perfecit, quàm integrâ valetudine, compluribus annis aliæ permultæ religioſam vitam profeſſæ mulieres. Et verò credibile admodum eſt, ecſtaſim hanc fuiſſe, earumque conſimilem, quarum capite quinto decimo meminimus: Deo ſcilicet obſequium ab ſuo ægrotante famulo ſibi præſtitum munerante; cuius animum liquidâ illâ voluptate perfudit, etſi corpus interea aduerſa valetudine laborabat.

Quanquam verò eximiæ caritatis eſt, ad animi alieni ſolatium, periculoſam ingraueſcendi anſam ſuo morbo præbere; huic tamen eam arbitror præhabendam, qua quis inferni laniſtæ cruciatibus obiectare ſeſe non dubitet; vt alium quempiam ijs diriter affectum eripiat. Præſtitit hoc Baltaſar Methymnæ erga Nouitium,qui ſibi quidem, etſi benè in religioſa vita eſſe Baltaſari affirmauit, vnum tamen adiecit eſſe ſibi toleratu peraſperum: quod tamen præ pudore eloqui non auderet. Baltaſar veritus, ne malè res caderet, ſi eam ille tectam haberet, effari iuſſit. At ille obſecuturus imperio, Nihil, inquit,vllam mihi faceſſit in hac domo moleſtiam,niſi quòd tu ipſe, mi Pater,in noctes ſingulas, poſtquam decubui, domeſticiſque omnibus quies eſt, meum adis cubiculum, meque tam immaniter, vt factitaſti hactenus, cædis. His auditis, rem Baltaſar, vt erat, confeſtim odoratus eſt; eum nempe ſtygium eſſe carnificem, qui ſe in ipſius vultum indueret, vt itâ in Nouitium efferatè deſæuiens illum ab religioſa domo, in qua tam quietè, ac iucundè illi erat, extruderet. Conſolatus mœrentem eſt, affirmauitque certò, illum ſe neutiquam eſſe, qui talia factitaret: monuitque vt infeſto illi redeunti, oſtiumque pro more pulſanti, reſponderet, Si per veniam tibi licet, ingredere; ſin autem ad cubiculum abi Rectoris. In hunc modum edoctus, reddidit ſeſe conclaui Nouitius: noctu deinde per conſuetam horam, ad ſuam nempe rem, virgator tartareus remeauit: pulſantique ad ianuam, alio, quàm à Baltaſare acceperat,verborum ordine, Ingredere, inquit Tyro, ſi per veniam tibi licet. At enim Dæmon acutiſſimè callidus, primum vbi

ver-

verbum accepit, Ingredere, antequam conditionem audiret, Si per veniam tibi licet, irrupit, Nouitiumque solito, hoc est, immanissimo more cecidit. Mœrore tunc ille, vt cum maximè profligatus, Rectorem postridie adit; remque vti gesta erat, quámque irritum ipsius cessisset remedium, afflictus refert. Verùm is vbi verborum ordinem ab illo inuersum agnouit, confirmatum monuit iterum, vt, si per noctem proximam laruatus ille rediret, ordinem etiam retineret in verbis, ac diceret, Si per veniam tibi licet, ingredere: sin autem ad cubiculum abi Rectoris. Adfuit nempe verbero mastigophorus: verùm Tyro percautus, seruata verborum serie pulsanti respondit. Quare lorarius & abstinuit ab ingressu, & ad Rectoris cubiculum ruit; suamque in illum iram omninò omnem euomens, sæuissimis quàm potuit plagis Nouitij præstem affecit: horrifico deinde remugitu proripuit se, omnemque secum abstulit, nunquam deinceps redeundo, molestiam. Prô caritatem ingenuo spiritualium filiorum Parente, Christi Crucis amatore, eiusque cruciatuum, & dolore imitatore dignissimam! etsi enim pœnas in illum cudêre homines immanissimi, artifices eorum tamen fuêre primò furiæ inferorum, quibus illi tunc carnifices agebantur: quod ipse prius Seruator edixerat, *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum*: quibus tradere ipse vltrò se voluit, vt ab eorum nos vi, furoreque vindex assereret. Similem in modum vir hic perquàm probus, ac sanctus, vt, quorum cura ipsum attingeret, ab ijs pœnas auerteret, eas pertrahebat in sese. Non inferni lanistæ furorem, non eius verberum immanitatem extimuit, qua libenter ijs cruciatum se maluit, quàm, cui moderabatur ipse, Nouitium innocentem. Atque etsi optimis etiam vijs aliis nequitiæ Dęmonis potuisset occurrere; aut eiusmodi imperare responsum, Abesto, si tibi facultas deest; recusauit hoc tamen, & congredi cum hoste maluit, quicum Tyro congrediebatur; vt, quæ ille perpetiebatur, expertus, pugnâ eâdem, ac tolerantiâ, palmam sibi eandem pareret, & coronam.

§. II.

ACcidit & Villagartiæ aliquid, in quo suæ caritatis documentum exhibuit: suis nimirum rebus incommodans, vt alterius commoditati vacaret. Dominico die, ante meridiem, nostro in Templo dicturus erat ad populum: (in eiusmodi enim Oppidis id obire muneris minimè detrectabat:) fortè Cœnobiarcha S. Isidori Legionensis, cui nomen Castellano fuit, traiecit illac, Salmâticam petens. Habebat hic quæ de animi sui rebus cum Baltasare

com-

communicaret; quem & amabat, & colebat impensè; perque illum in pijs Exercitiorum commentationibus plurimum animo emolumenti perceperat. Properabat tamen ita, vt ibi ab aduentus sui septima, ad decimam] vsque non plus horam, vacaret sibi subsistere. Pependit anceps animi Baltasar; nondum enim præmeditatus erat, quæ ad populum in eius diei Euangelium de caritate dissereret. Quòd si accersentis necessitatibus aures daret, necessario sibi ad studium temporis interuallo careret: sin autem negaret, mœrentissimum illum dimitteret, voto nempe tam enixo fraudatum. Re igitur Deo precibus commendata, sic statuit, ad sermonem de caritate, studium, ac præmeditationem longè optimam esse, eam primo cum egente sui consilij, ac solatij exercere: Dei verò interesse, suo tempore, menti, ac linguæ suppeditare apta, quæ diceret. Et verò euênit: tempus enim omne cum Cœnobiarcha consumpsit; ad vsque semihoram, antequam diceret; & hanc extraxit in precibus: tùm de caritate in proximos aptiùs, altiusque dixit, quàm si concionem diebus plurimis elucubratam attulisset: fides enim Ecclesiastici effato constat indubia: *Nullus* Eccl. 2.11. *sperauit in Domino, & confusus est*: & quæ Dei, vel proximorum causâ dimittuntur, referunt suo commodùm tempore ipsa sese cum fœnore.

Denique Baltasari, Euangelii nimirum integerrimo Administro, Rom. 15.1. cordi cum primis erat illud Pauli consilium aientis: *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere; & non nobis placere: vnusquisq; vestrum proximo suo placeat in bonum, ad ædificationem. Etenim* Ps. 68.10. *Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est, Improperia improperantium tibi ceciderunt super me*: quasi diceret, Christi nauum administrum suis commodis, optatisque indulgere non decet, sed illum ea spectare solùm oportet, quæ proximorum saluti conducunt, quæ in imbecillibus infirma sunt, ac mendosa, vt vt molestiam facessant, conuenientiùs perferendo. Indulgentia hæc tamen sit oportet in bonum; neque sibi humanum aliquid, sed incitamentum virtutis, fructumque animorum proponat; Christi Seruatoris exemplo, non naturalis suæ voluntatis cupiditatibus obsecuti; sed labores, ac tormenta perpessi; pœnisque in se consciitis, quæ nostris olim sceleribus debebantur. Eò vir hic sanctissimus sese ipse in labores, qui in proximorum leuamen verterent, immergebat; cælestibus licet deliciis fraudaturus esset se; quas illi fruendas se- 1. Cor. 10. 33. cessus dabat; illud Pauli vsurpans: *Per omnia omnibus placeo, non* Serm. 52. in Cant. sub finem. *quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant*: Quemadmodum & suis Monachis Bernardus aiebat: Rara satis mihi ad feriandum à superuenientibus conceditur hora. Verùm ego scru-

pu-

„ pulosiùs moueo istiusmodi querelas, neque vtar hac potestate
„ (colligendi scilicet mei) magis autem ipsi me vtantur, vt libet;
„ tantùm, vt salui fiant; Geram eis morem, quò ad potuero in
„ caritate non ficta, non quæram quæ mea sunt, nec quod mihi
„ est vtile, sed quod multis, id mihi vtile iudicabo. Quanquam verò id consilij Baltasari, quo dictum est prudentiæ modo, propositum erat vniuersè cum proximis, eius tamen cum Tyronibus, cæterisque qui ipsius concrediti erant curæ, multò obseruantissimus erat: in eos enim diligentiorem, vt deinde exponetur, operam conferebat.

Quò verò exploratius sit, quàm cumulatè Deo gratum accidat, proximorum causâ incommodare sibi operarios suos, quamuis id ipsorum consilia interpellet, historiolam hîc iucundam attexam rei, quæ Baltasari accidit, tale aliquid præstare causanti; non, molestiam vt vitaret, sed vt operi apud ipsius animum potiori vacaret: At enim illum vi Deus adegit. Vallisoleto aliquando traiecit, Burgos in rem profectus, in qua momenti erat plurimum; & festinato opus erat: ea res vigesimo septimo capite veniet in sermonem. Vallisoleti tunc in domestico Mariæ Acunniæ Buendij Comitissæ seruitio habebatur dedita Deo, diuinisque rebus ancilla, Stephania nomine; gente rusticana quidem, & simplex; cælestibus tamen à Deo charismatibus, egregijsque inter precandum muneribus perornata. Res illa suas non semel aliàs cum Baltasare illac transeunte contulerat: consciaque quantum ipse apud sanctissimam Parentem Teresam IESV valeret, in cuius conscisci familiam peroptabat, obsecratum eum voluit, vt indotata (quod aliquibus ibi annuebatur initio) per ipsum in Parthenonem admitteretur. Dum inter sacrarum Virginum administras, Baltasar inquit, adscribi vellet (& hoc porrò humilitati magis consentaneum erat) suã pollicitus operam est. Annuit illa: prouinciamque Baltasar rei gerendæ suscepit. Eam tamen permultis districtus muneris sui negotijs, complures in dies distulit. Nunc verò de illius Vallisoletum aduentu Stephania resciuit; eique per suum Confessarium exposuit; animum aduerteret, sua res enim plusculum proferebatur. Cui Baltasar, festinare se tunc, ait, & iam instare discessum; ad eam proinde rem, carere se in præsens temporis opportunitate; breui tamen in reditu eam ab se transactũ iri. Longiores tamen illa metuens moras ab recentibus, quæ suboriri poterant, fortè negotiis, Confessario ingenuè, explicatèque dixit: Atqui aures Baltasar opponit mihi difficiles; exorabo faciles apud Deum. Templum adit, & coram diuinissima Eucharistia supplex precibus tam enixis egit, vt paratum iam iam equum inscensurus Baltasar, subita

Q bita

bita febri, ardentissimaque correptus lecto decumbere sit adactus; atque, vnde id morbi fluxisset, intelligens, Stephaniam rogatum misit, exoraret sibi febris immunitatem à Deo; seq; ad ipsius transigenda vota è vestigio concessurum. Orauit illa, exorauitque: Baltasar verò sub eius diei vesperam egit, peregitque rem totam: postridie verò mane iter prosecutus est Burgos.

Prouidentia hinc diuini Numinis perquàm suauis apparet, diuersa, sed pia tamen suorum inter se studia conciliantis. Hinc enim huic suæ fauit ancillæ, eiusq; rogatus suas in aures confestim ac diligenter admisit: illinc mora non obfuit, quò minus adeò festinatum Baltasaris iter, successum, vt suo loco dicetur, haberet.

CAPVT DECIMVMNONVM.

Probationis ordinem Methymnæ per quàm absolutum constituit. Ipsius in Tyronibus instituendis dotes: eorumque ardor in spiritu.

QVod ad præcipuum pertinet Baltasaris decus Methymnæ degentis, quodque ipsius nomen in Societate maximè protulit, extulitque, illud fuit, Probationis domus in hac Castellæ Prouincia, postquam à Toletana disiuncta est, Methymnæ Campi ab ipso constituta: vtroque illi imposito munere Magistri, atque Rectoris; vt Tyrocinij perfectam ex omni parte formam effingeret. Effinxit verò ita, vt requiri supra nil possit, pro ijs animi bonis, quibus in id erat à Deo luculenter instructus. Ac veluti Magistrũ tantum mens diuina parauerat, ita & discipulos eadem prouidit, qui forent doctrinæ tantæ capaces. Quare Tyronum numerus fuit illi lectissimus: in quibus adolescentes alios nobilitas, naturæque dona præcipua; alios adultos egregiæ prærogatiuæ, litteræ etiam, & clara apud homines fama commendabant. Puerorum tamen instar reuerentiam vniuersi perquàm submissè Baltasari exhibebant; in quo animorum magisterij celsitudinem mirabantur. Ipso enim, vti diximus, referente Baltasare, scientiam illi Deus ad interiorem facultatem spiritus, sibique & alijs dignoscendam impertijt; eâque in eorum, quibuscum agebat Spiritum, virtutem, gradusque perfectionis omnes, suæ mentis intuitu pertingebat, quibus quisque instructus esset præsidijs ad processus in eo, quem assecutus erat, gradu habendos; quibus item destitueretur; quam cuique viam Deus decreuisset, illicò peruidebat. Inde totam ex vno

verbo rem ingredi, aliorumque animos audire quodammodo, quæque in ijs agebantur, tanquam oculis subiecta perlegere.

Ratio in vniuersum, qua Nouitios ad perfectionem prouehebat, hæc erat. Primò, sanctissimo illos precum, diuinæque consuetudinis studio incendebat; fontem enim hunc esse diuinorum bonorum expertus norat. Quare erga ineuntes primò Societatem, constitutam legem religiosissimè custodiebat, integro nec interrupto mense, in cubiculi priuati secessu pijs commentationibus illos exercens; ijsque interea omnibus imbuens, quæ consentanea sunt intimæ familiaritati cum Deo: æuique iam prouecti viris, vbi cælestis huius necessitudinis habere gustum occœperant, sexaginta, pluresque etiam dies, in spiritualia exercitia indulgebat; quò se & arctiùs Deo coniungerent, & terrarum sordes, ac nidorem prorsus exuerent; assuescerent solitudini, precationisque secessui; secumque viuere, piarumque suarum cogitationum societate frui condiscerent; vitæque anteactæ memoriam omnem, & simulacra abraderent penitus, ac delerent. In optatissimis illi erat, magnis orandi cupiditatibus inflammari Nouitios: si cuius non statæ, communisque piæ rei veniam peterent, eam esse malebat precationis longiùs protrahendæ; quò feruorem corde conciperent, Deique ac virtutum omnium amore flagrarent. Quanquam verò pia vota nequaquam fructus sunt orandi præcipuus, ea tamen tanquam bonorum operum fontem, plurimi faciebat; iis incensos erigens hortabatur hoc sensu, quem in hunc modum hausit à Deo. Si, quæ „ vota concipimus, à Deo sunt, ea qui seuit, prouocabit vt ger„minent, inque culmum assurgant; ipsius est triticum; sua illi da„bit ipse incrementa; *Dei enim perfecta sunt opera*. Lapidem ab „ illo vides in fundamento locari? euge, perficiet. Auctor proinde Tyronibus erat precum, non vt finis, in quo postremò quiescerent; sed tanquam potioris viæ ad corrigendos mores, prauasque cupiditates fortiùs coërcendas.

Atque hæc Mortificatio alterum erat, quod ijs persuadere connitebatur, & in quo illos strenuè exercebat: præsertim verò in sui met contemptu, quò Christianæ humilitatis solida iacerent fundamenta. Tantus verò Nouitiis feruor inerat, vt apertas, occultasque artes, ac non ina, quibus possent despicatui esse, certatim ac studiosè conquirerent. Simulatis nunc defectibus prærogatiuarum, prudentiæ, litterarum, aut ijs minimùm dissimulatis dotibus, quibus ornabantur; iisque, vnde submitti possent, expositis; vnde extolli, suppressis. Lapsi, de culpa confestim in triclinio, siue in communi cœtu, per animi remissionem à prandio, cœnaque, publicè confitebantur. Clam, palamque redargui, vul-

garique omnium auribus deprehensa in ipsis vitia; mitti item ad publicum fontem, aut macellum, ad comportandas domum aquã, aut carnes efflagitabant; similibusque horum alijs, quorum ipsos puderet magis, ceù viri consueuêre sanctissimi, exercebant sese. Vestes maximè viles, ac detritas, cibos omnium deterrimos occupare; in labore quisque alios antecellere: nemo imodicè grauatum se conqueri; sensus sub fræno modestiæ sic habere, vt ad oculorum, animi causâ, indulgentiorem vsum adigendi essent imperio: pœnis verò vexare membra tam asperè, vt, ne salutem ipsi euerterent, in ipsos aduertere oporteret. Ea denique probationis domus humanarum rerum typo erat planè,penitusq; difformis: in qua, quicquid odio profanis est, amori erat & quæstui: contra verò honores, atque deliciæ, quibus illi tantum tribuunt,& indulgent, non erant modò contemptui, sed horrori. Quanquam insolitas,singularesque vias ingredi prohibebantur: feruoris enim ingenui argumentum & character est, non noua comminisci, sed veterem, non deerrando, callem insistere.

Fouebant hæc mirificè piæ,quas diebus habebat alternis, ad virtutem cohortationes: quæque interiecto die instituebantur collationes, in idem earum, siue aliud aliarum virtutum, ac perfectionis argumentum. Tantaque in alloquente vis erat ac spiritus, vt pro voluntate animos immutaret; eosque,quò res tunc ferret, impelleret. Abibant porrò inde Nouitij taciti, atque elingues; tremefacti quandoque, submissi, ac tristes; confidentiores aliàs, alacres, & erecti: certi tamen semper auscultare dicenti; quibus ille & ardua nempe lenierat, & eosdem sui vi spiritus ad obnitendum, irrumpendumque perpulerat. Adhæc in piis hisce allocutionibus ea docere propositum illi erat, ex quibus intelligerent Tyrones, quid ab ipsis susceptæ vitæ, Institutique ratio postularet; quâ formâ intimâ, extimâque ad eas leges sese ipsi componerent. At hęc nos interim in præcipuum caput explicanda reiicimus.

Neque minori cum vi fructuque priuatim Nouitios alloquebatur: semel in hebdomada, stata die ac hora singulis in sermonem accitis, quò illi quidem, vitæ animique sui rationem exponerent; ipse verò quæ vniuersè docuerat, in peculiarem actum, ac rem cuiusque referret. Has verò priuatas collocutiones, munus aiebat Institutoris esse præcipuum; quibus demulceat ægros, iacentes erigat, iactatis, arctatisque sit præstò; omnesque præsens adiuuet ad virtutem; quæ ipse omnia per quàm scitè, concinnèque præstabat. Quin ad morbos animi exponendos adeuntibus illum Nouitijs, respondentis verba quandoque remedium præuertebat: diuino certè numine,, vt plurimum apud ipsos sui Magistri valeret

ret auctoritas; afficeretque sic præmio (quod Cassianus in Anachoretis aduertit) fidem, ac perspicuitatem, qua Moderatoribus suum penitus animum ostendebant. Eosdem aliàs voculâ tantùm vnâ curabat. Ijs enim loquentibus, orabat ipse defixo in pendentem è cruce Christum obtutu; eumque interea suo Deus lumine responsa docebat, quibus illos mirum in modum immutabat. Et verò Tyroni semel accidit, homini quondam gerendis rebus implicito, qui & perhonestas nuptias oblatas sibi respuerat, accidit huic inquam, vt ab importunissima corporis impugnatione labem prope facturus Institutorem suum adierit, explicatèque dixerit, suum se apud animum constituisse libertati suæ se reddere, in qua immunis pugnæ tam improbæ, matrimonio iunctus, vacare posset & Deo. Aures illi dedit vultu persereno Baltasar: quo deinde ad illum conuerso, submissa voce respondit; Religiosus, & Coniux: hoccine decet? Apage sis. Abijt ille tentatione depulsa, neque illâ vnquam deinde pulsatus.

Libet in hanc rem hoc loco proferre de me ipso aliquid, quod mihi alloquenti primò Baltasarem contigit, cum, tertio anno, sub ipso Institutore Tyrocinium ponerem. Mihi enim languorem, mēdasque omnes animi mei sanè perplurimas indicanti, silentissimè, oculisque, vt solebat, in affixum Cruci Deum intentis, aures adiecit. Postquam verò fari desij, hæc ille dumtaxat verba respōdit: Virtus nimirum isthæc infans est, futura quondam adultior: eam alere, & confirmare fas est. Sub hæc verba conticuit, & ipse discessi: confuso quidem animo, atque submisso; quippe conscius meam ab illo tactam fuisse rem acu: sed certo tamen inde cōsilio eam virtutis infantiam exuendi; & quicquid in me profectui oberat, strenuè contundendi: admiratus sanè quàm rectà meum in animum descenderat; & quàm paucis remedium complexus erat; ratus sapienter, id loci submisso me magis, quàm victo rationibus opus esse.

Persuasum etiam planè habeo, quemadmodum aliorum aliàs, ita suorum etiam quandoque Tyronum animos à Deo illi fuisse ostensos; à cuius luce discebat, quæ responsa daret, quando etiam dimitteret inauditos. Talia enim eorum subinde pericula sumebat; iussosque primùm expectare, verbo deinde nec audito, nec dicto, dimittebat; eos nimirum, quos ea præditos virtute norat, quæ asperioribus hisce ferendis, vorandisque par esset. Duo pro re, memoratu dignissima, idem qui supra Ægidius de Mata narrabat. Alterum, profectum se Methymnam secundum ibi annum Tyrocinii exacturum, fruiturumque tanti Magistri doctrina pariter, & exemplo, condictâ sibi, velut etiam cæteris, die ac hora consciē-

tiæ

tiæ aperiendæ, per ſeptuaginta dies, quibus illic fuit, ex conſtituto ſemper adfuiſſe, atque ne ſemel quidem accerſitum ſe fuiſſe à Baltaſare, nec auditum; licet is & expectantem aduerteret, & eò profectum Methymnam intelligeret, vt ſui de animi rebus cum ipſo conferret. Ad ſeptuageſimum diem Prouinciæ Præpoſitus Ægidium acciuit: cui ſub diſceſſum apud Baltaſarem expoſtulanti, quòd ne vnâ quidem horâ aures ſibi commodaſſet, cùm alios per tot horas audiret, illud in cauſa fuiſſe Baltaſar reſpondit, quòd ipſius animum nulla ſciret moleſta tentatione vexari; ſecus verò eorum, quos acciperet in ſermonem. Demiratus hinc eſt, quòd nullo à ſe cuiquam facto animi ſui indicio, in eum tamen ille peruiderat: quæ res ipſum demulſit pariter, & erexit. Rurſus, Valliſoleti cum degeret, matutinis horis Baltaſarem adijt, vt ſua cum illo vota de expeditione ad Iaponas, Euangelij diſſeminandi causâ, conferret. Duas illum, ſciens, demoratus eſt horas; neque deinde, patientiam nempe ſubmiſſionemque hominis exerciturus, audiuit. Rediuit ille ſub veſperam: poſtque tantundem moræ pia ipſius vota Baltaſar excepit, atque: Ne te coquat hæc cura; etenim ſi expeditionem hanc tibi Deus annuerit, à Generali Præpoſito eius tibi poteſtas cum imperio mittetur ab Vrbe. Res cum effato conſenſit: aliquot enim poſt annos eam dimiſſus in Prouinciam eſt; atque tunc præſagitionem optimi ſui Magiſtri commeminit.

Hinc etiam quandoque erat, quòd deferentibus ad ipſum Nouitijs tentationes animi, & mœrores, ne verbo quidem reſpondebat in præſens: ſed commendari ab ipſis rem Deo iubebat: idem ſe interea præſtiturum affirmans. Communi deinde cohortatione verba faciens vniuerſis, ſingulorum vnicè animo ſic inibat, vt, quos indicauerant ante, morbis conſultum ſuo eſſet ibi remedio. Sicubi res verò in eas redigerentur anguſtias, vt ad eas explicandas minus verba valerent, vi precum, vti exemplis ſexto decimo capite docuimus, opem præſentiſſimam afferebat.

Multò demùm maximè exemplo proderat vitæ ſanctiſſimæ; omnes in ſtadio virtutum omnium antecedens; nihil aut dicens, aut indicens, quod moribus in ipſo non videretur expreſſum. Quare in ea Probationis domo tantus & ordo erat, & ardor, vt ipſius nomen magnâ, clarâque famâ in omnem Prouinciam peruulgaretur. Grauium auctoritate Patrum complures Methymnam pij ſeceſſûs gratiâ ventitabant: ſuarum vt virtutum acceſſionem facerent: nô vt Magiſtri modò tam egregij documentis & ductu, ſed vt ipſius etiam Tyronum exemplo tam ſpectabili fruerentur. Et verò præclarus ille Concionator, cuius ſupra meminimus, Ioannes

nes Baptista Sancius, Salmanticæ degens, quæque in hoc Tyrocinio gerebantur, memoria repetens, dictitabat; O si cui tubæ vox esset, quæ in loca Societatis omnia pertineret, ac diceret, Methymna, Methymna, Methymna! Quasi diceret, ô si darentur omnibus videnda, fruenda, inque suos vsus fructumque perducenda, quæ Methymnæ nunc fiunt! Ardoris proinde rumor Romam vsque perlatus est: ac Generalis tunc Societatis Præpositus Franciscus Borgia Baltasarem, vti postmodum exponemus, Magistrum in Vrbe dare Tyronibus agitabat: id verò cum res impeditiores abnuerent, geminam in hac Prouincia constitutam Probationis domum, Methymnæ alteram, alteram Vallisoleti, per alternas semestrium vices, ad feruorem spiritûs excitandum, ipsius curæ committere destinarat: quanquam ferentibus aliter rebus, ac tempore, deliberationem res consecuta non est.

Et, ne de tanto pietatis accessu locutus videar intemperanter, ac tumidè, rem meo ipse experimento confirmatam volo; quod nimirum cepi cum primò Societatem ingressus sum, paucis post mensibus, à Baltasaris discessu Methymnâ Salmanticam ad eius Collegii gubernacula capessenda. Ex vno enim tanti in ea domo feruoris aspectu, eâdem gliscentis flammâ, quâ illum superiore anno Baltasar excitarat, mei animi tempestas sedata terribilis est; qua, postquam de ineunda Societate constitui, sex ad dilatum ingressum menses iactatus ideo sum, quia ingenti ferebar affectu in alium Religiosum Ordinem, quem plurimi duxi semper, & duco. Cumque ab Dei vocatu argumentis, afflatibusque plurimis ad Societatem impellerer, tanto pugnantium inter sese cogitationum æstu iactabar, vt excruciarer animo; ac, ne disrumper, in liberum aërem, & agros, respiratum ibi, exclamatumque propellerer; ratus, alterutri familiæ nomen darem, perinde me curis per æuum omne confectum iri. Alteri enim adscriberer, ea me cogitatio foderet, exerrasse me scilicet, inque altera melius mihi futurum fuisse. At enim quandoquidem oranti, quieto, astantique coram Deo illud mihi perpetuò obuersabatur, diuinæ voluntatis esse, vt IESV Socijs aggregarer, ijs me non sine multa animi cõtentione perdifficulter adiunxi. Verùm in hoc Methymnense Tyrocinium admissus, paucos intra dies, postquam Tyrones aduerti, quàm seriò verè humana calcarent, seque ipsi contemnerent, subigerentque; quantoque ardore vestigiis Christi Seruatoris, consilijsq; illius sanctissimis inhærerent; tantam ex mea deliberatione voluptatem cepi, vt, quod inter summa Dei beneficia refero, neque probationis, neque alio deinceps tempore, ob eam me seu mœstitia, seu pœnitentia vnquam habuerit. Quin immò illud,

qua

qua ratione vel vnde nescio, meæ infixum menti est, si vitam ad eam normam octo annos exigerem, in summam sanctimoniam esse me euasurum. Et enimuerò: depulsio enim illa errorum ex animo, feruorque spiritus, quibus à Deo nostrorum Tyronum perplures imbuuntur, si pares haberent processus, neque illi deinde inter studia, muniaque resisterent, aut resilirent, non in quemcunq; sanctitatis gradum, sed in apicem eius summum omninò perducerent. Atque hæc, vt ipse me oculatum testem de gliscente tunc in ea Probationis domo ardore producam.

CAPVT VIGESIMVM.

Tyrones nonnulli Methymnæ id temporis insignes, ac feruidi. Francisci Godij, & Antonij Padillij quædam memoratu dignissima.

REctore, ac Tyronum Magistro Methymnæ Baltasare, Martinus Guttierius vir sanctissimus, de quo suo loco, Rectoris item & Concionatoris munere Salmanticæ defungebatur. Hunc precationis excelsæ munere Deus ornarat, vimque illi adiunxerat dicendi efficacissimam; sic, vt eius vi animos vinceret, ac vinciret. Expertus id ipse sum Theologicis studijs, antequam inter Socios cooptarer, operam Vallisoleti nauans. Ingressus enim aliquando Professorum Societatis Templum, concionantem auditurus, illum tamen quis esset, aut qui vocaretur ignorans (erat is verò Guttierius) miratus sum adeò spiritum, ardoremque loquētis, vt animo mecum ipse, forsan & verbis, intimo nimirum, ac vehementi actus impulsu dixerim, Orator hic non est ex aliorum typo: hic præstantius quicquam est. Auditisque florentissimis omnibus ex vniuersis Religiosis familijs ea in Vrbe Concionatoribus, longè mihi visus est antecellere ille, cui tunc intereram. Eadem hæc sententia erat grauissimorum in Vrbe Salmanticensi virorum. Illum adeò auditum Magistri, Scholasticique ex omnibus Collegijs agminatim, & ordine confluebant. Quorum ille permultos dotibus præclaris instructos, valida rationum vi salute multa rebus humanis dicta, ad complexum vitæ religiosæ perduxit: quorum non pauci Societati nostræ sese adiunxere. Ægro tamen animo aliquando cum esset, quòd ex nobilioribus Collegijs nemini eam inijci mentem videbat, vocem audijt admonentem; Bono esset animo, breui enim sex ex ijs Collegijs nomen Socie-

tati daturos. Secuta res est: ac bini mox ex singulis nobilioribus ijs tribus Collegijs inter Socios adscripti fuere: atque Methymnam profecti sunt, vt ibi doctrinâ, spirituque Baltasaris fruerentur: per quem Deus plurimis illos, maximisque muneribus cumulauit. In horum paucis præstitere Ioannes Orthunus, Franciscus Cordubensis,& Doctor Franciscus Ribera Sodalis ex clarioribus, quæ memoraui, Collegijs. Verùm hi cum Salmanticæ illustriora dederint suæ virtutis exempla, Rectore ibi Baltasare, trigesimo capite venient in sermonem. Nunc duos alios nihilo sanè minus laudandos expediam.

§. I.

De Francisco Godio.

PRimo scribatur loco clarissimus vir Franciscus Peresius Godoius Turigijs natus, in Oppido Archiepiscopatus Toletani. Hic in studia litterarum incumbens,ad pias animi exercitationes, nostrum in Collegium secessit; inter quæ iniecta illi à Deo mens est iubendi valere mortalia, seque in nostram familiam aggregandi. Difficultates tamen illum plurimæ morabantur: ea verò inter cætera maximè, re quidem ipsa futilis, perleuisque; ipsius tamen iudicio grauissima; nempe quòd barba præcidenda esset liberaliùs in superiore labro perculta: quo velut argumento roboris, ac elegantiæ summoperè lætabatur. Vis tamen diuina præpotuit, inuolansque in forficem, eam ipse sibi detondit; ratus, eo facto, reditum sibi ad suas ædes obstructum: tantoque tunc ardore sui cooptationem in Societatem efflagitauit, vt admissus illicò sit, dimissusque ad Tyrocinium Methymnense, vbi, feruido excitante Magistro, magnos habuit, pari semper ardore, processus.

Quicquid illic ageret, per quàm diligenter accurabat: culinæ ministerijs vacans, sartagines, tripodes, ac lebetes, vt vt multo esset opus labore, detergebat scilicet in splendorem; aientique socio, quorsum in ijs tam curiosè perfricandis adeò delassaret sese, mox iterum sordidandis? respondit, quicquid per diem egisset, à se sub noctem Virgini dedicari: pudere se porrò aliquid illi malè ablutum, aut minus nitidum, aut certè perperam factitatum offerre. Ex his, eius in Deiparam Virginem pietas, quantumque ex illa boni consequeretur, apparet. Subigendi sui nullam sibi opportunitatem sinebat eripi: quique alijs omnia tam munda splendidaque curabat, sibi in triclinio vescenti, tum verò maximè, cùm cibum aliquo, vt in Societate fit, pœnæ genere condiebat,

diebat, illum quandoque sub mensa sumendo, aut genibus flexis, aut stando, pro mappa sordidissimum deligebat è culina peniculum; eoque manus, & labra, ad horrorem stomachi excutiendum, contundendumque, abstergebat. Peregrinationem semel obiens cum Godoio Ioannes Sà, præclarus deinde Euangelij Præco, genarum alteram æstuantem in illo, & sanguine manantem aspexit, à crabronis nimirum aculeo cruentè Godoium fodientis: quem nisi Sà confestim abegisset, infestum illum diutiùs multò Godoius pertulisset. Vir enim pietatis studiosissimus modico illo cruciatu exercebat sese, vt totum deinde sanguinem, vitamque (quod præstitit) Auctoris Assertorisque sui causâ profunderet. Huic ipsius ardori flammâm cohortationes Baltasaris adijciebāt; quibus ille memorabiles sententias, diuque secum pensitatas, vi præcipua, interserebat, ijsque veluti columnis ipsius animi spirituale ædificium innitebatur. Eæ verò, quippe tantâ spiritûs vi depromptæ, Tyronum animis penitus infigebantur: ita planè, vt in maximos rerum vsus seruatas illas in omni vita, præsentesque semper haberent. In his erat illa, *Nemo degeneret ab excelsis cogitationibus filiorum Dei*. Qua illos ad perseuerantiam in diuino vocatu, atque ad iniecta ipsis à Deo sanctissima vota implenda strenuè hortabatur. Godoij menti tam altè sententia hæc hæsit, vt illi in rerum omnium arctissimâ longè opportuna ceciderit. Cum enim in Tyrocinio probaretur, alijs adiunxit se Socijs quadraginta, quos ad Brasilas in Euangelicam expeditionem ducebat cum Prouinciæ munere Ignatius Azebedus.

Atque, vt diuersæ in hisce destinationibus diuinæ prouidentiæ viæ palam fiant, eam ipsam, quam Deus cum Godoio in præsentia iniuit, edisseram. Hærebat hic aliquando Baltasaris lateri; ab eoque porrectum aliquid fuit ipsi, quod caperet. At Godoius moram, donec vultum omnem planè conuerteret, interiecit: fuitque id argumento Baltasari, eius oculi, qui fortè (vt ab euentu coniectari licet) sinister erat, aciem esse prorsus extinctam. Percontatus hominem, habere ita rem didicit: quam ille confessus est habitam à se occultè in examine ad Societatis ingressum, veritus ne id sibi impedimentum inferret. Perculit ea res altè Baltasarem, vt qui rebatur illum, Nouitium nēpe à Præpositis dimissum iri ob id vitij, & verò læuo in oculo, quem dicunt, Canonis, permagni momenti in ijs, qui sacris sunt initiandi. Rem disertè illum Baltasar edocuit; vnàque subiecit, si retinere complexum Societatis vellet, eam vnicè viam ipsi relinqui, si cum alijs quadraginta Brasilas peteret, dum ipsi in id animus præsens esset; si ita constitueret, de ipso acturum se cum Azebedo. At enim perquàm optatissimum

ſimum mihi eſt, Godoius ſtatim inquit, in opus adeò inclytum expediri. De ſingulari igitur Godoij virtute, quanquam id illi inerat vitij à natura, edocuit Baltaſar Ignatium; adiectumque forte, atque obiter eſt, ludere illum egregiè trigona teſtudine, quod cōmodo foret vſui ad immanitatem gentis barbaræ demulcendam. Audita probauit Ignatius, ſibique ſocium Godoium adſciuit, naturæ vitio in nomen verſo felicitatis æternæ. Numinis enim diuini conſilio, inter nauigandum, in Luthericorum hæreticorum manus delati, ab ijs, odio Romanæ fidei, ad vnum omnes multiplici mortis genere, per cruciatus immaniſſimos, trucidati ſunt. Meminit id Franciſcus Ribera in vita Franciſci Borgiæ Societatis IESV Præpoſiti Generalis Tertij, quem ea expeditio habuit auctorem. In media igitur efferatorum cæde carnificum, magno ſpiritûs æſtu Godoius Sodalibus ſuis animos auditis à ſuo Inſtitutore verbis addebat: *Euge, eia, fratres, nemo degeneret ab excelſis cogitationibus filiorum Dei.* Quo tantum illis virium adiecit, vt mortem inclytam fortiſſimè omnes oppetierint; cæleſtis honorem, gloriamque Parentis tanquam fideliſſima proles, ſuo ipſo interitu, aſſerentes; eique quadraginta holocauſta in odorem ſuauitatis, per totidem ſuorum corporum lanienam litantes. Quorum in partem Baltaſar etiam eâ venit ignis ſcintillâ, quam vni ex illis iniecit.

§. II.

De *Antonio Padillio*.

NOuitius alter, cuius intima familiaritate, conſuetudineque ſum vſus, Antonius Padillius fuit, Patre natus Ioanne Padillio, Caſtellanæ Prouinciæ cum imperio præfuturo, niſi mors anteuertiſſet; Matre verò Maria Acunnia Buendij Comite. Splendor vtrique ab auita gente clariſſimus; & amor in Societatem præcipuus: quo præſtabat etiam multò Maria, nulla non virtutum laude ſpectata. Vices ijs Deus & in hac mortalitate repoſuit, conceſſa prole, mare vno, geminaque fœmina, pietatis adeò ſtudioſis, tantâque diuinæ gratiæ largitate cum benedictionis dulcedine cumulatis, vt vix vnus ex ijs aliquis hæreditatem, ac iura primogenitorum adire voluerit. Omnes quippe in religioſæ vitæ portum velis votorum omnibus ferebantur. Filiarumque alteram Aloyſiam Padilliam, quæ in patria domo Genitrici addicta, voto ſe perpetuæ caſtitatis obſtrinxerat, adigere neceſſe fuit ad ſolu-

tionem ab eo nexu petendam, vt data nuptui, daret prolem posterosque familiæ. Atquî voto semper, ac vitâ religiosa cum primis fuit. Orbataque viro, ac rebus domi compositis in Parthenonem Discalceatarum Virginum sese coniecit: diemque nuper obijt Cœnobij Lermensis Antistita. Et nisi ab instituto descifcerem, præclara sanè de parentibus, filijsque commemoranda suppeterent. In rem igitur: Antonius Padillius destinatam Genitori Præfecturam ab eius obitu subiturus, paterni funeris memor, perputansque secum, quam minimum fiduciæ sit in hac vita tam dubia, quam diuturniorem sibi, quàm Genitori fuerat, polliceri certò non poterat; diuino actus impulsu ab humanis rebus seiungere se postremò, penitusque diuinis adiungere in religiosa vita constituit. Adamauitque cum maximè Societatem idcirco, quòd compertum ipsi erat de Sociorum spiritu, ardoreque virtutum. Id consilij ad aures perlatum est ipsius Patrui Petri Manriquij, in Æde Principe Toletana Canonici. Is verò litteras ad Antonium dedit: in quibus diligēter exposuit spē patriæ domus, cuius omnia essent penes ipsum iura, opum incrementa; & accessionem honorum, quàmque multa in retenta vitæ libertate præstiturus esset; aliaque in hanc sententiam plurima, quibus profani homines, profanoque amore propinquos amplexi, primas facilè deferunt: subiecitque, si vellet persuasum sibi eam mentem pueriliter susceptam ab ipso non esse, rationes ad se mitteret, huiusce noui consilij. Rationes Antonius, quibus ad suum ab humanis repetendum, dandumque Societati nomen adducebatur, benè prolixas, chartæ nimirum folijs octo integris sua manu exaratas misit. Tantum in ijs erat salis, & ponderis, vt Doctor Velazquius primarij eiusdem Templi Toletani Canonicus, cui delatæ deinde sunt Infulæ Compostellanæ, quicum litteras communicauit Manriquius, tanti viri ea super re sententiam exploraturus, inducere se animum non posse responderit, vt rationes illas nepotis esse crederet adolescentis: à quopiam magis ex Societate, aliaue religiosa familia, aut litteratissimo certè viro cōceptas fuisse scilicet, ac dictatas. Quòd si ipsæ ipsius erant, existimare se oppidò rem illic agi diuinitus: neque proinde fas ipsi esse vocantis Dei afflatui aduersari. Secundùm hæc rescripsit nepoti Manriquius, aitq; intellexisse se liquidò rationum illarum aliū quempiam auctorē esse, non ipsum: quas vbi tabellas perlegit Antonius, Patrum Dominicanorum Collegium à nomine D. Gregorij adiit, ibique Professores Theologiæ consuluit; Liceretne aliquid aliquando iureiurando confirmare? responsum est, vbi adiuncta congruant, id non licere modò, sed cum accessione gratiæ vsurpari. Quam sententiam postquam, rogatu suo,

papy-

papyro descriptam accepit, obitis ante piacularis confessionis, diuinæque Eucharistiæ Sacramentis, hæc illi verba subscripsit: Depositis modò apud Confessarium noxijs, sumptoque ab Sacerdote cælesti ferculo, testor Deum, eumque, quo refectus sum, Dominum, rationes à me tuæ Amplitudini missas, à nemine mihi dictatas esse; sed ex me ipso depromptas. Scripta hæc ad Patruū misit alteri inclusa epistolæ, in qua illum de hac ipsa schedula edocebat. Eam verò Manriquius ad Velazquium rursus detulit: At ille nec fidem negari tam sanctè affirmanti, neque susceptum ab nepote consilium auerti, aut impediri posse respondit. Patruus tamen rem omnem satius cogniturus, coram agere cum Padillio Toletum accito, suasque in ædes excepto voluit: dies deinde aliquot in eius cognoscendo, tentandoque instinctu illo contriuit; cumque deinde vsque adeò approbauit, vt ipsemet Manriquius, diu quippe multùmque magnis à Deo actus impulsibus, vt Religiosam in Societate vitam iniret, anceps interim semper, nec quicquam certò constituens, nepotis consilium intuitus, atque constantiam, in deliberationem denique venerit; diuinique vocem afflatûs respuere animo diutius nolle decreuerit: erubescens nempe, quòd spei tantæ adolescens præsentiore animo esset ad humana calcanda, quàm ipse in ætate tam graui. Rem adeò perduxit in exitum: interque præclara Padillii facinora numerari & hoc meritò potest, quòd iam tum alios ad Deum, suarum rationum vi; suoque exemplo traduceret. Ab hac sui Patrui approbatione cōtulit sese ad Emmanuelem Lopium eius Prouinciæ Præpositum, ac tum in Toletana domo degentem; ab eoque consciscі in Societatem efflagitauit. Sed proferente rem illo, complexus ipse quodam die columnam ad ostia nostrarum ædium stantem, inde se neutiquam abiturum esse etiam affirmauit: Cui Prouincialis, si ipsum, inquit, denique relaturus esset in Socios, in Castellanam Prouinciam, quod ita è re foret, à se dimissum iri. Visum est de re illico Generalem Borgiam edocere, in Aula tunc Regis cum Pij V. Legato Pontificio commorantem: à quo litteræ datæ sunt ad Hieronymum Ripaldam Domus Vallisoletanæ Præpositum, vt Padillium in Societatem admitteret. Sub hæc Antonius Vallisoletum venit, hæreditario antea iure ditionis suæ, auitorumque bonorum legitimè abdicato: ac cæteris, quibus ad hunc aditum sternenda via erat, omnibus expeditis, coram domesticis prouolutus in genua, Gratias, inquit, tibi ago Domine, immortales, quòd liberior mihi nunc est tibi obsequendi facultas. Genitrix deinde ipsius, & Auia Aloysia Padillia superstes adhuc, & Domina ditionis, ad Professorum Societatis Templum Antonium deduxere, ad-

adscriptusque ibi est Societati perhonorificè; cum incredibili omnium voluptate pariter & exemplo; anno post Christum natum 1572. ætatis suæ duodeuigesimo. Inde verò dimissum in Methymnensem domum Probationis, Baltasar omni studio strenuè cudere illum, ac sculpere, ob hominis tum naturæ prærogatiuas egregias, ac biennio post vota Professionis solemnia edituri; tum etiam quòd peridoneum illum, ac pronum maximè senserat ad efficiendos summos in virtute processus: quam certè spem voluntatis ardor in diuino vocatu tam æstuans meritò faciebat. Honores, & commoda, quibus nobilium adolescentium animi primò pulsantur, duo illa erant, in quibus Tyronem hunc suum studiosè cohibebat. Cibis illum iubebat vesci non communibus modò cum cęteris, sed & ijs quos præcipuo quodam odio respuebat. Si quo verò illum oblectari obsonio resciebat, vix libatum amoueri quandoque per administrum de mensa, cibos etiam ad ianuam sumere cum egenis, detritas, lacerasque vestes induere, & quibus maximè animi edomantur, cum cæteris illum Tyronibus exercitia obire despicata iubebat. Et verò vbique in omnia ille paratus, & alacer, à nemine vinci velle, studere potius omnibus anteire: quantòque natalium fulgore præcelleret, tantò seipsum magis in religiosa vita submittere. Cumque Nouitij per vltimum hebdomadæ diem in obsoleta lacerna, quasi de seruitio mediastinorum essent, obsonatorem ad macellum comitari consuescerent; scrutoque humeris iniecto, dorso carnes, & exta manibus conuectarent; eadem præstabat Antonius; hac sui nempe despicientia pompas in se inanissimas calcati mundi triumphans. Quem cum ego Vallisoleti famulorum turbâ stipatum in cœtu nobilium Virorum, ac Dynastarum conspexissem, Deo laudes cum ingenti admiratione persolui, vbi deinde accepi, tanta cum voluptate illum Methymnæ vias, & fora, ea onustum humili sarcina obsoniorum obire. In domesticorum consuetudine imbutus à Deo fuisse humilitatis Christianæ spiritu videbatur. Commendante enim sæpe Baltasare consuetam in Societate ęquabilitatem in omnes, cum in ea tamen tam multi sint sanguine, literis, cæterisque dotibus inæquales, ipse se vniuersis communi in vsu iuxta æquabat, ac si postremas omnium teneret. Hunc verò morem non Tyro dumtaxat, sed & Scholasticus, & Concionator, & Rector in omni vita custodijt.

Præstanti, acutoque ingenio præditus à Deo est: tantumque in studijs litterarum excelluit, vt complures annos in hoc, in quo hæc scribo, D. Ambrosij Collegio Theologiam cum summa nominis celebritate docuerit. Neque minus concionando præstitit,

quam

quàm docendo. Atque in his tamen tanta illi modestia, tam nulla honorum cupiditas, vt non persuaderet minùs exemplo quàm verbis. Dictumque audiui post habitam ab ipso concionem in Regio sacello ad Philippum Secundum, illo audito dixisse Optimatum aliquibus Regem; Perefficax concio est, virum hunc aspicere in suggestu. Mihi quidem huius Collegij regimen obtinenti ipsius in omnibus submissio, & obsequela singulari erat exemplo æquè, atque admirationi.

Hausit à Baltasare spiritum, amoremque precum, atque secessûs ad pias subinde spiritualium exercitiorum commentationes. Eò propterea Collegium Villagartiense petere in quo Tyrones instituuntur; diesque ibi octo, vel quindecim instar Nouitij cohortationibus interesse, aliaque munera pietatis obire. Et verò persæpe sub Christi Natalitia, per sanctiorem hebdomadam, diesque Domini rediuiui, & quibus cessatur à studijs, aut certè per vacationum saltem ferias solenniores, aut postquam longiore ab itinere reuertisset: hisce præsidiis illum in se suscitans calorem spiritûs, qui fortè ab studijs, ingruentibusque negotijs intepescit. Munere defunctus est Rectoris in hoc S. Ambrosij, & in Salmanticensi Collegio. Et verò tam integrè, custodiâque religiosæ disciplinæ tam vigili, vt perseuerans ideò, difficilisque apud suos audierit. At enim, quandoquidem à primi hominis corruptela insitum posteris est; vbi Reges, ac Principes, Iudices, Præsules, ac Præfecti subiectos sibi plusculum premunt, tribuere id vitio iniquioris animi impotentis, & asperi; non ardori, quo ij eorum, quibus præsunt, bono perquàm sollicitè student; visum ea propter est Padillio, ab suo prope obitu, in hoc ipso Collegio, palam suum apud omnes animum expurgare. Extremo enim Christi corporis viatico muniendus, circumfusis omnibus, qui diuinissimam Eucharistiam affectati fuerant, Scholasticis, Patribusq; coram eo, quem sumpturus erat, Domino affirmauit, nihil se per sui regiminis tempus vnquam egisse, quod in maiorem Dei gloriam vertere non intelligeret. Quo mihi persuasum altiùs idem illud est, quod animo mihi ante semper insederat. Et tamen mors erat illi formidini ab diuino Iudice rationes animi ipsius seuerissimè cogituro. Quem inter metum aiebat: si æquè, atque ipse in te fui, tu vicissim, Domine, futurus in me esses illiberalis, ac parcus, ingentibus sanè laborarem angustiis. Patrum aliquis expauescentem intuitus, quæsiuit ex eo, num lethalis fortè cuiuspiam culpæ intra religiosæ vitæ quadraginta annos admissæ conscientiâ vexaretur. Cui ille, IESV, inquit, bone, quid hoc monstri esset? Vir religiosus, & culpa lethalis? Hac super re nihil. Iacobo Sarmien-

miento Acunnio apud Regem Angliæ Legato nunc pro Rege Catholico, ægrotanti illum inuisenti, ac metus, quem præferebat, ex eo causam percontanti respondit: De sua se salute immortali metuere: At ille, Hoc verò; inquit, est, quod tibi metuendum sit, Pater? Ecquid, Padillius inquit, præter hoc metuam? Sed illi tamen benignè Deus & hunc metum excussit, & beatitatis æternæ spem certissimam dedit. Postquam enim diuinum vltimò panem sumpsit, vacare sibi remotis arbitris voluit: viribusque licet adeò profligatis à morbo, vt in suo se cubili mouere loco vix posset, medio tamen corpore tenus, atque à fulcro puluinarium procul erectus, duas ferè horas precibus dedit ante piã Christi è cruce pendentis imaginem: quocum tanto teneritatis, amorisque sensu collocutus est, vt Patrum aliquem per ostij rimulas obseruantem admiratione summa compleuerit. Ab hisce precibus horâ ante meridianã septimâ suo Confessario sic inquit: Proxima nocte in Cælum ad matutinas Deo canendas laudes accersar. Cui cum Confessarius tam breuem ipsi terminum minimè designari à Medico affirmaret, eadem iterauit. Secum deinde sensim immurmurans, hæc audiebatur effari: Quid mihi, Domine, timendum iam est, si, quòd mihi affirmasti, me tuo geris in corde? Illic si sum, quòlibet eamus, nil iam potest esse, quod timeam. Sub vesperæ crepusculum, petente ipso, sacro inunctus est oleo, omnesque pro eiusdẽ optatis, adfuere domestici. Cumq; effari voce clariore non posset, submissè Patri dixit opitulanti sibi, veniam suo nomine eflagitaret ab omnibus, ob plurima crimina, quibus in omni vita nequiora exempla præbuerat. Huic item ipsum roganti, vt sui memoriam retineret in Cælo, eius patriæ veluti iam securus, Etiam, inquit, ibi enim ingrati non sunt. Tum lentè occœpit dicere, *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus*. Atque hæc inter, aliaque eiusmodi verba spiritum Deo reddidit, vndecimâ noctis horâ, eo ipso die, quo se accersitum iri in Cælo ad matutinas laudes Deo canendas prædixerat: ingenti nobis relicta spe, fore, vt nocte reliqua stolam suam ad purum ablueret, vt eas nitido cum fulgore concineret, eâ gloriæ palmâ donandus, & laureâ, quam sibi tam multis in vtraque vita & profana spretis, atque abdicatis, & religiosa gestis ac toleratis, Christi obsequelæ, honorisque causâ, commeruit.

CAPVT

CAPVT VIGESIMVMPRIMVM.

Ratio, qua se ad pias cohortationes Baltasar præparabat: studiumque ipsius, vt ex ijs Tyrones notitiam, æstimationem, amoremque summum Instituti nostri conciperent.

QVanquam de singulari Baltasaris vi in cohortandis piè Nouitijs expositum iam est, tanti tamen erit de præparationis in hoc ipsum forma, deque ijs dicere, de quibus sermonem fermè miscebat; vt virtutem illos religiosæ vitæ absolutissimam edoceret. Præparatio quidem non tam multo studio, quàm longa precatione constabat. Has enim allocutiones habendas esse rebatur, effata potiùs necessaria, cū vi, ac spiritu pēsitando, quàm acuta curiosaq; quibus minimè afficiuntur animi, proferendo. Duas igitur, tresue dumtaxat sententias statuebat, de quibus commentabatur in precibus: eaque pensitando, ac ruminando, diuinorum codicum, Sanctorumque Patrum oraculis, quæ Deus illi tunc ex plurimis ante perlectis reuocabat in mentem, fulciebat: atque ea præcipuâ Dei ope, præsentiùs tunc animo complectebatur. Confessus id ipse est in suo quodam indiculo collatorum in se munerum diuinorum. Ad ea verò quæ ipsius erant muneris, hæc inquit. Experimentum cepi intelligentiæ, rerum elocutionis modique dicendi: Deo mihi pro loco, ac tempore aptissima suggerente, quæ mihi nunquam aliàs obuenissent in mentem: seruato tamen prouidentiæ diuinæ consilio, vt aliquid studij in id etiam ipse conferrem; non tamen immodicè: id enim magis oberat. Hoc inde colligo quòd ea mihi, nisi quo tempore sunt adhibenda, non suppetunt, & quòd ab experientia perfrequenti, fiduciæ in hac re mihi multum accessit. Hinc illud erat, quod equidem aduerti creberrimè, cum in piis collationibus, quibus responsa dabat ex tempore, maiori spiritu, ac vi, quàm in quibusdam cohortationibus effari. Nobis enim ea super re, quæ nobis occurrerent, respondentibus, cum Deo interim ipse de responsis, quæ redderet, consultabat; eaque illius menti Deus afflabat. Quamobrem ex Sociis nonnemini, qui hoc ipsum aduerterat, rei causam ex Baltasare quærenti; Causa, inquit, ea opinor erit, quod in cohortationibus loquor ipse, at in collationibus Deus. Illud innuens, Collationibus, quæ studio minimè inniterentur, suo suppleatem numine Deum adesse: cohortationibus verò aliquid de

suo, studij nempe solertiam admisceri. Quamobrem hæ ad docendum sæpenumerò magis, quàm ad mouendum collimabant; re tamen ipsâ ità poscente.

§. I.

QVæ magis vt liqueant, intelligendum illud est, pias, quæ ad Tyrones habentur, cohortationes, collationesque triplicem in finem alterum alteri coniunctum referri. Primus est, omnia illos integrè edocere, quæ ad perfectionem attinent Euangelicam, quam pro Instituti sui ratione, atque vt ea continetur in legibus, profitentur. Hac enim via ingressuros, viam ipsam ignorare, culpa certè distringeret: eiusque rationem reddituris, rudes illius esse, probrosum id foret. Id enim & regula Iuris habet, *Turpe est Patritio, & nobili viro ius, in quo versatur, ignorare.* Verùm quia intelligentiam veritate, quam ipsa colat, & æstimet, imbuere, peruincereque non sufficit, Alter finis est, permouere voluntatem, eamque ad perfectionem, quam spectat, vi tanta pellicere, vt verè mutetur; constituatque certò, omnia quæ ipsi possint in id esse & impedimento, conuellere, & adiumento, conquirere. Hinc verò tertium in finem fiet gradus; præsidia nempe, ac modos exequendo, quibus perfectio re, actuque ipsò paretur. Triplicem hunc in finem suas cohortationes referebat coniunctè Baltasar: etsi primum quandoque magis, minus alterum; secus verò aliàs, alterum premebat magis, tertiumque quàm primum. Atque in hunc modum Tyrones suos studiosè iuuabat: duo nobis, hac super re plurimi sanè momenti perquàm enixè commendans; Alterum, vt Instituti nostri callem ingredi studeremus, *spiritu, corde, & practicè*: *Spiritu* quidem illud maximi facientes, tanquam rem à Deo traditam, opusque diuinum: *Corde*, summoperè idem amantes, veluti bonum, in quo nostra tanta res agitur: *Practicè*, vitæ nostræ rationem ad eius exemplum in rebus vniuersim omnibus exigere connitentes. Alterum, vt in eadem Instituti nostri via hoc vbique propositum nostræ mentis oculis haberemus, tribus ijs, quos nobis Superiores agnoscimus, semper esse subiectos, Deo, Præposito, & Rationi: quanquam posteriores hi duo referuntur ad primum, ad Deum nempe, cuius consiliis nutibusque acquiescere nos oportet in humanis omnibus, politicis, ac diuinis. Eam in rem dictum pensitabat, quod à Ioanne Ximenio, de quo deinde prolixiùs, Laico Societatis audierat; qui rudiusculè, vt erat, de tribus hisce imperantibus sic dicebat, Deus in Cęlo, Capitulum.

lum in Templo, Ratio domi: atque hæc tria vnum sunt: Deus enim is est, qui per se, perque alios moderatur.

Eam igitur ob rem ab Societatis Regulis ingenti spiritu explanatis suarum cohortationum argumentum sumere consueuit. Ex ijs libabo tantùm hîc paucula, quæ ab ipso per tertium annum probationis accepi. Quanquam verò ille cohortationes in aduersaria referri suis à Tyronibus non probabat, eò, quia id ansam rebatur præbere, minus illas cordibus infigendi; quas nempe consignare paginis duceretur satis; ipse tamen citra, vt mihi videbatur, contumaciam, memoriæ causâ, eorum summam in autographo conscribebam. Eo itaque anno, vt Instituti sui rationem plurimi ducerent, amarentque Nouitij, à præstantissimis eius notis aggressus est dicere, quas ipse prærogatiuas, siue excellentias nuncupabat. Cuiuis enim Religioso Ordini propria quædam sunt, quibus ab alijs distat, & in alijs præstat. Notas has quatuordecim in Societate percensuit, quas & perdiligenter explicuit; eæque & viguere tunc maximè, & nullâ, quantum in ipso fuit, ex parte defloruere. E re visum mihi est eas hoc loco proferre, quendam velut indiculum ipsius virtutum, eadem nimirum suadentis alijs, quæ ipse præstaret. Quanquam verò pro sua imbecillitate nonnulli ad indicatum, indictumque legibus perfectionis apicem minimè enituntur, quod idem & in Euangelica ipsa lege contingit; ipsarum tamen prærogatiua nihil inde fit decolor; neque porrò eadem in compluribus non effulget.

§. II.

PRærogatiua *Prima est*, Animi ab Rebus, Locis, atque Personis auulsio. Ab rebus, in vestitu, cubiculo, ac supellectile; sic vt cuique necessaria modò sint satis; nihil apud quemque sit clausum, aut suum. Ab locis, nec alia, nec meliora loca spectando; aditu ambitioni præcluso. A' personis, Priuatas necessitudines, pacis in Republica perturbatrices abstinendo. Quisquis verò suum ab his animum expedierit, is verè pauper erit spiritu, plurimaque pace fruetur. Hinc *Altera* prærogatiua consequitur, Mutua inter sese coniunctio; amore planè germano, discrepent licèt adeò gente, gradu, litteris, bonis animi, dotibusque: seruatâ in his omnibus, quò ad eius in hoc discrimine fieri potest, æqualitate. Vix enim priuilegio vllo, siue immunitate nostro in Ordine quisquam ornatur, vno muneris, doctrinæ, aut dignitatis nomine; sed necessitate dumtaxat, aut cuiuspiam inualetudine postulante. *Tertia*, Virtutis est æstimatio: sic, vt ea vbi absit, quodcunque naturæ decus,

egregium licet, ac summum, nullo sit loco: res nimirum diuinas omnes, Dei, quanti apud Deum sunt, non hominum modò iudicio æstimando. Perpendebat itaque accuratè Baltasar, quantum ha-
2.Cor.5.14 beret momenti scitum illud Apostolicum custodire: *Christus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt; vt qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est. Itaque nos ex hoc neminem nouimus secundum carnem. Quarta* est: Præcipuum Obedientię votum summo Christi Vicario in rebus sanè perarduis; quòcunque nos ille expedire voluerit; ad fideles, aut ethnicos; ad hæreticos, ac perduelles, per ipsa vitæ, mortisque discrimina. Hoc verò votum à diuini Numinis fuit afflatu, vtpote temporibus hisce maximè consentaneum. Tunc enim exorta Societas est, cum Lutherus ab Romanæ Ecclesiæ obsequela desciuerat. Quãobrem conducibile tunc erat, vt noster Ordo se illi totum addiceret, quò eam, quantum is poterat, pro virili fulciret. Rursum, vbi subiectus Præposito alacre, paratumque obsequendi studium profitetur, gaudet illi imperare, qui præest. *Quinta*, facultas est ab se præcidendi malè de virtute promeritos, ne in alios ipsorum corruptela pertineat: atque vt admissi vitam quietè traducant. Id verò, quod cæteros metu cohibet, corpori huic mystico salutem suam, perfectionemque conseruat. *Sexta*: Prudentia est in extimis corporis afflictationibus decernendis; ne ijs permodicè validi, aut inualidi vtantur immodicè. Quarum etsi minimè stata lex est; at viuâ tamen consulitur lege, Præposito, quid quisque valeat, & quo egeat, spectante; vsumque, vt fit, earum assiduum commendante: quare fræna in hoc hactenus adhibenda potiùs fuere, quàm stimuli: Sociorum enim salus nimio plus conterebatur: cum primis verô, quòd exquisitissimus omnium cruciatus, propriæ voluntatis occidione, semper floret. *Septima*: Quotidianus in triclinio, ob leuissima nomina, variarum, molestarumque pœnarum vsus; suas palam confiteri culpas, & vitia; aliosque ea sibi coram exponentes audire: res sanè perardua; sed quam, cum diuinæ gratiæ ope, effecit iam consuetudo procliuem. *Octaua*: Conscientiæ perspicuitas erga Præpositos, Præfectosque animorum, vt nos ducant, & doceant; neque nostro iudicio nos ipsi regamus, vel in ijs certè, quæ boni speciem, pietatemque præseferunt; nec ea, quæ praua sint, patefacere pudori ducamus, quò ad ea peruincenda, opportuna nobis auxilia coniungamus. *Nona*: A propinquis auulsio, sic vt in patriam mitti nonnulli in pœnis annumerent. Quamuis enim vbi spiritus intepuerit, amor sanguinis recalescit, huic tamen Societatis nostræ ratio sic obiuit, vt omnem eius cupiditatem planè conuellat. *Decima*: Suffragiorum, creationumque vacuitas

cuitas in Magiſtratibus, muneribuſque Societatis: honorum tum intra, tum extra noſtrum Ordinem ambitio interdicta; quò noſtrę vitæ ratio ſubmiſſior ſit, atque tranquillior; ſimultatum, atque ſuperbiæ radicibus extirpatis; vt in virtutum proceſſum noſtrum omne ſtudium conferamus. In honoribus verò Eccleſiaſticis id cauetur impenſiùs; quos admittere ſine Pontificis Summi imperato non poſſumus: idque, tum vt altiores in nobis radices agat humilitas; tum ne à nobis, qui ſunt inter nos optimi, & quorum adeò iuuari doctrinâ, & exemplo poſſumus, diſiungantur. *Vndecima*: Societatis in Tyronum inſtitutione libertas; eos peregrinatum, aut ad pias expeditiones alias dimittentis; factâ, experimenti ergo, poteſtate agendi cum proximis. Vocatos enim à Deo nequaquam exiſtimat parietibus cuſtodiri. Idcircò Apoſtolis Chriſtus ait, *Vultis & vos abire?* Quòd ſi à Deo vocati non fuerint, abeant, licet, antequàm diutiùs inter nos viuant; atque vt cum minori detrimento diſcedant. Libertas hæc tamen non ſua caret Prępoſitorum, aliorumque animaduerſorum perquàm ſolerti cuſtodia; præter intimas alias inſpectionis animi, atque precationis excubias. *Duodecima*: Vocationis noſtræ finis excelſus; locuſque, & fama, quæ vbique terrarum apud omne genus hominum Societas noſtra in præſentia obtinet: quæ omnium poſtrema cum ſit, non tamen in poſtremis habetur. Pręſidia in id item aptiſſima: quibus tamen conſtet vitæ integritas, confugiumque ad Deum per ſacra, preceſque; vt nos cum tot hominum claſſibus piam, ſanctamque agendi rationem edoceat. Fouet enim Societas Optimates, atque eruditos litteris; populares, ac pios, illos Sacramentorum, hos precationis vſu: difficiles, moroſoſque, filiorum caſtâ, doctâque inſtitutione; ipſos denique pueros, cum ijs repueraſcens quodammodo, catecheſi. *Tertiadecima*: Obedientia, quatuor his adiunctis in Societate munita: vt nempe obtemperetur in rebus licitis omnibus vniuersè, leuibus, arduiſque, ſpectabilibus, atque deſpectis. Præpoſitis omnibus, ſuperioribus, inferioribuſque; dotibus inſtructis, aut caſſis; omnimodè, cum voluntatis affectu, iudicijque conſenſu: opere ipſo, perintegrè, quò ad rem item, ac modum, rationemque illius peragendæ, ſuauiter licet imperetur, aut aſperè: ac denique vt omnes, excepto nemine, pareant, nulla immunitate ab ſanguine, ingenio, litteris, & cæteris prærogatiuis quibus qui ſubiecti sũt ampliter, neutiquam qui Præpoſiti, decorentur. *Quartadecima*: Simultates; quas pleriq; mortalium in Societatem ſuſcepere, atque ſuſcipiunt, impugnando, inſectandoque: fructuoſæ illæ quidem, quippe quę humilitatem adſeruant, confugiumque ad Deum, fiduciamque in

eius

eius prouidentia, ex qua profectum, perfectumque est, vt illi propagandæ, augendæque, quemadmodum & surgenti Ecclesiæ aduersa ipsa profuerint. Metuenda magis est arcana insectatio, & laruata, per oblatos honores, & commoda; plena sanè periculi, si animus sese illi permittat. Atque hæ quatuordecim prærogatiuæ sunt, de quibus singulatim enucleatis Baltasar ab ineunte hoc anno disseruit. Quanquam verò ornamenta ijs aspersit à diuinorum oraculorum, Sanctorumque Patrum sententijs, primæ tamen spiritui, ardori, diuinęque ipsius vi in harum explicatione tribuebantur: quo nobis ad non desciscendum ab Instituti nostri præstantia, atque ab ea, quam primęui Societatis nostræ Parentes sectati sunt, perfectione, animos adiungebat.

CAPVT VIGESIMVMSECVNDVM.

Alia complura cohortationum ipsius ad imbuendos integrè, perfectèque Nouitios argumenta.

INfantium similes cum sint in virtute Tyrones, quos proinde necesse sit in omnibus erudire, quæ ad Christianam, religiosamque vitam pertinent, ipsosque se tum intimè, quò Deus vnus introspicit, tum extimè, quò spectant & homines, formâ denuò meliore fingendos; ab ijs omnibus Baltasar cohortandi materiam
Coloss. 2. 28 capessebat; illud præstans Apostoli: *Docentes omnem hominem in omni sapientia, vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo IESV.* Quamobrem Tyrones, quicquid illis opus esset scitu, diligentissimè edocebat; atque in id tantum sapientiæ, doctrinæ, industriæque conferebat, quantum à Deo acciperet: quò interior iuxta, exteriorque homo nihil in ijs à perfectione discederet: Christi nimirum Seruatoris exemplo; de quo duodenni (ætas hæc res-
Luc. 2. 52. pondet aptè Tyronibus) illud habetur: *Et Iesus proficiebat sapientia, & gratia, apud Deum, & homines:* Non quòd interiorum illi fieret donorum accessio; sed quòd magis illa, magisque depromebat: vt suo doceret exemplo Nouitios, pro ętatis in ipsis accessu, debere etiam incrementa virtutum, diuinæ sapientiæ, gratiæ, eiusque donorum accedere: non coram Deo modò, clam, intus; sed & coram hominibus, palam, extimè: sic vt virtute, atque modestiâ omnibus sint exemplo.

§. I.

DOcebit id omne nos index, in quem res ipse digesserat, è quibus ad cohortandum desumeret argumenta: & verò ex his modò, modò ex illis, vt fastidio simul occurreret, simul vt varietati pro ratione personarum, ac temporum indulgeret. Quatuor supra quadraginta capita plurimi sanè momenti elenchus hic numerabat. Ea tamen breuiore numero comprehensa exequar hic haud frustra: Nomina enim quædam, ac documenta sunt rerum, quibus ad obtinendam integrè perfectionem egemus.

Primum caput erat; De ratione fructuosè orandi, consumendique vtiliter, quicquid est temporis succisiui: cum primis verò, de præsentia Dei. *Secundum*; De modo frugiferè absoluendi imperatum precum diuinarum pensum, quatuor communes Ecclesiæ, aliasque vocales preces; piosque libros cum spiritali quæstu legendi. *Tertium*; De duplici conscientiæ examine, generali altero totius diei, altero peculiari de vno singulatim vitio: de lapsibus in leuiores culpas perquàm studiosè vitandis: deque animo ob imbecillitatem minimè despondendo; cum eas tamen abstinere, atque conuellere pro virili cōnitimur: deque temperando angore, cùm in eas fortè prolabimur: in Deum erectâ, collocatâque fiduciâ, fore vt in ijs ipse remedio tandem occurrat. *Quartum*; De sacra Exhomologesi ritè, ac vtiliter obeunda: de cordis compunctione: de quacunque pœna, quò ad eius fieri poterit, minimè detrectanda, dum seueritas tamen modo non careat. De spiritu, pioque animi sensu extimis corporis afflictationibus adiungendo. *Quintum*; De præparatione ad diuinum Eucharistiæ conuiuium: deque eodem cęlesti cibo spiritaliter frequentando. *Sextum*; De suimet, ac prauarum naturæ cupiditatem, & affectionum mortificatione; deque sensuum solerti custodia. *Septimum*; De modo, quo se quisque gerat in reficiendo corpore in animo remittendo, & in agendo cum extrariis: atque vniuersim, qua ratione nos in miscendis colloquiis temperemus. *Octauum*; De submissione animi, suique cognitione. *Nonum*; De amore in Deum; de caritate in omnes: de mutua inter nos nostri tolerantia; de nihil temerè, iniuriéque de alijs suspicando. *Decimum*; De Paupertate, Castitate, & Obedientia: De Legum custodia, animique nullam in partem propensione: Vnde nam Dei assecla suorum operum primos ducat exorsus: ab intelligendo nimirum probè, atque ipso statim initio, quæ sit voluntas Dei. *Vndecimum*; De tribus intimis Christi Domini Socijs, Egestate, Dolore, Contem-

ptu

ptu. Ea materies aptè cadit in posteriores solemnis ieiunij dies. *Duodecimum*; De spirituali processu, eiusque efficiendi fiducia, non tam nostros in conatus, quàm in diuinæ gratiæ opem conferenda: quam sperare fas est, vbi pro nostris moderatè viribus cônixi fuerimus. *Tertiumdecimum*; De iustorum solatijs, & ærumnis: de tentationibus: de ratione iniurias temporum perferendi: de diuina in his omnibus, inque electis puniendis prouidentia. *Quartumdecimum*; De animi pace, & tranquillitate: deque multiplicibus eius adipiscendæ præsidijs. *Decimumquintum*; De seruorum Dei consuetudine perquàm vtili; deque vno ex ijs certo legendo, qui nos regat, habeaturque pro lege; cuius nos vel memoria sola côtineat: De eo, quantum in exemplo momenti sit, quantamque vim habeat. *Decimumsextum*; De octo Beatitatis nominibus: de partibus virtutis: de prudentia, & scientia Sanctorum.

Hæc summa rerum est, ex qua Baltasar suarum cohortationum argumenta legebat: quibus in perfectionem euasuri suam omnem nauent oportet operam, atque solertiam. In primis verò maiore vi de ijs omnibus, quæ ad suimet, suæque voluntatis, ac iudicij abnegationem attinent, accuratè ac singulatim agebat. Idque studij persuadere Nouitijs conabatur rationibus sanè mirandis, quas ipsis hîc ipsius verbis exponam. Fugiamus, inquit, artes cô-
„ fundere, alioquin in nulla præstabimus. Si Grammaticæ armis
„ suo quis tempore sese probè non instruat, semper inter littera-
„ rios lixas erit, & calones: & nisi per opportunum etiam tempus
„ animum erudiat cognitricibus disciplinis, rudem illum earum
„ semper habebit. Non secus, si quo tempore vitam è Tyronum
„ disciplina fingitis, exuendo, abnegandoque vos ipsos, ijsque
„ parandis omnibus non studueritis, vnde vester in virtutibus
„ quæstus possit existere, & ornatus, nunquam non eritis inter
„ triobolares, & vernas. Si enim cum expeditior vobis est animus,
„ perfectionisque cupidior, cum temporis opportunitas suppetit,
„ adsunt auxilia, & exempla multorum, diuitem vobis censum in
„ sanctimoniæ cultu non cogitis; vbi postea impedita, & multifa-
„ riam huc illuc vobis diuisa mens fuerit, tot cassa præsidijs, plu-
„ ribusque offensis obnoxia, quid tum fiet? erit id profectò, per-
„ fectionem per miracula quærere. Atque vti litterarum spiritus,
„ proba vita est, ita si hæc absit, colluuies influet vitiorum: ac
„ simulacro consimilis, vt vt oculos quispiam habeat, non videbit.
Matt. 16. 24. „ Ab suæ voluntatis funere vitam virtus orditur. *Qui vult venire*
„ *post me*, Christus ait, *abneget semetipsum*. Constituite hoc, fratres,
„ aut vos ad perfectionem conniti nolle fatemini; aut hinc, ex
Ps. 118. 11. „ vitæ Auctoris oraculo, capessenda sunt vobis initia. *Abscondite*

„ *nunc*

„ *nunc*, vt cecinit Psaltes, *eloquia eius in cordibus vestris, vt* postea „ *non peccetis ei*. Per hanc copiæ largitatem, sterilitatis, famisque „ temporibus consulamus. Si suos Ægyptij oculos coniecissent in „ Iosephum, mente præditum tam diuina, vt, quod ipsorum sa- „ pientissimi nequiuere, ratiocinando, somnia explicarit; eum- „ que fruges condentem sedulò aduertissent, quas interim ipsi „ profunderent, idem & ipsi, quod vir ille diuino afflatus numi- „ ne, vtique peregissent. Ita & vobis nunc commixti sunt viri, „ quorum pectora Dei spiritus imbuit; neque in congregando ces- „ sant, aut torpent; itote vos in eorum exempla: neque enim, „ quæ coëgistis hactenus, animi bona superfluunt. Quòd si illi „ tanto lumine à Deo collustrati omni in hoc studio collaborant, „ enimuerò, quid agendum sit, peruident. Nolite vos, vbi cur- „ runt alij, considere. Ne combustum male tempus in Probatio- „ ne putetis, quanquam à studendo vacatis; tempus enim malè „ non teritur, siue cum ponitur fundamentum domui editissimum „ in culmen ituræ; siue cum vectori èquo pabulum dat viator; siue „ cum calamum scriba concinnat. Studere, intelligere est, peni- „ tusque cognoscere: id verò fieri sine luce non potest, qua Deus „ largiùs eos donat, qui & se illi arctiore amoris nexu coniungũt, „ & cum illo ingrediuntur in fide; rebusque omnibus, suum cui- „ que tempus attribuunt: neque eas, ad sua perurgenda vota, ob- „ ruunt, aut confundunt. Nostra cum Deo tempora partiamur „ in omni vniuersè re tum priuata, tum publica; suamque nobis „ lucem diuina largitas impertietur. Scientiam nunc accurare „ mittamus, cum Deus vacare nos vult vnicè sanctitati; eamque „ nobis ipse cumulatiorem postmodum largietur.

Hæc viri huius sanctissimi erat oratio, qua Tyronibus, ijsque, qui, tempore studiorum exacto, tertio anno probantur, persuadebat vt vnam in virtutem studium tunc omne conferrent; ne horulâ quidem tam pretiosi temporis per incuriam, desidiamue contritâ.

§. II.

NEque tamen satis illi erat interiori homini nouam, melioremque formam inducere, arctèque, atque contentè illum habere: verùm exteriorem etiam alterum eâdem ratione Nouitios renouare docebat; religiosam ijs modestiam diligentissimè commendans, quam triplici præsertim nomine requiri aiebat in Sociis. Primò, quòd ex Instituto ipsorum esset consuetudo cum proximis: quamobrem bono sint ijs exemplo, benèque apud illos audiant:

oportet. Huic verò nomini magnum accedit ab oculorum totiusque corporis modestia, non putida, ac fucata, sed vera religiosaque suffragium. At enim quandoquidem qui nomen Societati dedimus, *Spectaculum*, vt inquit Apostolus, *facti sumus mundo, Angelis, & hominibus*; oportet, vt idem ait Apostolus, *Prouidere bona non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus*. Deinde, alij aliorum Ordinum Religiosi viri, habitu, cucullo & bonum produnt exemplum, & aliquam, si eueniat, immodestiam tegunt: at è Societate homines, qui exposito incedunt ore, nulloque vtuntur peculiari cucullo, vel habitu, horum loco modestiam necesse est induant; ex qua suum ijs accedat ornamentum ac decus. Quemadmodum Romanæ Matronæ facie cum ingrediantur inoperta, modestiâ magis egent, quàm gentium aliarum mulieres, quæ vultum obnubunt. Tertiò: quòd Societas precibus, internæque cum Deo consuetudini ex Instituto vacat; iuuatque in id maximè modestia, vt quæ sensus coërcet, per quos pietatis affectus effluit, & euanescit. Quamobrem ipsius modestiam perquàm religiosam esse fas est, atque ex restituta hominis interni forma, iugique Dei præsentis obtutu profecta: quod monuit Apostolus cum dixit, *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus, Dominus enim prope est.*

1.Cor.4.9. 2.Cor.8.21 Rom.12.1. Philipp.4.5.

Eam in rem indiculo ipse descripserat omnes ferè immodestiæ actus, quibus peccare religioso viro sit pronum; quos profani homines vitia vrbanitatis appellant. Nominatim verò lapsus immodestiæ percensuit omnes in vsu, motuque capitis, frontis, oculorum, aurium, nariumque, oris & linguæ, brachiorum & manuum, genuum atque pedum, cæterorumque membrorum, & in ipsa ratione vestium gerendarum. Ea item quæ aduersus modestiam committi possunt in Templo, in Odæo, in Triclinio, in ipso cubiculo, munijsque vniuersis, vt cum diuinis operamur, aut ijs intersumus; cum discedimus cubitum, surgimusque; cum, cibo corpus reficimus, animum colloquendo remittimus; & vbiuis denique aut cum socijs sumus, aut soli. Rursum, quæ ratione subiectis erga suum Præpositum immodestè sese habere contingat; aut Religiosis erga extrarios; seu cum vias obambulant, aut alter alterum comitatur: aut agendo cum proximis, modo ipso loquendi, ridendi, expuendi, tussiendi, manus ac membra mouendi: motibus hisce omnibus castigatis, curatoque, vt (quod suis in legibus Augustinus iubet) nihil in ijs sit, quod professionis nostræ grauitati, sanctitatique non congruat. Hunc ipse indicem euolui, in quo immodestiæ actus, vitiaque vrbanitatis, quibus religiosus vir esse possit obnoxius, plusquàm ducenta recensentur. Ea porrò tam multa cum sint, pleraque etiam leuiuscula, domesticaque,

non

non proferam. Id verò eâ gratiâ hîc memini, vt studium ipsius solers, atque exquisitum appareat in erudiendis, formandisque Tyronibus, in reculis etiam vel tenuissimis. Inde porrò tantus in ijs fulgor modestiæ emicabat, vt extrarios admiratione defigerēt: qui temperare sibi non poterant, quò minus palam, & nostris in oculis (quod ipsemet audiui Tyro non semel) suum animum profiterentur; laudesque Deo persoluerent, eius modestiæ nomine, quo suos ipse asseclas decorabat.

Denique cum viuentium Præceptorum, qui suis cohortationibus animos cupiditate perfectionis inflamment, præsens, parataque semper copia esse non possit, piorum librorum lectionem, pro stata Societatis lege, Tyronibus suis etiam commendabat. Ijs enim, vt vt mortuis ex sese Magistris, at ille tamen Magister vitam impertit, qui naturâ suâ vita est; corda, animosque per eos alloquens, ac docens. Aureum in primis libellū probabat ijs Thomæ de Kempis, cui à Contemptu mundi vulgò nomen est inditum. Cuius sententijs cohortationes suas ideò aspergebat, quòd eæ nimirum altè in animos descenderent; quas ibi Deus cupidè legentibus peramanter infigit. Quin Aragoniæ Prouinciam cum Visitator lustrauit, libelli huius notionem in eam intulit, vsumque disseminauit. Cuius vtilitatem experimento illi senserc; ea inde, vbi vbi ad legendum codicem aperirent, singuli depromentes, quæ suorum animorum quæsito in præsens bono congruerent.

CAPVT VIGESIMVMTERTIVM.

In Methymnensi, alijsque Collegijs Rectoris munus præclarè gerit; eiusque ad gubernandum dotes.

QVanquam Baltasar Abulense Collegium Ministri, seu Protectoris nomine annis aliquot gubernauit, Methymnæ tamen primò, atque in alijs deinde Collegijs agere suo nomine Rectorem occœpit: dotesque ad regendum aptissimas vbique, ac semper exhibuit. Quo vt munere tutissimò fungeretur, fundamenta scilicet in altissima sui submissione locauit. Cuius ergo id muneris obire, principio quidem magnoperè formidabat; gnarus nempe ab diuino Iudice, de ijs, qui præsunt, reguntque perseuerè cognitum iri: eòque etiam quòd munus Præpositorum perquàm attentè perpenderat: quare oportere dicebat, maximè illos, quod

corporis erat, à delicijs abhorrere, ſeque in omnibus duriter ſupra omnes accipere: quod vero animi, ſollicitos eſſe, anxios, curiſque omnium planè confectos. Rurſum quod attinet ad ſubiectos, ſi ſuo, ceu decet, munere Præpoſiti defunguntur, perferāt neceſſe eſt querelas, alienationeſque multorum; quod verò ſpectat ad Deum, referendæ in ipſos ſunt ſuorum culpæ omnes, ac vitia; deſidia, languor in virtute, & quicquid denique peccatur in Ordine: ita planè vt non quid modò malè ibi ſit geſtum, ſed quid non profectum, perfectumque, ad ipſorum nomina, rationeſque pertineat. Hæc ſecum ille ſic perputans, cupidus vti erat maximè, ſtudioſuſque perfectionis, nec minus alios cupiebat eſſe perfectos, ſui regiminis initia ſeueritate conſperſit; atque ob ſuorum culpas maximè angebatur; quod ij quandoque ſolent, qui cum regimine nondum ſatis experientiæ coniunxere. Diuino poſtmodum lumine colluſtratus, ab ſua intolerantia, pectoriſque anguſtiis id eſſe cognouit, adeoque laxandum illud eſſe, atque aſſueſcendum ferre magis alios, ac miſerari, quàm iraſci; Dei, quó ad eius fieri poteſt, regimen imitando. In hanc rem dictum ſibi à viro ſanctiſſimo Martino Guttierio, cùm ſuam illi aliquando conſcientiam aperiret, notatu digniſſimum annotarat: ſub initia enim capeſſiti regiminis anxerant & illum errata ſuorum. Cum igitur apud Deum in precibus ſuam hanc aliquando animi moleſtiam quereretur, exhibitum illi eſt in argentea lance corculum perpuſillum, inque gemina gutta ſanguinis penè ſubmerſum, adiecta voce, Tuum cor hoc eſt, in aqua tantula naufragum. Tum illi cor alterum commonſtratum eſt peramplum, explicatumque, cum voce item aiente: Cor Dei hoc eſt, quod à tot mortalium ſuperſtitionibus, hæreſibus, flagitijſque non angitur: ſed longâ diu tolerātiâ expectat, dum vberes fructus opportunè legat ex ijs, qui ſceleribus inquinantur in præſens. Et tu cor tuum huius habeto conſimile. Ab hoc viſo immutauit ille animum, explicuitque ab anguſtijs: eumque præterea ſolatio ingenti perfudit, affirmans illi, eos, quibus tunc ipſe præeſſet, omnes certò eſſe ad immortalem gloriam deſtinatos. Ex hoc familiaris ſui optimi exemplo animum ſumere didicit ampliorem: precantemque Deus conſimili illum ſolatio impertiuit; (quod & ipſe confeſſus eſt, & nos ex commentariolo ſuperiore docuimus) illum nempe in regimine alleuans, depulſis animo curis, quæ ipſum conſtringerent, mergerentque. Excelſam etiam opinionem, ac ſenſum hoc de munere diuinum illi Numen iniecit, die Dominico, quo memoria Paſtoris boni, ouiumque recolitur, ſic. Grex hic eſt ſanè magnus, eiuſque magna felicitas. Probę à probo Paſtore ſunt oues. Præclarè

claré adeò cum ijs agitur, vbi à tali custode reguntur. Dei certè populus quandiu bonos Principes, Reges, sacrosque Vates obtinuit, & ipse coluit probitatem. Onus in sese Pastores grande recipiunt: scopus enim sunt, in què suos oculos oues intendunt: seq; in illorum mores, veluti Iacobi oues in colores virgarum induunt. Hoc Baltasar spiritu studebat sese suo gregi exemplar perfectionis effingere: suique muneris partes, legesque tam accuratè, ac diligenter impleuit, vt affirmari de ipso constanter possit, Præpositum eum fuisse, qualem sanctissimus Parens Ignatius suis in Constitutionibus perquàm absolutè descripsit. Quod etsi ex hisce iam dictis, de ipsius ratione regendi Nouitios intelligi satis queat, alia nunc tamen super adijciam, quæ ad omnes vniuersè gubernandos attinent: è quibus non Religiosi modò Præpositi, sed & Christiani Optimates, Patresque familias rationem edoceri possunt, quâ suis domibus rectè præsint.

§. I.

PRimò Collegium omne, tum in diuinis, tum in humanis rebus, precibus sustinebat: omnia, quæ & quanti erant singulatim æstimans, virtutem, religionem, ac sanctimoniam cæteris omnibus præhabebat: subiectosque sibi pietate præstantes multò pluris, quàm eruditos ac nobiles, naturæque dotibus luculenter, parciùs verò virtutis bonis instructos, habebat. Vbi verò in illiteratum quidem, sed virtutibus perornatum incideret, diu illi, noctuque vacabat; quò iuuaret illum, proueheretque, vti postmodum apparebit. Hinc illud erat, vt spiritalis boni tantillum pluris duceret, quàm humanum, ac temporarium omne, licet amplissimum: neque committebat, vt eâ gratiâ, parandi nimirum humana, adimeret sibi quispiam spiritualia bona, vel demeret. Collegium aliquando cum regeret egentissimum, Administro illic sollicito vtebatur; isque ipsum adibat, ea indicans, quæ desiderabantur; & quibus confestim paratis opus esset. Cui vir sanctissimus, Quibus, inquit, curis Minister accedit huc anxius? numne cum Deo rem contulit? At ille: Per tempus adhuc orare non licuit. Tum pertranquillè hominem dimisit, aitque: Auspicandum hinc primò est; redi ad cubiculum, precibus ibi vaca, atque huc deinde reuertere. An Domino carere putas hunc gregem? Dominum sanè habet, cui non tam paruo stetit, vt perire ipsum sinat. Abi faustè; atque id tua ab industria minimè pendere fac credas. Imperata facturus Administer abibat: reuertensque deinde, prouisum iam persæpè necessitatibus, & quidem miris planè modis,

agnoſcebat: id nempe Rectoris, vt ſextodecimo capite dictum eſt, fidelitate, atque fiducia commerente.

Fiebat hinc etiam, vt, quemadmodum plurimum intereſſe cognorat, ſubiectis ſibi Præpoſitum humana largiter impertiri, quò liberiùs illi queant vacare diuinis, ità quæ ad cibatum, veſtiumque neceſſaria eſſent, liberaliter omnibus ſuppeditanda curaret. Eò in menſes ſingulos cubicula vnà cum Veſtiario inuiſebat, diſcẽs ab vnoquoque quarum rerum copia illi non eſſet, vt eæ opportunè ſcilicet pararentur. Eas verò excipi ſcripto iubebat. Deinde, quo pacto conſultum ijs eſſet, ſedulò cognoſcebat. In triclinio item cibatum ſodalibus omnibus commodum imperabat; ſuique magis incurios ipſe maximè accurabat. Miſerabatur plurimum, & refocillabat ægrotos; ne qua re fraudarētur, cauens: in quo ſi quid fortè peccaretur in id acriter animaduertebat. Eos viſebat ſæpiſſimè: grauiùs verò periclitantes à morbo per etiam noctem, poſtquam alii quieti ſe dederant, adibat.

In ijs, quæ pertinerent ad omnes, primus ipſe cæteros anteibat: in precatione, in examine, in adeunda menſa, in remiſſione animi terminanda; in purganda domo, cæteriſque eiuſmodi munijs, in quæ coëunt vniuerſi. Quoniam verò Societatis mos eſt, vnumquemque, vno in ſingulos menſes die, per redeuntes in orbem vices, colluere in culinâ lances, aut tergere; primo quolibet die menſis, ordine licet nondum aliorum euoluto, in integrum tamen eo ipſe miniſterio fungebatur: quo ſcilicet exemplo ad idem ſolerter obeundum cæteros incitabat. Plurimis efferebat laudibus bonum, quod ex communis vitæ ratione percipitur; affirmans, id Deo pergratum accidere; ab eoque, ſuæ largitatis theſauro beneuolentiſſimo, conſecrari. Pœnæ verò cuiuſpiam inſolitæ veniam ab ipſo petentibus, auctor erat, vt ſeſe communi cœtui ſine præcipua vlla immunitate, ac priuilegio aggregarent: ea verò omnia per virtutem, ſpiritumque gerere magis magiſque condiſcerent. Id verò ſibi ipſe præcipuè munus efflagitabat à Deo, vt gratiâ ab ipſo inſtrueretur, & viribus, quibus eadem poſſet præſtare, quæ omnes. Eumque voti compotem fecit Deus: etenim valetudinarius licet, diu mulabat ſe tamen, ne muneri omnium communi deeſſet: expertus nempe his ſua ope Deum adeſſe, darique incrementa ſpiritus, copiamque temporis ad pias exercitationes, ſuaque munia nauiter peragenda. Dictitabat verò præſtare multò, breuiorem cum tenuiori valetudine vitam exigere, communis formæ veſtigijs inhærendo, quàm diutius viuere, fortiùſque valere, ſingularibus indulgendo, è quibus in alios deriuatur offenſio, vel grauamen. Cumque Franciſcus Ribera, de quo dicturi deinde

ſumus, poteſtatem ſibi fieri ſemel ab eo petiiſſet vacandi tempore primæ menſæ Theſium aliquarum ſtudio, quæ ipſum ſcilicet perurgebant, reſpondit: è re magis eſt ingredi, & eſſe cum omnibus; idque in ſtudij maius compendium vertet. Paruit ille, rectèque cenſuiſſe Baltaſarem, ab ſucceſſu cognouit.

Eadem illi ſemper æquabilis animi temperies. Ad eum proinde affandum tempora non erant ſpectanda vel opportuna, vel mollia. Vultus extimus religioſa grauitate perplacidus: vnde omnium in illum, qualis filiorum, amor, ac reuerentia. Etſi verò ad exercendos ſibi ſubiectos vultum quandoque induebat aſperæ ſeueritatis, ſuam tamen ſerenitatem confeſtim illi reddebat. Atqui antiquum illi erat, palam, & coram exteris honorem ijs habere, cum dignitate verborum, & laude, parique omnibus, pro cuiuſque gradu, obſeruantia. Iam verò ſuorum etiam obſeruare ora: neque diù ingredi quempiam triſtem, conſtratumque ferre. In Dei quippe domo apud neminem aiebat fas eſſe mœſtitiam hoſpitari, ſed gaudium. Si quid verò modum exiret, diſſimulare id in lætitia citiùs, quàm in mœrore. Labentium ex imbecillitate, naturaque ferocium miſereri: quos vt corrigeret, permulcebat: quin eos ſuum in Collegium ſibi à Prouincialibus mitti ſubinde petere, quò ſua illos lenitate, ductuque refingeret: & verò eâ caritate ſcilicet, ac dexteritate victos aliquos immutauit: cuius ſanè verbis poterant cicurari vel feræ.

Quæ ſui muneris erant, omnia, etſi minima conſtantiſſimè cuſtodiebat: neque ad vltimum vſque diem, horamque à magiſtratu abeundi, gerere illum ſedulò negligebat. Id portò ex hac recula planum fiet, documento nempe, quid ille in grauioribus conſueſceret. Seruandæ Rectoris legi, qua is vacantes precibus viſitare quandoque iubetur, ſextum hebdomadæ conſtituerat diem; nullum vnquam eorum omiſit, occupatiſſimus licet, aut moleſtiùs ſuperiore nocte vexatus: ita planè, vt ſextâ ipsâ feriâ, qua Villagartiâ profectus eſt ad gerendam Prouinciam Toletanam, mox à precibus abiturus, cubicula omnium, vt conſueuerat, inſpexerit. Quiſquis enim rectè præeſt, muneris nomine mox deponendi, nulli ſe debet languori permittere; ſed eâ illud obire formâ, ſupremo die, quâ primo.

§. II.

QVæ omnia, multòque adhuc plura compertiora fient ex ſumma, in quam ea retulit, quæ magiſtratui rectè gerendo ſunt opus. Quæ quidem, omnium, qui Baltaſarem nouêre, iudicio,

eorum quæ ipse ageret, exemplar quoddam est; quippe qui se ipsum in ea magis effingit, quàm alios docet. Et verò sic ille. Præpositi munus est animis deseruire, quorum causâ mortem Christus oppetijt; ijsque, Seruatoris eiusdem gratiâ, tanquam Domino mancipium famulari. Id verò, quantulumcumque officij ijs impenderit, suæ adscribat felicitati, si illi aut neutiquam aduertant, aut minimè inter grata reponant; vt eò puriores Deo se sistant, quò minus ab alijs humanæ laudis, ac voluntatis acceperint. Primum igitur hoc ipse sibi persuadeat, Regimen sibi cõmitti, haud quaquam esse, creari Dominum; nec populum ipsi designari, quem iubeat: sed morum formatorem Principibus, Deique filijs famulum dari; quibus ipse dat operam, & quos ceruicibus suis imponit. Atqui eâ Christus præfuit ratione, qui dixit,
Matth 20. 28. *Non veni ministrari, sed ministrare*. Et Ecclesiasticus monet: *Rectorem te posuerunt, noli extolli, sed esto in illis, quasi vnus ex ipsis.*
Eccl.32. 1.

Deinde subiectos sibi eo loco habeat, vt ijs aperiendi sese accedat fiducia, & voluptas: exploratumque sit omnibus, nihil ab ipsis præstari sibi posse iucundius, quàm si ad sese confugiant; suæque mentis arcana, vt vt imbecilles sint, sibi præpandant: detrimenti certè nihil inde passuri. Neque enim par est, vt, ex quo cuiquam largiùs pandit, impenditque se Cælum, isque maiorem init gratiam apud Deum, hac ipsa apud Dei Administrum fraudetur. Sæpiùs argumentum hoc tractet, nempe vtilissimum: idque Confessarijs, atque Concionatoribus admodum, diligenterque commendent. Cateruæ enim animorum innumeræ perditum eunt eò, quia fiducia ijs non est arcani vlceris detegendi.

Tertiò: illud etiam ob oculos sibi proponat, (quò modestè, ac submissè se habeat) benè magistratum gerere, suosque habere morigeros, opus id non tam industriæ suæ fore, quàm Dei: res enim tanta, acclinare homines, soloque prorsus consternere, non
Ps. 143. 2. hominum est, sed eius, de quo cecinit Psaltes: *Et in ipso speraui,*
Ps. 17. 35. *qui subdit populum meum sub me*. Cedros excisuro ferreis opus est brachijs: atqui ea Deus robusta sic donat, *sicut arcum æreum*: quisquis igitur in frequentiorem actioremque consuetudinem Dei se dederit, is lignator erit, operariusque præstantior, sit licet elinguis, aut infans, neque de ipsius rationibus, ac vijs humanę mentes intelligant.

Quartò: Domesticorum voluntates magistratum ineundo confestim sibi deuinciat; significatione facta, sese ipsorum contubernio magnoperè oblectari: caueat tamen, ne peculiaris in quenquam beneuolentiæ compertus sit; qui domus vniuersæ sit scopulus. Aliquot etiam dies initio ab decretis edicendis abstineat,

ne amarorem ijs aspergat, forensis nimirum specie Quæsitoris, aut Iudicis aggredientis ab edictis. Superbè nunquam, ac tumidè, leniter potius ac demissè, ac veluti consultando præcipiat, Exempli causa, Vide sis, an rectè sic fiat. Hæc enim consultationis ratio ad perturbatos animos vincendos, permulcendosque plus valet.

Quintò: eos priuato alloquio frequenter excipiat, atq; in ipsorum cubiculis nonnunquam inuisat. Suum verò ipsius conclaue adeuntes affatum, impeditus licet, ingredi iubeat, quò videant copiam sibi tunc audiendi non esse: comi tamen verborum vrbanitate dimittat: alloquentibus verò, ne legendo, aut aliud quippiam agendo det aures: ne ij parui se fieri existiment. *ex D. Basilio.*

Sextò: Tricas alias, ac negotia abstineat, quæ impedimento esse queant muneri benè gerendo, accurandisque domesticis: cōferat tempus in regimen; ac studium in actum, opusque referat. In omnibus enim pijs exercitationibus atque præsidijs ad frugem suam item, atque Collegij id erit longè efficacissimum. Ea propter perplura ab se negotia extrariorum auertat: commodior enim, vtiliorque populo erit, si viros illi Religiosos, suisque numeris absolutos suppeditet, quàm si eius ipse res agat.

Septimò: in omni re alios anteeat, quò vim cum verbo ipse coniungat; subiecti verò vbi deficiunt, causari nil possint. Ita Euangelicum illud in se boni Pastoris effinget, *Cum proprias oues dimiserit, ante eas vadit.* Norit etiam meliorem suorum formam ex sua pendêre: quippe regularum, ac disciplinæ custodiam ex viua Præpositorum lege illi condiscunt: quòd si hi rebus alijs vacaturi ab ijs, quæ sui sunt muneris, eximunt se, ipsorum suadela vi caret: non enim ea præstant ipsi, quæ dicunt. *Io. 10. 3.*

Octauò: Quæcunque sibi à quopiam dicantur, ea boni consulito: beneuolentis animi indicio facto per vultum. Ita non rarò fiet, vt nonnullos demulceat, inque rebus plurimis habeat sibi præstò permultos; quo vel vno omnium sibi poterit animos demereri.

Nonò: Forti sit animo, ne omnibus insolescendi det ansam: viscera tamen caritatis exhibeat, quò suauitatem cum formidine coniungat: Dei nimirum exemplo, quem *Dulcem & rectum* Regius Vates appellat: etsi quandoque, ne communis pax in Republica perturbetur, satius est conniuere, vbi suis partibus quisquam deest; patienterque ferre, quem sustinet Deus; dum illum ipse amanter inuisat; detque illi profectus sui cognoscenda præsidia: nulli tamen parcat interim viæ, qua lucrari scilicet illum queat. *Ps. 24. 8.*

Decimò: Nullâ, iustissimâ licet ex causâ, quempiam vnquam

iratus obiurget: se prius ipse tranquillet; summùque deinde fratrem poterit demulcere: quem interea magis lucrabitur perferendo: ipsemet postmodum suam intelliget contumaciam, & damnabit; accidetque submissè prouolutus ad genua. Ratio verò abstinendi ab increpando, per iram, ea est; quòd præcepta Dei ad caritatem, cordisque munditiem omnia referuntur; quarum iactura tunc fit, cum rapi quis iræ impotentis æstu se sinit. In ipsis suorum erratis, ac vitijs plusculum indignari caueto; neque animum offensum, aut perturbatum expromito. Pauxillis in rebus perseuerus ne fuerit, quasi sit ipse persanctus: neque sæpius increpet; id enim asperat regimen, vsuque contemnitur, & vanescit.

Vndecimò: Cum, commota quisquam mente repugnat; sibi Præpositus temperet memor eum suum esse fratrem, Christi membrum, Deique imaginem: interea loci ab hoste hominum vaferrimo irritari; si minus illum ipse sustineat, eius animum fortasse dabit exitio, pro quo vitam Christus profudit. Benignitatem, atque misericordiam id temporis adhibeto, gnarus & ipsum se imbecillitati obnoxium esse naturæ lapsantis. Gratias verò diuino Numini agito, quòd hoc ipsi contulerit, vt possit ignoscere; cui ille maiora fortasse multò errata donabit. Quòd si suâ clementiâ moliturum se illi ruinam existimet, Apostoli effatum meminerit, Rom. 12. 21 *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum*.

Duodecimò: Circumspectione vti cum subiectis, modestâ tamen prodest, obest immodicâ: hæc enim eorum animos contrahit, & contristat: fiducia contra, eos sibi deuincit inprimis. Æstimari ab se illos, eorumque res probari sibi, loco, ac tempore, argumentis ostendat: suauiter inde magistratum geret.

His, alijsque compluribus documentis Præpositos instruebat, quæ ipse ex suæ experientiæ codice, atque ex ijs hauserat sensibus, quibus inter precandum imbutus à Deo fuerat, vt suis in regendo, quâ decet formâ, partibus fungeretur.

CAPVT VIGESIMVMQVARTVM.

Eius in promouendis humanioribus litteris, Iuuentute formanda, tradendaque catechesi, ardor, ac studium.

IN muneribus, quibus in hoc Methymnensi Collegio, alijsque permultis Societas nostra exercet sese, illud est, humanioribus litte-

litteris cupidam earum Iuuentutem in Republica erudire: id primò spectans vt, eâ cum litteraturâ, pueros atque adolescentes vnà ad pietatem informet; quò ab illa tenerâ tunc ætatula (quod ingenuos, perfectosque Christi asseclas decet) seriam seruire Deo seruitutem addiscant. Quanquam verò Baltasar, quæ suæ Rectoris erant partes, vt cætera etiam omnia Societatis munera, nauiter perfectèque obirentur, studiosissimè accurabat; nempe conciones habere, confessiones excipere, præstò esse proximè morituris, exercitiorum pias commentationes tradere, constrictos in carcere, ægrotos in Nosocomijs inuisere, &, quæ superiorum disciplinarum sunt, Philosophiam ac Theologiam docere, vbi harum facultatum Licea suo in Collegio habebantur (quemadmodum de actis ab ipso Salmanticæ, deinde demonstrabimus) munus tamen Iuuentutis humanioribus litteris imbuendæ curabat impensiùs; præ oculis quidem hominum haud sanè spectabile; at inclytum certè præ Dei, Ecclesiæque; atque vniuersæ Christianæ Reipublicæ eâ, quâ illud Societas obit formâ, maximè fructuosum.

§. I.

Ardoris huius ac studij argumenta triplici in re potissimum proferebat. In huius primò muneris æstimatione perplurima; quam & cæteris omnibus ingignere conabatur; vt cum voluptate illud obirent, obeuntesque iuuarent. Et si verò permultæ sunt in hanc rem prolatæ rationes ab ijs, qui tradũt hanc artem, ea duntaxat hic tamen exponam, quæ Baltasar ipse censebat, aiebatq; de re momenti certè perplurimi, pietatis nempe per ætatem teneram coniungendæ cum litteris: ad frugem sanè, bonumque tum puerorum ipsorum, tum parentum, vniuersæque Reipublicæ. Puerorum quidem interest; bonum enim ipsorum omne præsens, atque futurum hinc pendet; cum ea tunc ætas ceræ sit instar mollis, læuis tabulæ, mundæque papyri: quorum in animis inculcata facilè imprimuntur tum in litteris, cum in virtute: eaque etiam curâ deinde leuiore custodiunt. Carmen decantatum est Vatis, *Quo semel est imbuta recens, seruabit odorem Testa diù.* Et *Adolescens,* (diuini Spiritûs oraculum est) *iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Prou.20.6. Corporis etiam habitudine aptiore sunt ad eiusmodi studiorum labores, pœnasque, vbi peccent, eâ gratiâ luendas: suntque immoti soli consimiles, cum id primò proscinditur, primos fructus vberiores multò, & grandiores edentis; etsi verò deinde fit, vt curam quandoque virtutis abii-

 ciant,

tiant, rursum illi postmodum resipiscunt. Eorumque sæpe memoria, quæ castè per pueritiam gessêre, pudorem ijs excutit, mentemque bonam iniicit, vt probè per adultam ætatem viuant.

Parentum quoque interest, cum virtute filios educari, senectuti præsidium solatiumque futuros: quam in operam optandi ab ipsis erant, parandique Magistri. Turpe verò est, tantum ab ijs in eo studij collocari, vt gnatos lautè alant, ac vestiant, politicis moribus, atque humanioribus litteris imbuant, exaggeratis etiam opibus locupletent; adeò interim supinè consuli, vt ijdem Christianis virtutibus excolantur: ex quo & suorum filiorum interitus & senectutis ipsorum calamitas metui iure possit. Atqui nostrate circumfertur adagio, Panis in furnum cum inditur, ducitur, flectiturque; coctus vbi fuerit, non formatur. Et scitum Sapientis est: *Qui delicatè à pueritia nutrit filium suum, postea sentiet eum contumacem.* *Prou 29.21*

Hoc denique ad rationes Reip. pertinet: præditi enim virtutibus litterati viri Ciuitatum fermentum sunt, atque sal, quo illæ corruptelæ atque periculorũ immunes fiunt. *Vir pauper & sapiens*, Ecclesiastes docet, *liberabit vrbem per sapientiam suam* hostium obsidione cinctam. Eaque propter Ecclesiæ tum vniuersæ, tum peculiaris cuiusque bono Sacrosancta Synodus Tridentina præcepit (quod & alia præstitêre Concilia) vt in Episcopi ac Metropolitæ quacunque Sede Seminarium constituatur, in quo duodennes minimum pueri virtutem ac litteras doceantur, quos optimis Præceptoribus formandos tradant. Id etiam suarum Rerumpublicarum bono auctores fuere Plato, Aristoteles, aliique ex Ethnica superstitione Philosophi. Plutarchus verò egregium de puerorum educatione scripsit opusculum, vbi hæc habet: Quemadmodum ab ipso statim exortu, puerorum membra scitè formare, aptèque oportet, vt æquâ, rectâque proportione adolescant, ita etiam necesse est eorumdem regere mores ac fingere, vt in optimos ciues euadant.

Prou.29.12.

Less. 23: c. 18. Conc. Lateran. sub Leone X. sess. 9. de reform. Coloniense, Moguntinum, & alia.

Atque hæc summa rationum est, quibus Baltasar diligentissimè commendabat hoc munus, quod diuino spiritu afflatus Socijs filijs suis vehementer inculcauit Ignatius. Quod vt suauiùs gereretur, alterum ex ijs, quæ diximus adijciebat; his alijsque similibus harum rationibus animos Magistris addens, qui vel suã omnem operam huic muneri deuouerant, vel eo interea fungebantur; ipsorum commoda diligenter curans, ijsque honorem vbique, ac palam habens. Licet verò classium inferiorum Magistros Nouitij fortè agerent, quos proinde domi coërceret, ac frãgeret: ijs tamen in ipsorum classibus coram discipulis tribuebat hono-

honorem ; eorumque æstimationem , vt par est , ac reuerentiam ab alijs reposcebat : labore quippe funguntur cum minore hominum plausu , sed maiore cum fructu ; plures enim ipsi persæpe ad sequenda Christi vestigia , rectè docendo , quàm alij concionando traducunt . Ad hæc præcipua illis præcepta tradebat , vt fructuosè suum munus obirent : Societatis nostræ fine proposito , propinandi nempe Christianam virtutem cum lacte probæ doctinæ . Quamobrem discipulis præfici Magistros optabat , qui illos tam spectati instruant , quàm auditi : hoc est , non minus illos doceant exemplo vitæ , quàm litteris . Pueri enim cientur ad sequenda oculis potius data , quàm auribus . Quòd si aliud Præceptor ait , aliud agit ; benè illud, hoc malè, ij malè gesta magis , quàm benè dicta sequuntur . Huc illud Plinij spectat: *Filium tuum trade præceptori , à quo mores primùm , mox eloquentiam discat , quæ malè sine moribus discitur* . Deq; D. Malachia D.Bernardus refert , Puerum illum adduci nunquā potuisse, vt magistri cuiuspiam litterarium ludum ingrederetur,idcircò quia illum semel aspexerat cōmittentem aliquid indecorum . Eò etiam Baltasar Magistris commendabat impensè , vt morum leges , quæ dicuntur à Societate Scholasticis , diligentissimè ab ijs custodiendas curarent ; quæ ijs ferè consentiunt , quæ à Tridentino Concilio Seminarianis adolescentibus latę sunt . In id verò profuturum ipsis aiebat opusculum D.Bernardi euoluere , de ordine vitæ , seu de doctrina puerorum : siue alterum Gersonis , de trahendis pueris ad Christum . Ingens denique præmium ijs ostentabat , cuius à Deo obtinendi , laboris causâ tam boni , & in hac vita , & in immortali spes esset. Si enim temporaria infantium educatio grata illi accidit; affecitque prǫmijs *obstetrices Aegyptias* , quòd Hebręis infantibus pepercerant; eosque ab imperata à Pharaone cæde seruarant: quantò magis illorum studia munerabitur, qui Christianis pueris nauant operam ; eosque ad virtutem informant ; ab iisque interitum animi conantur auertere ; ad quem nempe designantur ab lanista tartareo?

Epist. ad Carellliam Hispullā.

*Exod.*1.20

Adstipulabor dictis , prolatâ hîc epistolâ ab ipso datâ ad Ioannem Bonifacium , qui huic muneri suam operam in Societate deuouerat ; in eoque quadraginta & amplius annos sese perseueranter exercuit: etsi illum Generalis Præpositus ad Theologiæ studia, quippe ijs peridoneum initio inuitarat . Oblatum id sibi tamen habuit quidem ille pergratum ; sed admittere recusauit : Qua super re hæc illi Baltasar. Sollicitum habebat me optio tibi, R.P. data ab nostro Generali Præposito : verùm solatio mihi fuit , quòd tuum retinere munus elegeris : in eo enim tutiùs , & tuæ

sa-

„ saluti consules, & multorum: quibus ipse magis eges, quàm
„ Theologiâ Societas: Ad quam si te cupiditas famæ clarioris im-
„ pulerit, memineris te bona iam frui; neque eam porrò ab reli-
„ giosis viris aucupandam esse, sed humilitati studendum. Vbi
„ verò illâ sit opus, ea tibi à Deo humiles attollente donabitur.
„ Atqui is in Societate tu semper habeberis, qui, quod à multis ex-
„ petitur, illud ipse permissum tibi respueris. Ad locum verò
„ quod attinet, Præposito indicare de illo, nil vetat; multò ta-
„ men maximè præstat, silere, æquabilique animo tandiu persta-
„ re, dum Angelum è Cælo Deus alleget, qui sui famuli migra-
„ tionem aliò imperet: modò tuâ vitâ vitam Christi Seruatoris
„ gaudeas approbare; qui quòquò Patris mitteretur imperio,
Matth.2. 13.20. „ parebat, dum ex eodem audiret ore, *Reuertere*, ex quo accepe-
„ rat, *Fuge*. Habeas id, oro, persuasum ab homine tui in Domino
„ amantissimo; quique, tui ergo boni, tuâ præsentiâ, eâque opi-
„ nione, atque ope, quæ à te in Collegium hoc Methymnense
„ manaret, fraudari se patitur. Hæc à Baltasare ideò dicta sunt,
quod Bonifacius Abulæ tunc docebat; expetebatque Methymnam
mitti, vt Baltasari ibi Præpositi regimine frueretur. At verò præ-
stans fide Consiliarius consulentis potius prospexit bono, quàm
suo: gaudens Socios omnes suis libenter munijs ibi loci defungi,
vbi eos Obedientia collocasset.

Verùm, vt ad rem redeam, non satis Baltasar habebat animos humanioris litteraturæ Magistris adiungere; sed & discipulos ipsos præcipuâ curâ fouebat: neq; curabat modò vt illi pijs cohortationibus, sextâ feriâ, ex legum præscripto ad pietatem excitarentur; sed & ipsemet illos subinde hortabatur, prout certè illorum animi capiebant; sed eodem tamen ardore, quos reliquos: vti persuasum haberent, ad obtinenda, quæ cuperent, non satis esse nauos Præceptores, eorumque solertiam, nisi curam & ipsi suam adijcerent: ad quam eos incitabat, hoc pacto: Si vos ij, quos decet esse, fueritis, formosa minus erunt in Cælo sidera, quàm vos humi: astrorum similes eritis meridie ipso fulgentium: quorum vnum si nunc in Cælo spectetur, mortales omnes admiratione suspendit. Ætas isthæc vestra tenera, amabilis, innocens, ac bonis affatim conferta, seminis instar est, quod arborum magnitudinem continet in sese, virtute. Proinde condiscite nunc ea, ex quibus ingens manabit in vos honor, lucrum, & quies. Conijcite oculos in pueros vetustæ legis, ac nouæ, qui viri deinde, sanctitate
Tob.1 4. præcipua effulsere. *Tobias cum esset iunior, nihil tamen puerile gessit in opere*. Adeòque, inter prementia vndique mala, Dei timorem, amoremque custodiit. Sanctissimi Nicolaus, & Thomas ab

ipsis

ipsis matrum vberibus ad aliquem aggressi sunt vsum pœnæ voluntariæ, ac virtutis: atque illum porrò eodem modo aggredi ab isthac vestra ætatula fas est. Timotheo Magister ipsius Paulus ait, ea viuito *grauitate, vt nemo adolescentiam tuam contemnat*, sed *fidem* serua, caritatemq; cum Deo; *castitatem* tecum atque munditiam: lenitatem, integritatemq; *in verbis, & conuersatione* cum proximis. Eos à vobis conuellite socios, à quibus irritatur ira, impatientia, turpitudo. Improborum consuetudines fugitote: bonorum morum tabem scilicet, ac venenum. 1. Tim. 4. 12.

His Baltasar consiliis discipulos excitabat: quos vt sibi ipsis attentiores, Deiparæque Virginis amantiores efficeret, Parthenicas Sodalitates, quæ tunc in hac Prouincia cœptæ sunt institui, fouit mirificè. Villagartię verò vbi iam litterarum studia efflorescebant, Sodalibus vnum ex nostri Templi sacellis attribuit, cuius in fronte illud ex Prouerbiis Salomonis inscripsit, *Multæ filiæ congregauerunt sibi diuitias, tu supergressa es vniuersas*. Et verò mirabar equidem tãtum studii ac pietatis hoc in opus ab illo impendi, cum grauissimis alioquin negotiis distringeretur. Prou. 31. 29

§. II.

ARdore eodem, & curâ in catechismi traditionem pueris, rudibusque promouendam incubuit. Quod munus tanti fecit sanctissimus vir Ignatius, vt, ne in obliuionem iret, aut contemptũ, eius mentionem inter solemnia Professionis vota vsurpari voluerit. Regimenque ineuntibus præcepit, vt primo illius anno, quadraginta dies catechesim tradant: quò & exemplo sint sibi subiectis, & opus hoc persanctum excitent, animentque. Totidem etiam dies, primo editæ Professionis anno, idem obiri munus à Professis iussit: vt, quæ polliciti sunt, iam tum inde præstare confestim incipiant. Atque id, eò, quia plurimum in Christianæ doctrinæ traditione momentum inest; cuius ergo sanctissima etiam Tridentina Synodus Episcopis seriò commendauit, vt suis in Parœciis, diebus omnibus Dominicis, festisque per annum, pueros fidei nostræ elementa docendos curent.

Hoc igitur studio Baltasar incensus, in eo plurimum muneres gloriabatur. Ipsemet Villagartiæ præsertim degens cum quartanis pueris, studiosisque Collegii prodibat ad vesperam, catechismum per vias emodulans, eorumq; agmen, & ordinem ducens. In foro deinde, siue pro Templi foribus perquàm scitè illos de Fidei mysteriis interrogabat: occasionemque captabat inde piæ cohortationis habendæ ad reliquum, qui sese adiunxerat, cœtum. Et

verò

verò illud ipse animaduerti, quoties obeunti munus hoc aderam, aliquid ab illo semper de diuino amore, atque virtutum perfectione interseri; eorum gratiâ, qui huic studio vacabant: quorum aliqui in concione semper intererant. Id ipsum in itinere peragebat, cum alicubi aliquandiu fortè subsisteret. Ab Aragoniæ Prouincia lustrata reuertens, perque natale solum, Cerverâ traiiciēs, per paucos, quibus ibi demoratus est, dies, vias, plateasque cum tintinnabulo concitum ad catechesim pueros circuibat. Res eo in oppido sanè noua: notis interea demirantibus, virum tantum munere tam submisso defungi: quod excelsum tamen ipse rebatur: adeòque suam in eo collocare operam minimè indecorum sibi ducebat: quo liberiùs maiorem in modum petebat ab alijs, vt idem quàm diligentissimè persequerentur, semel in hebdomada classes puerorum inuisens. At verò Villagartiæ, propinquos in pagos binos nos pedites idcircò mittere consuerat, vt veterani simul, atque tyrones exercitationis tam sanctæ amorem susciperent.

CAPVT VIGESIMVMQVINTVM.

Romam proficiscitur, Deique se fiducia munit. Diuinæ item prouidentiæ, Angelorumque custodiæ in Baltasarem argumenta.

METhymnensis Collegij gubernacula tenens anno ab ortu Christi 1571., Baltasar huius Prouinciæ Procurator Prouincialibus comitijs dictus est: quem Societas singulis trienniis morem tenet, vno ex eorum ordine nuncupato, qui solemnia quatuor vota professi sunt: in quem eæ coëant prærogatiuæ religionis, prudentiæ, experientiæq; ob quas illi Prouincia omnis sua possit negotia credere, quæ cum Generali Præposito coram gerat: decernatque num è re Societatis vniuersæ sit generalia comitia cogere. Cumque renunciatum iri se suspicatus esset Baltasar, aliquot diebus ante, pertimuit; tum quòd minus idoneum ipse se rebatur ad munus, quod virum posceret dotibus permagnis instructum; tum quòd verebatur, ne ab itinere effunderetur animus, calorque spiritus intepesceret. Quare sollicitus confugit ad Deū; seque illi totum permisit omnimodè, atque in hoc præsertim itinere. Id oneris finxerat ipse sibi ingentissimæ instar arboris, cui conuectandæ suos obtulit humeros; ne ramusculo quidem, aut

foliolo

foliolo detracto, vel detrectato. Tum verò (vti sua ipse in aduersaria retulit) suo illum Deus lumine collustrauit, quo offusas ante tenebras, metumque disiecit; eumque rerum, quas hic subijciam, veritatem edocuit.

„ Iubente Deo, ac ducente, quid tibi metuis à via, vel hosti- „ bus? ingentis beneficij loco habendum est, quod tuâ vti operâ „ velit Deus. Quid læuum accidit Moysi, quòd diuina imperata, „ quibus tantopere terrebatur, fecit? Detrectare verò, quid aliud „ est, nisi eam in ignauiam offendere, quam Deus in Moyse red- „ arguit? quid nisi diuinos iussus abnuere? quid, nisi illa, quam „ Ieremias prodidit, imbecillitas animi, cum dixit, *A, a, a, Domi-* „ *ne Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum*? Cui Deus; Ego te Ier. 1. 6. „ ad loquendum eligo, & loqui tu nescies? Quòd si Deus cuipiam „ à se aliquod in opus adhibito, vbi peritia desit, eam illi ipse „ largitur, is virtute si careat, non hanc illi sufficiet? Deprecanti „ munus Moysi Deus inquit: *Quis fecit os hominis? aut quis fabri-* Exod. 4. 11. „ *catus est mutum, aut surdum, videntem, aut cæcum? nonne ego?* Ma- „ gno fuit Moysi compendio, mandata sibi à Deo egisse: consue- „ tudinem inde consecutus est, coniunctionemque cum Deo ar- „ ctissimam, quâ benè, beatèque illi fuit in terris: multòque ipse „ fuit, quâm terrarum Reges, illustrior, sapientior, sanctiorque. „ Diuina legatio omnem illi Pharaonis, eiusque Optimatium „ gratiam conciliauit: comesque Deus in omni vbique peregri- „ natione salus illi fuit, atque securitas. Hic verò arcana mihi „ animo adiuncta vis est, summaque fiducia, eundem & mihi ad- „ fore, si profectionem illam, ex obedientia, cum amore suscipe- „ rem: eam verò sic iam tum inde suscepi; Deoque ac Deiparæ, „ Sanctissimisque Apostolis Petro, Paulo, & Iacobo ac D. Antoli- „ no illicò commendaui: spiritumque à Deo Societatis nostræ ef- „ flagitaui. Itionis auctor viam periculi dabit immunem. Iaco- „ bo, in medio itinere, incommodissimèque habenti sese Deus „ ostendit: reseratoque Cęlo suum illi studium, beneuolentiamq; „ recepit. Quique amore tanto complexus fuit euntem, redeunti „ cum comitum caterua scilicet, qui solus exierat, iterum se red- „ didit in aspectum Deus: eique nomen immutans, securitatem „ etiam à vi, quam metuebat, fratris impertiit. Quid detrimenti „ cepit Abraham, quòd obsecutus Deo de patria tellure migrauit? „ Quid Ioseph, quòd à fratribus venundatus, atque in Ægypto „ abiectus, obtritusque est? Verba hæc Baltasaris omnia sunt, diuino afflatu concepta, maiorem vt animum, plurimamque de Dei prouidentia fiduciam sumeret, si iter, ac munus ex obedientia capesseret. Quamobrem perquàm seriò dictitabat, nostrarum

necessitatum summum, compendiariumque remedium esse, Deum amore prosequi, eiusque obsequi voluntati: eoque tunc posse nos illi tutò committere. Iustos enim sic amat Deus, vt eorum, quibus egent, curâ anxiè illos occupari non sinat; mauult verò vt ea conijciatur in amorem, quo ipse illos accurat: id ijs verbis explicatè pollicitus, *Quærite primùm regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis*. Si copia vobis esset amici, qui, vestri causâ, sericis vestibus vestros famulos amiciret; eosque epulis perquàm lautis exciperet, animisne penderetis ancipites, an eâdem vos ratione accepturus ille esset egentes? Minimè verò: Atqui salutis humanæ Assertor hoc inquit, si *Pater vester cælestis lilia agri* pulchritudine tanta *vestit, vt nec Salomon in omni gloria sua coopertus sit, sicut vnũ ex istis*; si aues alit hominis obsequio destinatas, an idem præstiturus vobiscum sit, vbi eo sit opus, quisquam possit ambigere? Prô modicæ fidei homines! Egestas hæc animorum infidelium magis est, quàm Christianorum; *Scit enim Pater vester cælestis, quia his omnibus indigetis*.

Matth.6. 33.

Matth.6. 28.

Ibid.

Diuinæ huius prouidentiæ plura sumpserat experimenta Baltasar, ex quibus fiducia illi robustior. Quare in sermone de suo itinere sic habet; Sensimus Deum curam nostri minimè abiecisse; quotidianâ sui Numinis itineri nostro præsẽtiâ. Ingrediebamur enim, ductu veluti cælestis Accensi, nullâ quidem re ante prouisâ, nulloque rursus iustæ commoditatis, aut cibi defectu: etsi aliqua Christi crucis particulâ fraudati non sumus, in laboribus, diuersorijs, rerumque vsu perpaupere.

Hanc Dei tamen prouidentiam in omnibus tum corporis, cum animi rebus, hoc in Romano itinere expertus est maximè, Deo nempe, quæ pollicitus fuerat, persoluente. Iter enim per Gallias habentem, vbi tum hæresum gliscebat furor; ibique, quod postmodum demonstrabimus, tres deinde alij Prouinciæ huius Patres auctoritate grauissimi, ab hæreticis capti, acceptique fuerunt immaniter; ab hisce periculis omnibus Baltasarem Deus eripuit: diuinæque rei quotidie faciendæ, pro ipsius voto, copiam fecit. In rebus animi spiritualibus suum semper ordinem tenere nouit, & potuit; partemque diei plurimam, aut ipsum diem totum precibus in itinere extrahebat. Et verò Franciscus Vasquez in hac Prouincia ob religionem, prudentiam, egregiamque facultatem dicendi laudatissimus, comes Baltasari tunc additus, Bœticæ Prouinciæ Procurator, illum aduertit, quoties sermonem misceret, interiore cum animi secessu, Deique præsentis aspectu semper effari. Hoc idem Romæ retinuit: atque à visendis ibi curiosis, vetustisque monumentis abstinuit; tempore ab alijs in id colla-

to, ante Sanctorum, quos visebat, corpora, piâ, prolixâque precatione consumpto. Quo tanto sanctimoniæ exemplo honorem illi Deus, reuerentiamque conciliauit ab omnibus. Tyronum expetitus est ibi Rector, atque Magister: vt in Vrbe Orbis vniuersi principe, quod iure meritoque fieri putabatur, Nouitios is institueret, qui inter alios tunc omnes Tyronum in Societate Magistros facilè Princeps erat. Vir sanctissimus ab loco tam spectabili alienus, reuerenter excusauit suæ Prouinciæ detrimentum. Dimisit proinde illum Franciscus Borgia Societatis Præpositus Generalis, cuius de spiritu, ac sanctimonia longè, latèque peruagata fama est: quem adeò tanti fecit, vt de rebus cum eo egerit compluribus, quæ non modò bonum Societatis vniuersæ spectarent, verùm etiam de ijs, quæ sui erant animi, intimæ, ac diuinæ; cognoscendi cupidus, quantum luminis in ijs à Deo Baltasar hausisset.

At etiam in reditu tentauit hominem Iacobus Mironus Generalis eiusdem Borgiæ Assistens; qui Pij V. iussu cum Cardin: Alexandrino ipsius ex Sorore Pronepote ad grauissima Ecclesiæ negotia in Hispania proficiscebatur. Cumque Prouincias Hispaniæ omnes Alexandrinus lustrare per se ipse non posset, Mirono Lusitanam, quam ante Prouincialis rexerat, inspiciendam attribuit. Præesse hic Sociis tunc in Hispaniam redeuntibus iussus erat. In cæteris verò omnibus, spectatæ virtutis nomine, amore summo Baltasarem complexus est: ab eoque petiuit admodum, vt eam in Prouinciam socium sibi se vellet adiungere. Abnuit tamen ipse modestè: suumque Methymnensis quietis & otij, bonique odoris ab ardore ibi Nouitiorum afflati desiderium causatus est. Id porrò ad excitandum animum valere quàmplurimum: Tyronum verò Magistri munus aliorum omnium in Societate aptissimum esse ad sanctimoniam homini comparandam. Ab hoc responso Mironus, tentare illum, eiusq; virtutem educere in apertum voluit, aitque; aduerteret etiam; quisquis enim id temporis socium se ipsi adiungeret, eius rem agi momenti sanè perplurimi: ab eo nempe plures Prouincias cognitum iri, quarum Præpositus, ac Visitator in reditu deinde iuberetur à Borgiâ. Cui tunc subridens Baltasar, Mi Pater, inquit, scires ab spectatis hisce muniis quàm alieno sim animo: quantòque pluris habeam vitam omnem in angulo ad Tyrocinij odorem exigere; eorum illicio me sanè non scalperes. Acquieuit huic responso Mironus; &, quod ab illo expetebat, petere vltra tunc destitit.

Libet hic verò rem proferre, quæ mirifica sanè Baltasari euenit redeunti per Galliam; argumentum vtique, quo ad propul-

ſandas ab illo ærumnas, & pericula, ſuam Deus prouidentiam palam fecit. Pomeridiano itinere proficiſcentem cum Socijs ad vrbem quatuor leucis ab ea, in quam diuerterant, diſiunctam, admonuêre, caueret à capeſſendo mõtano calle, graſſatoribus nimirum infeſto; ingrederentur verò per campum aquis ibi ſtagnātibus paludoſum: iter illac tutum fore. Eò poſtquam loci venêre, intuleruntque ſeſe in aquas, vectores equi in vterum altè ſe mergere: ratique eum in modum confici tantum viæ non poſſe, aquâ præſertim initio tam altâ; lacunamque, ac cœnum, in quod ſe infoderent, veriti, quid conſilij caperent, addubitabant. Vox interim audita pueri euocantis ad ripam, aientiſque: diuerſos agi ipſos à via; ad ripam flecterent, callemque montem verſus arriperent. Penſitare tunc illi, an à Deo adeſſet hic monitor, eique parendum: an potius ad ipſos capiendos (vt erat) à graſſatoribus ſubmiſſus eſſet. Pergere proinde, diuino afflatu, decreuere. Sed ecce tibi nouus, & grauior ab lintre per lacum viſo metus; quo perplures rubricati remiges vehebantur aduerſi. Metuêre ſcilicet, ne facinoroſi ijdem homines eſſent, qui ab ſemita montana abſtinuiſſe ipſos intuiti, media in aqua tutiùs ad ſpoliandum obirent. Pulſus extemplo tamen hic metus; excendentibus ijs in ripam, ſuumque aliò iter conuertentibus. Metuendum id modò reſtabat, an ipſos fefelliſſet via; timorque proceſſu augebatur: quare mediâ ferè leucâ per aquam ingreſſi, progredi temerarium eſſe putarunt. Conſilium proinde retexendi itineris iniere. Interea verò loci fulgidum retrò equitem, eâdem, quā ipſi carpſerant, viâ aduentantem, perque aquas, vt ſolida tellure currentem aſpiciunt: iſque ipſos aſſecutus, ſalute plurima perhumaniter dicta, ſubſequi ſe ſecuros iubet, viæ callidum, ſoſpiteſque ducturum. Auſcultauere ſcilicet, ingreſſique fuere tam properè, vt ex ijs paludibus emerſi ante ſe ipſi eiecerint, quàm Sol ſe mergeret in Occaſum. Confeſtim verò à paludibus eques viam ipſis paſſuum quingentorum periculis atque erroris immunem, ad oppidum, in quod moliebantur, oſtendit: ac tum omnium & ex oculis, & in oculis euanuit, nequò, vt ipſi planè videre, aut prorſum inuectus, aut retrorſum; ad dexteram aut læuam ingreſſus. Eam porrò demiſſam à Deo ſibi opem in loco omnes intellexere, gratiaſque acturi ſubſiſtere tantiſper. Fuere, qui Mironi ſanctimoniæ ſingulari munus hoc collatum à Deo tribuerunt: auctorque ipſe potiſſimum erat pergendi per ſtagnum. Alii verò id Baltaſari, iugibuſque ipſius precibus referebant acceptum. Simile tamen veri eſt diuinam hanc opem vtrique fuiſſe impenſam; quorum vtpote tam iuſtorum precatio valebat abundè gratiâ apud Deum:

pre-

precibus tamen suffragantibus etiam cæterorum: è Christi enim oraculo, *Si duo vel tres consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in Cælis est.* Neutiquam verò dubitandum est, quin plurimum hic locum habuerint Baltasaris preces, eiusque in Dei prouidentiam fiducia; cuius id loci, vt aliàs etiam in re persimili, à visitata Aragoniæ Prouincia redeunte Baltasare, quod suo locò dicemus, adeò liquidum Deus præbuit argumentum. Neque addubitandum est, eum ex Dei Statoribus Angelum indutum humano vultu, ac veste fuisse. Id enim munus tutelarium Angelorum est, vt apud Regium Vatem habetur, *Quoniam Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* His verò assentior etiam eâ pietate adductus, quâ summâ id temporis beatissimas Cæli mentes Baltasar colebat: cui adstipulatur sensus quem ipse hoc eodem anno die Decembris vigesima secunda hausit à Deo: eiusque hisce verbis ipse commeminit. Matutinas inter preces hoc à Deo munus accepi, à me quidem inter summa relatum, quòd animum mihi ad sanctissimos Angelos præcipuè deuenerandos incitauit; Legatum nempe cælestem ad Virginem, Christi consolatorem in horto, Deoque sacrám ab altari hostiam perferentem; qui sensus fomes esset æstimationis, ac reuerentiæ cælestium horum Administrorum habendæ. Tum mihi erga triplicem aliam eorum cateruam iniecit amorem; hoc est eorum, qui Christo oranti, pugnanti, iterque habenti quondam astiterant; & nunc in his ipsis præstò sunt Iustis: erga Præsides etiam mei muneris, animique; propriosque singulorum Patrum, Fratrumque, quorum mihi credita est cura. Atque iam tum inde cultum à me illis deberi maximum diuino admonitu intellexi, quòd à Deo, studio ipsius, iussuque præcipuo, ijs commendatum me fuisse cognoueram. In tanta igitur sanctissimi huius viri religione erga mentes Cæli beatissimas, quæ in itineribus & Christo olim, & nunc Iustis assistunt, nil sanè mirum, eorum aliquem illi se Ducem huius, aliorumque itinerum obtulisse; quæ prosperè ità peregit, atque si ab Angelo, vti demonstrauimus, duceretur.

Matth. 18. 19.

Ps. 90. 11.

Minimè verò par est geminam rationem inobseruatam præterire, à Baltasare hic perpensam, quare Sanctissimis Angelis cultum hunc, amoremque debemus. Altera est, quòd ita vult Deus, & iubet. Atqui quemadmodum suis Administris Deus imperat, vt Rectores ipsi nostros agant, ac Præsides; eiusque obsequelæ gratiâ ipsi perquàm amanter, ac diligenter id præstant, ita & nobis eorum, veluti nostrorum Præsidum, Rectorumque amorem, cul-

tum,& obſequium præcipit:quorum ductus afflatuſque ſequamur, noſtra dumtaxat commoda molientium: non ſecus ac Princeps, qui Rectorem filij iubet ſuam in illum curam, ſtudiumque conferre: filio item mandat, ſuum vt Rectorem reuereatur, & audiat. Altera ratio eſt, vis illa bonorum, quæ per diuinos hoſce Adminiſtros in nos manant, ſupra quàm cogitatione aſſequi poſſit quiſquam, ingentia: quare ingrati ne ſimus, veluti de nobis tam benè meritos amare illos tenemur, & colere: Præſidique noſtro Angelo, quiſque ſuo, quod & ſuo Tobias, Raphaëli nempe, itineris comiti, ducique tam proſpero, affirmare nos poſſumus:
Tob. 11.4. *Si me ipſum tradam tibi in ſeruum, non ero condignus prouidentiæ tuæ.* Quid verò mirum, ſi mancipium ſe Cæli Principi dedat cœno compactus homo, quando humillimo huic ille tam celſus regendo, tuendoque operam ſuam addicit?

CAPVT VIGESIMVMSEXTVM.

Lauretanam Deiparæ Domum inuiſit: Sacræ illius Imaginis ſecum aufert exemplar. Eiuſdem pietas in Cælitum Reginam, & Cælites.

PEr hoc Romanum iter duo Baltaſar præſtitit, quibus religio ipſius plurima in Deiparam effulſit; per quam egregijs ſanè muneribus auctus à Deo eſt; velut etiam ſanctiſſimi alij viri, qui eam ſumma pietate coluere. Quia nempe Virgo hæc diuiniſſima in hoc myſtico Eccleſiæ corpore, colli locum obtinet, per quod, ipſa ſcilicet deprecante, caput eiuſdem Chriſtus ingentia bona, donaque in fidelium membra demittit, ac diuidit; atque in eos maximè, in quibus vitæ integritas, doctrina, ſcientiaque ſpiritus,
Dan. 12.3. ardor ac ſtudium ſalutis animorum excellunt: *Qui quaſi ſtellæ firmamenti fulgent in perpetuas æternitates.* Stellis hiſce cæleſtis Re-
Apoc. ginæ ſertum contexitur; in ea Apocalypſis muliere adumbratæ, quam Ioannes aſpexit duodecim ſideribus redimitam. Etenim quemadmodum naui diſcipuli, docente Paulo; ſui Magiſtri ſunt
Phil. 4 1. *gaudium & corona*; ita etiam cæleſtes hi viri corona Deiparæ ſunt; omnium vtique Magiſtræ; ab eaque mirandis planè afflatibus, ſenſibuſque ad ea, quæ in ipſius vertunt obſequium, excitantur. Licet verò *Draco* ille *magnus habens capita ſeptem, caudâ ſuâ traxerit*
Apoc. 12.4. *tertiam partem ſtellarum*: ipſaque etiam Virgineæ coronæ ſidera trahere connitatur: ea tamen ſtrenuè virgo tuetur: quæ nimirum altas

altas *in electis suis mittit radices*. Ij verò, qui in eam tenerâ, solidâ, constantique pietate sunt præditi, pignus, vt Anselmus ait, obtinent egregium destinatæ sibi gloriæ immortalis: de quibus hominum Vindex asseruit, *Non rapiet eos quisquam de manu eius, & de manu Patris eius*: adeòque nec de ipsius serto dulcissimæ Genitricis. In his sideribus Baltasar fuit, ab sui Tyrocinij primordijs, summo in Deiparam ardore pietatis exæstuans: cui horarias preces tenerrimæ pietatis sensu tam liquido persoluebat, vt Gaspar Astetius, eius in eadem Probationis arena commilito, eique ad sacram illam precationem peragendam adiutor, miraretur in illo summoperè insignem adeò ad versiculos aliquot suauitatem, excelsitatemque spiritus. Quo in Deiparæ cultu tantos habuit deinde processus, vt anguis tartareus rabidâ idcircò irâ despumans, vires, neruosque omnes ad eum profligandum intenderit; horrendis sanè tentationibus à Dei, Deiparæque consuetudine illum diuellere commolitus. Et verò Baltasari hunc hostis vaferrimi conatum inter precandum aduertenti, disertè explicatèque in aures ingessit sycophanta nequissimus, Remitte tu, & remittam ego: atque istam præcipuè dimitte religionem, qua fœminam illam colis, quam vocant MARIAM. Apparet hinc certè, quàm gratæ Deo illius preces acciderent, quantusque eiusdem esset in Deiparam cultus, quem stygius veterator tantoperè exhorrebat. Atquî Baltasari calcar id erat ad retinendum eum mordicus, augendumque cum maximè, incrementi tam pij quærenti semper vndecumque materiem.

Eccl. 24. 13
Lib. de excell. Virginit. c 4.
Ioan. 10. 28.

Eâ igitur gratiâ, Romam profectus, sacrisque sanctissimæ eius Vrbis, alijsque, per iter, alibi sanctissimis monumentis, cælestibus animi delicijs delibutus inuisis, Lauretanum etiam Sanctuarium visere percupiuit; vbi ea colitur ipsa Nazarena domuncula, in qua Gabriel legatione defunctus fuit ad Virginem: eiusque castissimo in vtero ibi se in humanos artus induit Deus; ibidemque diù ipsa, & ipsius Sponsus sanctissimus Ioseph, ac Filius diuinissimus, post suum Bethlemica sub rupe exortum, suique dedicationem in Templo, ante etiam, ac post fugam Ægyptiam, vitam agitarunt. Ea domus illuc, vbi nunc perstat, prodigioso Angelorum ministerio comportata, inter sanctissima cum primis in Orbe vniuerso monumenta meritò habetur: eamque Deiparæ studiosi perfrequēter adeunt: ac plurimis illic ab ea muneribus exornantur: & exornatus Baltasar fuit eo die, quem illic exegit, eâ, qua solebat, precum perseuerantia, & ardore. Quæ quanquam tecta ipse tunc habuit, vt alia quoque permulta, coniicere tamen ea ex ijs licet, quæ graui morbo, ac prope ab letho Vallisoleti de-

cum-

cumbens paucis post annis elocutus est. Patri enim cuipiam vacanti sibi, Deiparæque Virginis, eiusque Sponsi Sanctissimi Iosephi imaginem ostentanti, ac suadenti, vt ijs se etiam commendaret; Omninò, admodum, respondit ægrotus: id enim mihi hæc Domina imperauit: atque indice, Deiparæ imaginem designauit. At Pater genus hoc respõsi miratus, comitem eius Romā Ioannem Sanciū conuenit, hominē plurimæ religionis, intentumq; maximè precibus; quarū vsum ab assidua Baltasaris consuetudine, tum eo in itinere, tum deinde etiam diu hauserat; isq; tunc curabat ægrotum. Quare locus illi quærendi ex eo fuit, compertumne quicquam haberet, de Baltasaris erga D. Iosephum pietate: cui ille, eum, inquit, post effusas ante Lauretanam Virginem preces, exeuntem sibi dixisse; Iniecit mihi multæ pietatis in sanctissimum Iosephum cupiditatem ingentem. Hinc verò ex ipsa responsi huius ratione colligitur Deiparam plurimo illum studio fuisse complexam; ex qua didicisset, quæ suæ salutis, atque perfectionis interessent: in alijs verò, fuisse ab ea illi Sponsi sui sanctissimi cultum vt cum maximè commendatum: argumento sanè, quāto huic erga Sponsum amori amor aduersus Virginem ipsam, religióque præstaret. Quemadmodum enim Dei filius diligentibus ipsum, amorem suæ Genitricis insinuat, quo illi documentum præbeant caritatis in sese; simulque vberiores in virtute processus efficiant, ita & Deipara valentes apud se gratiâ, sui Sponsi efficit amatores, quò & animum sibi beneuolentissimum approbent; & vtriusque cultu maiora capiant incrementa virtutum.

Alterum etiam Baltasar secum ab vrbe fomitem exportauit ad excitandam in Virginem pietatem; cuius Imaginem, suum Deiq; Filium vlnis amplexæ, ipsius cultor eximius egregiè Lucas effinxit; eaque in Romano D. MARIÆ maiori Templo nunc colitur. Borgia verò supremum in Societate magistratum obtinens, ob suam in Cælitum Reginam religionem plurimam, gratiâ vsus, quâ multâ apud summum Pontificem valebat, cum eo transegit, impetrauitque, vt eo ex autographo quàm accuratissimè depingeretur effigies; cuius deinde impressa exemplaria, ad incrementa cultus vbique tam pij, in Christianam Rempublicam longè, latèque disseminarentur. Horum vnum perquàm elegans secum Baltasar abstulit, præsidium sibi ad pericula omnia propulsanda. Postquam verò Methymnam Campi se retulit, cuius ipse Collegio moderabatur, pulchrè illud, vti decebat ornatum, in apto, amploque Sacello proposuit; quò Nouitij ad spiritales cohortationes, piaque alia obeunda exercitia coibant, vt studia pietatis in Virginem impensè magis magisque susciperent; per eamque ad

con-

consentaneam Societatis nostræ spiritui perfectionem proueherentur. Sacellum hoc frequens ipse visebat, ante Virginem diu, ac solidas etiam noctes cum ijs, quorum meminimus, euentis, effusus in preces. Nec eo contentus, paruulam eiusdem Virginis secum gestabat icunculam, futuram & indicem amoris, quo in eam summo exæstuabat, & clypeum ad tentationes strenuè retundendas: quod & tunc sensit, cum septem, vti dictum est, horas oculos in eam defixit, ne mulieres sibi aduersas aspiceret.

At verò solemnes Deiparæ dies impensiore studio recolebat; multò scilicet precum apparatu. Quare diuinos tunc afflatus cælestiaquè munera largiùs capiebat: quorum vnum dumtaxat proferam ab ipso in aduersaria relatum,his verbis. Sacro conceptæ „ Virginis die geminos sensus hausi; alterum enixè à Deo efflagitans, vt,post exactæ vitæ tot annos,cor mihi in ipsum ita conuersum,atque immersum annueret, vt Genitrici suæ, quo primo concepta est puncto temporis,impertiuit. Alterum,vt quandoquidem Dei Filius nobis ipse se donans suum nobis Genitorem,suamque Genitricem dulcissimam condonauit, addat beneficentiæ suæ cumulum, vt nempe nos eisdem largiatur, quò ipsius & diuinissimum Genitorem & suauissimam Genitricem eo,quo decet, amore prosequamur, & cultu: atque veluti dixit ipse Ioanni, *Ecce mater tua*, deinde Matri, *Ecce filius tuus, & ex illa hora accepit eam discipulus in sua*, ita & nobis illam eâdem ratione nunc donet. Sensum hunc vtrumque animo Baltasar infixit;atq;vt erat ingenuus Parentis huius amantissimę filius,non ipse modò summo illam obsequio coluit & honore, sed stimulos etiam, opemque aliis ad eam pari obseruantiâ colendam adiunxit.

Contulit in id illi plurimum ipsius intimus Martinus Guttierius, Deiparæ studiosissimus; adeòque sidus in Virgineo serto fulgentissimum; eius aspectu persæpe recreatus; atque tunc maximè, cum gratias Virgo illi egit ob quæstionem sibi perhonorificam, tractari ab ipso iussam: in qua re illi adiutorem sese Baltasar etiam præbuit, rei in exitum perducendæ percupidus. Cum enim Ioannes de Auila,auctor opusculi in Psaltis versiculũ *Audi filia*,in Bœtica pro concione dixisset,Deiparæ Virginis gratiã ampliorem fuisse, quàm vniuersè Cælitum simul omnium,tum beatarũ mentiũ,tum hominum,qui & fuerunt & eruntcumq; ex hoc videretur,& quidem meritò, incrementũ ingens accedere laudi,æstimationiq; Deiparæ, egere cum Francisco Suario,Theologica tum studia priuatim recolente, ingenij perrari viro, neque minus Deiparæ studioso, vt ea super re quæstionem conscriberet; qua probabile

babile id esse, & Patrum sententijs,& rationi consentaneum commonstraret. Conscripsit quæstionem Suarius, & quidem ex animo vtriusque Viri sanctissimi: quam deinde auctam, & locupletatam in suum alterum volumen retulit in 3. partem D.Thomæ: vbi sua vela ingenij, ac pietatis explicuit, Deiparæ gratiam, & prærogatiuas explanans, roborans, & attollens.

E re etiam fuerit Baltasaris pietatem aduertere in hoc itinere susceptam non modò in D.Iosephum, vt nuper, atque Dei Statores Angelos, vt extremo superiore capite sermo fuit, sed & in beatissimos alios Cæli ciues, quorum monumenta sanctissima, imploratâ per preces ipsorum ope visit, & coluit. Eadem erat eiusdem obseruantia in Sanctum sibi cog nominem;in Regni,locique in quo morabatur Præsides; in eosque demum omnes, quorum sibi amor ingigneretur à Deo. Quibuscum duplicem statuebat rationem agendi, veluti cum intimis Principis cuiuspiam Administris: vel eos alloquendo, rogandoque,vt interpretes ipsi nostri,nobis ab summo Rege id,quod flagitamus, exorent: vel ijs libellos supplices, & postulata deferendo, in quibus non quidem ipsos, sed Cæli, terrarumque Principem appellet oratio: quos proinde libentiùs, benigniùsque Deus admittet ipsorum oblatos manu, quàm nostrâ. Hac porrò ratione ijs nos precationem Dominicam, Angelicamque salutationem offerimus; vt eas ipsi, tanquam libellos supplices Deo reddant. Vtrâque verò ratione cum Cælitibus Baltasar egit: quorum beneficentiam expertus est in sese largissimam;vt ipsius docent sensuum piorum autographa: in quibus extremis tam ingens, subitumque animi sui bonum vehementer admirans, non suis id certè promeritis, sed Cęlitum, quorum memoria eo die recoleretur, aut quorum in Templo,vel in loco illud acciperet, referebat acceptum: gratesque tunc ijs tam benè de se meritis optimas persoluebat. Vnicum in hanc rem exemplum hîc ex eo repetam, quod illi anno salutis 1574. ad XVIII. Kalendas Octobris euenit, inter euigilandum mane, cum cogitatu sensuque, suprà quàm aliàs,animi liquidissimè delibuti: quippe qui tunc intellexit, quid sit animus, cum illi Deus adest; quid cum abest: explicatoque ibi quod senserat (id verò nos in „ capite de humilitate reddemus) confestim intulit; Cogitanti „ verò mihi cui nam deberem hoc munus, S.Millanus in mentem „ venit,cui dies ille sacer erat: quique pastoritiam exercens, per „ speciem ipsi obiectam in somnis, in virum alium, eumque sanctissimum commutatus est: cuius amore à pluribus iam annis „ diuinum me Numen affecerat. Matrem etiam memini Mariam „ Diatiam, egregiam Dei ancillulam, cognitam mihi Abulæ,

inque

„ inque illius Templo conditam: gratiasque confestim egi Deo, „ Diuisque, quòd tam benè de me vsque immerito mere- „ rentur.

Denique summa pietate Baltasarem Deus imbuit erga omnia, quæ ad Cælites pertinent, ipsorumque Sacraria. Ea enim Psaltis verba, *Honorabile nomen eorum coram illo*, secum animo aliquādo commentans, somnus menti, inquit, irrepsit, ab animo ni- Ps. 71. 14.
„ mirum ingenti admiratione suspenso, eum aduertens honorem „ (si ita loqui fas est) quem suis habet famulis diuina Maiestas, „ tunc etiam, cum eos ob vitia, culpasque redarguit: eosque à „ Deo didici obseruantissimè colere. Rursum, Cælicolæ, ait, plu- „ rimorum instar luminarium sunt diuinissimam ante frugem, ra- „ dij sunt veri Iustitiæ Solis, supremi Cæli sunt sidera, riui in- „ gentis fluuij ex Dei sede fluentis, Seruatoris, Christi vitis pal- „ mites; de quibus sine lacrymis non decet effari: ijs enim, hac „ vitæ nostræ ratione, ab illa ipsorum tam degenere, probro su- „ mus: ducendumque pudori nobis esset, quòd tenellulæ virgines „ adeò strenuè connixæ fuerunt in salutem; nos verò contra tam „ languidè, tam ab ijs procul ingredimur.

CAPVT VIGESIMVM SEPTIMVM.

Prouincialis cum duorum Patrum comitatu Romam profecti Baltasar vicem gerit. Illi capiuntur ab Hæreticis; ipse in ijs redimendis strenuè allaborat.

CVm in Collegio Methymnensi Baltasar expetito sibi tantoperè otio frueretur, nuncius de Francisci Borgiæ viri sanctissimè memorandi obitu perlatus est. Prouincialia porrò indicta fuere Comitia; in quibus, pro Societatis more tres iuberentur Romam, ad nouum dicendum Generalem Præpositum, profecturi. Habita ea sunt Burgis; Patrique Ægidio Gonzalez Abulensi Castellanæ Prouinciali adiuncti sunt in id muneris alij duo peranti- qui, perintegri, pij, prudentes, animorumque regendorum experientissimi Patres; Professorum domuum, Martinus Guttierius Vallisoletanæ, & Ioannes Suarius Burgensis Præpositi (domus hæc altera in Collegium deinde commutata est eò, quia sine reditibus sustineri non poterat.) Prouincialis interea vices datæ sunt gerendæ Baltasari; gaudente oppidò vniuersa Prouincia: in

qua nimirum ille percognitus plurimam ſibi æſtimationem, beneuolentiamq ue omnium conciliarat. Eo muneri pro communi ſpe, atque expect atione defunctus eſt: vnumque votum erat omnium, vt ipſorum Collegia luſtraret, quò de ſuis animi rebus cum ipſo conferrent; ab eiuſque ingenti pietate ac ſpiritu ſolatium ſimul, fructumque perciperent. Mox tamen acerbiſſimus vniuerſæ illi Prouinciæ delatus eſt nuncius;tres illos Romam profectos Patres cum Laico, (nomen illi Iacobo Delrio) in ipſo per Galliam itinere, ab hæreticorum transfugarum manu Cardellaci captos eſſe. De ſiniſteriore hoc euentu certior factus eſt Baltaſar epiſtolâ geminâ; quarum alteram Ioannes Soarius illi dedit, dicendi charactere vſus ſemper graui, conciſo, conſperſoque ſententijs: alteram Prouincialis Gonzalius; eam veró, quippe ſaucius, breuiorem; qui & reliqua ab Socij tabellis ediſcenda reliquit. Martinus Guttierius epiſtolam dare non potuit letho ſublatus in carcere. Viſum è re fuit vtraſque litteras hîc proferre,tum vt diuinæ prouidentiæ multiplex ratio in deſtinatione ſuorum appareat, hunc periculis permittens, illum eripiens; tum quia intra Baltaſaris hiſtoriam ſunt, ad quem litteras illi dedere.

Ioannis Soarij ad Baltaſarem Aluarez Epiſtola.

AMicorum conſilia mercatorum, iter per Galliam ſuadentium, tu quidem R.P. probè noſti. Eadem confirmata fuere Victoriæ, aduentu Franciſci Reynoſij: tum etiam Gallerecij,ex occurſu Gabrielis Fonſecij: poſtremò quoque Sangerij,poſtquam in Galliam nos leucis iam quinquaginta intuleramus, ab diſceſſu Franciſci Retanij; quibus omnibus iter per Gallos fuit. Dei tamen factum eſt nutu vt Socijs Patribus promerendi, mihi verò ærumnas eorum ſpectanti, perpetiendi nomen, & materia præberetur. Admoniti Luthericorum Caſtrum propter viam ſitum eſſe, quatuor leucas ab illo defleximus. At illi Religioſos quatuor Hiſpanos aduentare per exploratores edocti, ſeni numero, armis validè muniti equites, viam nobis obuij intercepere. Conſtringunt nos primò, atque à calle ſeducunt in montem; tum pecuniam eam perpaucam auferunt, qua Lugdunum vſque eramus inſtructi: inde in propinquum amicorum caſtrum pertrahunt, quæſtionemque redintegrant: veſtibuſque,& libris & autographis nudant, quæ nobis ante permiſerant. Tum in equitabiles belluas adorti, habenas illis, ephippia, cæterumque detrahunt vectorium apparatum: in ſacrarum precum codices, cruces, imagines, ſerta piacularia, ſacraſque reliquias inuadunt:

eaque

eaque omnia indigniſſimè, pro ſuo ipſorum more, non pro il-lorum merito contrectant. Ne mihi mei diem animi Deus vn-quam nocte cæcitatis extinxerit. Quàm confusè, perturbatèque caligo illa æſtimat, & contemnit, amat, & odit, ſequitur atque inſectatur, pro malo bonum, pro bono malum! Errores ab ijs Deus euellat; forent enim ipſi ad Fidem orthodoxam idonei: & verò in huius amplexu obſequenter viuere conducibilius ipſis fo-ret. Inde nos ſuum in caſtrum præproperè compulere. Anteibat eorum vnus, ſequebantur alij, alij medij comitabantur, maledi-ctis probriſque nos ipſos, vectarias mulas, vectoſque quandoque ſtimulis, ac verberibus inceſſentes. Animum interea confeſſione peccatorum in itinere expiauimus; Deo nos valde commenda-uimus; ærumnaſque illi noſtras, & vitam obtulimus. Agebant inter ſe illi, audientibus nobis, mortene nos afficerent, an nobiſ-cum de redemptione tranſigerent. Alij quidem alterum hoc af-firmabant; negabant alij: nam & Hiſpani ſunt, aiebant, & Sacer-dotes: Ipſorum Rex auctor fuit Gallorum Regi, per nuptias, no-ſtros vt anteſignanos, duceſque deleret. Niſi genus hoc Cleri-corum aduerſaretur, noſtra religio (eo nomine ſuos appellant errores) præpolleret. Si nos Hiſpanorum Quæſitorum manibus dederemur, nullâ nos illi pecuniâ redimi paterentur. Equidem, aiebat alius, aureos viginti perſoluerem, vt horum vnus daretur mihi mactandus: At ego, ſubiecit alius, ducentos in hoc ipſum impenderem. In caſtrum denique perductos, magni, medii, par-ui, viri ſimul, atque mulieres, ſciſcitabantur ſinguli, an Sacerdo-tes, an Monachi, an Beneficiarij eſſemus; an quiſquam inter nos eſſet Antiſtes. Vera omnibus reſponſa, captiuorum habitu, to-leranter dedimus, & ſubmiſsè. Conuicia tunc in nos quiſque, & contumelias, ex diuini conſilii permiſſu, coniecere. Et tamen par geminum virorum, atque mulierum noſtri miſertum eſt: aie-bant quippe caritatem à Deo imperatam eſſe in peregrinos, ami-cos item, ac hoſtes. Eorum inter primores de noſtra cæde con-ſtitutum eſt, niſi vitam grandi pecunia redimeremus. Id nuncia-turi clanculum ad nos aliqui aduenere; mox idem edicturi palam alij nos accerſunt: ſe quidem ingentis modò pretij ſpe ab noſtra cæde manus continuiſſe. Centuſſium quatuor millia petebantur: quadringentos obtulit Prouincialis. Tunc eorum vnus, qui ador-ti nos erant, vbi ſpem vidit pecuniæ tam modicam, Guttierium, ac me editam in turrim abduxit, præcipites nos ex ea ſe daturum affirmans: alius verò veſano furore percitus ſtringit gladium, & prouincialem Gonzalem ſemel cæſim, bis punctim ferit; Dei ta-men benigna factum eſt ope, vt vulnera non altè deſcenderint;

co-

eorumque postremum sese per extremum latus eiecerit: ita confossum eam in turrim pertrahunt, alio percussis similes in itinere minitante. Delrius miseratus hominem adiunxit illi sese: eoque simul in turrim adacto, nos ad stramineum ignem, cum agrestium paupere, captiuaque item turba horas quinque circiter reliquere. Solatio sanè fuit socios illos habere, atque illorum coniunctam cum fide tolerantiam, constantiamque spectare. Deo nos, ac Deiparæ, sanctissimis Angelis, Cælitibusque omnibus enixè commendauimus. Consuluimus deinde in medium, quid agendum. Dissuadebat alius de redemptione transigere: satius esse tanquam Orthodoxæ Fidei asseclas, Sacerdotes, hæresumque osores mortem oppetere. Subijciebat alius: decessuri aliquando sumus, & fortè quàm mox; neque vnquam per vitæ quicquid est reliquum, talis sese fortasse dabit occasio; atque vtinam conditionem pecuniæ minimè obtulissent; nobis certè res bellè ceciderat: at equidem dignus haud eram, qui tam dulci, honestaque morte defungerer. Constitutum denique sic est: æquum redemptioni pretium paciscamur; ne, ob curam, amoremue pecuniæ miserum, vita spoliemur: post hæc, restat animam pro Christo effundere; hanc nos illi deuoueamus. Multis igitur verbis vltrò citròque habitis, in redemptionis pretium, connumeratis viæ sumptibus, alijsque, decreti sunt mille minimùm coronati. Tunc coronæ loco, quæ ab obita pro Christo morte decorare nos poterat, ad hospitium ducimur: in eoque nobis cubiculum, stratum, Chirurgus, & victus attribuuntur. At ijs non satis esse videbatur ea pecunia quatuor hominum capitibus, scriptis, quatuorque vectariis belluis redimendis. Mercator enim ijs in popularibus quispiam, pro capitis vnius sui pretio, aureos mille, & amplius persoluebat. Verùm prima iam ira resederat; fructuosiùs verò arbitrati sunt sibi, oblatâ nostrâ pecuniâ, quàm suo expleto furore potiri. Neque porrò nobis id pretium pro libertate, vitaque nostra pergraue visum est fore isti Prouinciæ: pijs præsertim amantibusque istic nostri compluribus opem in hoc suam, parte multa suppeditata pecuniæ, collaturis. Sed aliud hic accidit, quod nos altiùs vulnerauit; & mihi vberiorem quàm ante aliàs fletum expressit: vtinam verò Deo gratus effluxerit. Guttierius dolore lateris ictus, ab eo post quinque nec integros dies occubuit. Non illum Sacramentis munire, non funus, ac tumulum eius expiare sacris, ac ritu precum solemni potuimus. Prouincialis in abiecto humi lectulo peræ grè habens à vulnere proximè decumbebat. Frater Delrius, vnàque ipse operam illi nostram, non quidem vt erant vota, sed vt ferebat locus, impendimus. Subuen-

uentum eſt terna ſanguinis emiſſione, atque elegmatis, ſeu mitigatorijs: ipſe quidem expuebat commodè, quanquam multum, atrumque. Quarto deinde die recreatus à morbo ſic eſt, vt dixerit, videri ſibi ex decem ægritudinis partibus, vnam ſibi modò reſtare. Ab hac morbi imminutione ſerenior, multâque ſpe conceptâ ſalutis, voluit ea, quæ expuerat, purgamenta conſpicere: quæ vbi atra animaduertit, actum iam de ſua vita illico affirmauit. Paucis ante diebus hunc illi ſenſum Deum immiſerat; Bonum nihil eſſe, niſi quod æternum; neque malum, niſi perpetuò duraturum. Statimque tanto perfuſus eſt gaudio, vt palam illud exprometet, diceretque;Sitire, & quantum velis haurire, ah, quid hoc erit! Hic illi intumeſcere pectus, oculique rigeſcere: ex iiſque fluere lachrymula: noctis deinde horâ decimâ, quinto die à decubitu ineunte, ſupremam efflauit animam, Deoque reddidit, recta, vti quidem opinio mihi, & ſpes eſt, inuectam cælo, ob ſingularem, quâ præditus erat virtutem; ob egregiam doctrinam, exemplumque clariſſimum, quod tum Eccleſiæ, tum Societati noſtræ præbuerat; ob fidem, tolerantiam, conſtantiamque id loci ſeruatam. Diſceſſit enim ab humanis obedientiæ peragens imperata; poſt ſuam vitam omnem ritè expoſitam Sacerdoti; profeſſuſque ſeſe inter hæreticos, hoſteſque fidei Orthodoxæ,eiuſdem filium & Sacerdotem: cuius ab oſoribus, atque inſectatoribus captus, & confectus occubuit. Sequar ego vtinam quò illum præiuiſſe non dubito. Solatio mihi erat ipſius Societas; cuius ergo immunem me malorum fore confiderem. Poſt eius verò ægritudinem vehementer angebar, veritus ne meorum nomine, mulctâque flagitiorum Deus illum nobis eriperet. Aliqua ei ſubinde de Deo, immortalique vita, opportuna tempori ſuggerebam; non ſine multo pudore ſimul meo, ſenſuque pertenero. Cruciculam è cera confinxeram: eâ illi opitulabar, vt migraret è terris cruce munitus, & cereo. Supremas animo commendando preces ex horario codice recitaui, clam ab ſpoliatione ſubducto: eiuſque lateri me adiunxi; atque ibi ad vſque diluculum hæſi, non ſine metu modò, ſed cum animi ſecuritate multa pariter, & iucunditate. Propter Templum, præ quo ſalutiferæ Crucis ſignum erat, cum lacrymis, ſecretiſque precibus illum humauimus: nil fieri ſupra tunc poterat, nec illi ferebant. Cætera tu ipſe R. P. ac reliqui omnes Patres, Fratreſq; nobis cariſſimi, quæ non potuimus ipſi præſtare, ſupplebitis, ſacris hoſtijs, precibuſque atque aliquo Salmanticæ, ſeu Valliſoleti exequiarum honore. Dignus enim ijs eſt quâm qui maximè. Poſtquam verò ad Catholicæ Fidei loca deuenimus, meas qualeſcumque preces, &, quæ potui, ſacra illi

per-

persolui. Hic ego de illius morte Socios docui; certioresque hinc feci Societatem Romæ, ac Moderatores Prouinciarum Belgij, & Galliæ; vt eadem illi pia officia erogent. Quibus etsi haud illi opus esse confido, muneri tamen nostro nos deesse non decet: neque ipse ibi est, vbi impensæ sibi ab omnibus voluntati habere gratias, & referre non possit. Ego profectus inde sic fui. In commentarijs syngrapham ij creditæ pecuniæ inuenere, Guttierio, aut mihi, seu Prouinciali soluendæ: è duobus alter decesserat; vulnera curabat alter: vnus ipse supereram, cui numeranda pecunia esset. Eam proinde tradendam ipsis recepturum me dimisere. Abeunti mihi viæ ducem ex suorum numero adiunxere, prosecutum ad Luthericorum castra duo, vel tria; altero quarta leucæ parte; altero parte etiam minore disiunctis. Duo exinde orthodoxorum militum turmis obsessa loca traieci, ob egestatem, pecuniâ, & ob metum indicij, vitâ spoliantium. Fauentis tamen Dei nutu, tuæque Reuerentiæ precibus actum est, vt captiuitatis nostræ, pactique pro redemptione pretij, ad quod curandum ego proficiscerer, peruagatâ iam famâ, dimitterent me, dum, pecuniâ comportatâ, redirem. Galliæ Prouincialem Edmundum, & Rectorem Rotomagensem offendi ab Cardellaco, vbi in grassatores incidimus, decem leucis. Per hos, Dei ope, tuâque, redemptionis conflata pecunia est. Et me quidem illi ad id negotij minus idoneum arbitrati sũt. Quare Rotomagensis Rector, superiore die, armatus & eques, virique nobilis habitu, cum multa voluntatis optimæ significatione discessit: eumque nempe popularem, propinquum, ac locorum, linguæ, morumque peritum, rem tutò ac prosperè transacturum, exactâque captiuitate, suo reditu, diem nobis rediuiui Christi lætissimum apportaturum esse confidimus. Ac tum, adsit modò Deus, tuisque sacris ipse nos adiuues, inire Romam, viginti, vt fertur, dierum itinere, tempestiuè poterimus. Faxit id Deus, quod in maiorem vertat ipsius gloriam. Amen. Datum Lugduni die 10. Maij Anno Salutis 1573.

Aegidij Gonzalis ad Baltasarem Aluarez Epistola.

DE exerciti in nos latrocinij euentu docebo strictim his litteris. Nihil est, ab eius exorsu cur scribam: id enim perscriptum ab Ioanne Soario probè noui. Ad vsque Gutierij ægritudinem, quicquid erat ærumnæ, tanta fuit dulcedine consperssum, vt gulam propè saperet extima calamitas, tanta intus suauitate ani-


animi delibuta. Morbus, cui à primo statim die visum mihi est multum inesse periculi, solitudine nos ac mœrore cœpit afficere. Et verò, quanquam occubiturum se mihi æger ipse liquidò affirmabat, assentiebatque vis morbi, persuadere tamen mihi non poteram tantum luctus à Deo nobis ægerrimis adiungendum; malumq;id omne in vnũ, vt aiebam, congestum,à nobis esse deuorãdum. Haud equidem scio quicquã à me prolixiùs intra viginti annos, nec eius salute expetitum, nec eiusdem morte defletum. Fortior multò ipso me dolor extitit: nam mihi planè me abstulit. Neque verò spectaculo quisquam præsens, siccis oculis nostras, opinor, lacrymas potuisset aspicere; quæ commiserationem vel in hostibus excitarunt. Intra horas quinquaginta, siue amplius paulò, animam Deus ab illo repetijt, postquam vniuersæ vitæ conscientiam apud Sacerdotem ritè deposuit. Cardellaci humo datus est, modo, quo ibi potuit, vbi nullum religionis vestigium apparebat. Postridie Lugdunum discessit Ioannes Soarius: hic verò nos hæsimus: & ego quidem decumbens à vulnere: militis verò causâ malè saucij, qui perpetuo nostro in cubiculo curabatur, grauiterque olebat, aucta mihi febris est, cum alui proluuie; vnde vires mihi plurimum defluxere. Per sanctiorem hebdomadam ab stragulo surrexi: nobisque leuamen erat in solariũ ascendere: ibique pio secessu nobis aliquandiù vacare; ac spiritu eorum dierum sacris ceremonijs ac precibus, pietatique orthodoxorum fidelium interesse: cùm, eo in diuersorio, ab diluculo in noctem carnibus vescentes, perpotantesque conspiceremus; nullâ temporis tam sacrosancti memoriâ, vel respectu. In hunc modum ij à nobis exacti sunt dies, ad noctem vsque post diem alterum à Christo rediuiuo;mente in tempus defixa pietatis Christianæ tam plenum: dum interim distinebamur ab omnibus. Nocte deinde à die Paschatis altera cœpta est augeri nostra calamitas. Timebatur enim obsidium castro ab inimicis: quæque transacta per eam noctem fuere, supremi diei imaginem referebant: nobis interim mortem spectantibus, capto scilicet loco, certissimò euenturam. In his, curatores & hospitij, & mei vulneris profugêre. Cibus nobis castaneæ, & caseus, atque ab his diebus, bubula salita. Noui deinde quotidie metus, & angustiæ ad insequentem vsque diem Dominicum, à Christo resurgente primum, quo quietum est: vulnusque mihi à conflato pure vlcerosum, ad redintegrandam curam, apertum est denuò. Ineunte Aprili eius gregis primoribus nullus quæstus visus est accessurus ex nobis. Efferatis proinde vultibus ad indicendam nobis cædem aduentãt: de qua consilia inter ipsos plura: quæ dum vltrò, citròque feruntur,

Hæ ſunt gemini huius ſanctiſſimi viri litteræ, quos hiſce ærumnis Deus primùm exercuit, mox & ab ijs eripuit; alijs à ſe aliàs nihilò minoribus exercendos. Martinum tamen Guttierium egregiæ ſanctimoniæ virum id loci præmio afficere voluit, aſſertum ex carcere non ferreæ tantùm compedis, ſed & humanæ compagis, laudes diuino ipſius nomini modulaturum; ipſiuſque tandiu, ac tantoperè expetito aſpectu dulciſſimo fruiturum. Et verò genus mortis accidit ſanè illi pro votis, ſpecie, formâque martyrij, teſte Ioanne Soario, ab hæreticorum, Fidei, quam ipſe palam, diſertèque profitebatur, hoſtium vulneribus, cæteriſque damnis illatæ. Vt enim Martino Guttierio habitudo virium fuit magis imbecilla, quàm cæteris, ita plus ipſe damni ſuſcepit. Cumque Deiparæ cum primis amantiſſimus eſſet, hæc illi ſuppetias in hũc exitum prærogauit. Prope enim ab loco carceris cum abeſſent, deſiluere ad ſacellum Virginis obuium oraturi; didicitque ab illa, ſe intra octiduum obiturum. Neque verò eum Virgo oblita eſt, neglexitue poſt funus. Ipſo enim ad ſecundam matutinam horam extincto, paucis poſt horis, Gallico habitu, perhoneſto tamen, in cubiculum intulit ſeſe mulier per Hugonottorum cuſtodias palam ingreſſa: affataque Soarium (cuius narratu reſcitum id eſt) linguâ ipſi probè cognitâ percontata eſt, num quod ibi funus haberent, & an cadaueri linteum eſſet iniectum: quod cum deſideraretur, ſyndonem ipſa mundiſſimam protulit ab vlnis; caſtèque, ac per otium illud inuoluit, ſignoque ſalutis impertijt: ac Soario gratias agenti, & aliquid etiam pecuniæ offerenti reſpondit; non eò profecta huc ſum: ſtatimque euaſit, ac videri deſijt. Senſeruntque omnes eam fuiſſe Deiparam, aut ſubmiſſam ab ipſa ſui Vicariam, ſuorum aſſeclarum amantium, & viuorum anguſtijs, & extincti neceſſitati humaniſſimè ſubuenturam. Contectus humo eſt propter crucẽ ſtantem pro Templo: factumque diuino conſilio fuit, vt ſepulcri locus è memoria penitus non abiret. Triginta enim poſt annis Iacobus Turrianus, pro ſuo plurimo in ſanctiſſimum hunc virum amore, cultuque, Romam petens Peruanæ ſuæ Prouinciæ Procurator, Galliamque traijciẽs, Sociis in Collegio Cardellaco proprioribus perſuaſit, vt quærendo, recipiendoque tam ſancto corpori ſtudium omne conferrent. Contulere verò tam diligenter, vt indicijs, teſtibuſque certiſſimis ipſummet verè comperérint. Quod reuertenti ex Vrbe Turriano tradidere, ſecumque id ille in Hiſpaniam aduexit, Salutis anno 1603., deditque Alphonſo Ferrerio Caſtellanæ huius Prouinciæ Moderatori. Quanquam verò id Salmanticenſe Collegium poſtulabat, cuius gubernacula Guttierius multos diù annos obti-

nuit; adiudicatum tamen est Vallisoletanæ Professorum domui, cui tunc præerat, cum decreta est illi, suffragiis, Romana profectio: plumbeoque loculo inclusum super Aræ maximæ gradus collocatum est in cornu Euangelij, iniecto lapide sic inscripto latinè. *Patri Martino Guttierez Almodouar, huius domus Præposito, singulari pietate, virtute, ac doctrina viro, in carcere apud Hæreticos Cardellaci in Gallia Narbonensi vita functo anno 1572. ætatis 49. atque huc inde translato, anno 1603. amoris ergo Patres D.D.*

§. I.

IAm verò vt cursum repetamus historiæ, litteris his acceptis, iussit Baltasar illicò pecuniam redemptioni conquiri. Quod etsi quicunque gubernacula tunc Prouinciæ obtineret, omni sanè sua opera, studioque accurasset; ea enim Societatis est caritas, vt non Patribus modò tam grauibus, in quorum vita ipsius boni tantum erat, sed & fratri cuiuis laico, eandem curæ pietatem impenderet; alienum licet æs conflandum esset ab vniuersa Prouincia: facilius tamen fuit promptè id præstare Baltasari, notorum causâ, amicorumque Methymnæ, ac Burgis præpollentium fide, ac opibus mercatorum; quibus ob negotiorum Societatem, communionemque Lugduni expeditum erat opportunam redemptioni suppeditare pecuniam. Et verò Dei mens prouida huic necessitati non defuit: superiore enim anno Tyrones duo spectabiles Societatem inierant; qui ex hæreditarijs obuenientibus sibi legitimè bonis, tria centussium millia, quantum illi pro redemptionis pretio peterent, addixere. His actis Baltasar præproperè ad rem perficiendam profectus est Burgos: indeque confestim fratrem nostrum Bartolomæum de Baeza tyrocinium tunc ponentem, scientemque Gallicè misit, veste indutum populari, vt hæreticorum & falleret oculos, & manus effugeret, cum credita pecuniæ syngrapha Lugduni recipiendæ, vbi persolutum est ex pacto, quod debuit; prouisumque Patribus de reliquis Romanæ viæ præsidijs.



CAPVT

CAPVT VIGESIMVMOCTAVVM.

Morbi ipsius graues, aliæque id temporis inualetudines. Eiusdem in ijs tolerantia, ac virtus plurima.

CVm Baltasar summum præ se ferret in omnibus cum diuina voluntate consensum, illius periculum sumi in aduersis oportuit; cumque alia perpeti pro dignitate vilia, despectaque; alia pro sensu aspera, & molesta. Vt enim auctor est Bernardus, *Non satiatur animus vanitate, neque corpus voluptate*. In culmen verò perfectionis euasuro, vtroque victo opus est: ad quæ funditus profliganda, opprobria Deus annuit, quibus animo afflatur humilitas, vanitas efflatur: morbos ingerit, ac dolores, qui tolerantiam probant, atque perficiunt: appetitas verò sensim voluptates amouent, & exculcant. Eò proinde contemptibus Baltasarem Deus exercuit, vt absoluta vndique, quod deinde docebimus, humilitate illum imbueret; morbis verò, cruciatibusque, vt numeros patientiæ omnes impleret. Ab his verò exorsus est prius, materiem vt illi præberet, qua in omni virtute proficeret. Pauli enim oraculo, *Virtus in infirmitate perficitur*. Virtutem verò cum dicit, nullius peculiari nomine vsurpato, à morbis docet opportunitatem iustis offerri in virtutibus omnibus efficiendi processus, seseque perficiendi. Quæ, cum maximè tunc effulgeant, dignoscuntur scilicet, ipsæque se produnt ad Conditoris diuini gloriam, & proximorum exemplum. Plurimum verò in id conferunt duo morborum genera, quibus sanctissimi viri perquàm solidè, ac diligenter expoliuntur: alij ferè assidui sunt, valetudinis instar incommodæ; vnde cruciatus, & dolor; sed non lecto tamen affigunt, neque suo defungi munere, rebusque cæteris quenquam vetant; licet hæc perincommodè obeantur: alij grauiores subinde, vehementioresque contingunt; perdurantque aliquandiu; per quos ægrotantis tolerantia, lenitasque, æquabilitas animi, obsequela, ac fulgor caritatis excolitur, expolitur, exponitur: cum primis verò, incidentibus in ea tempora morbis, quæ seu munera, susceptàque in ijs consilia præpediunt; seu vitæ, & quidem florentissimæ spebus optimis interitum minitantur. Vtrumq; cepit Deus ex Baltasare periculum; illo in omnibus æquum, ac diuinæ voluntati consentientem animum mirificè custodiente.

In sonticis primùm morbis ea illi tolerantia erat, quæ Medicos

cos, ac Valetudinarios admiratione defigeret. Et quemadmodum Iob dolori dolorem addebat, saniem testa radens, ita & Baltasar suis cruciatibus alios adijciebat in cumulum. Namque vti supra docuimus, os, inter hauriendum, pharmaco colluebat; cibum verò fastidiens, ad sese frangendum, tunc magis illum sumere connitebatur: atque vbi licere putant alij (& verò licet) annuere sibi aliquid ad leuamen, nouam ipse venabatur ibi materiem patiendi: illud cum Iobo item affirmans; *Quis det vt qui cæpit, ipse me conterat? soluat manum suam, & succidat me? & hæc sit mihi consolatio, vt affligens me dolore non parcat, nec contradicam sermonibus Sancti?*

Iob.6.9.

In angustias cæterarum maximas, summumque virtutis suæ periculum adductus Baltasar est à morbo, quo id ferè temporis Vallisoleti laborauit; post rem, quam superiore capite exposuimus, confectam Burgis: quem ipse morbum visus est aliquibus indiciis præsensisse. Eius enim comes narrauit in reditu ad hanc Vrbem, eâ procul visâ, verba illa multo cum sensu pronunciasse Baltasarem, quæ Hierosolymam subiens effatus est Seruator Christus Apostolis, *Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur &c.* Et enimuerò eam in vitæ crepidinem adductus est, vt iam decessisse sit creditus; eiusque vultui linteum sit iniectum: adito etiam æditio, vt campano ære funebre signum ederet. Vitæ tamen, cum miraculo penè reddidit illum Deus; plurimis, enixisque precibus impulsus, non domi tantum nostræ, sed & in reliquis Religiosorum Ordinum Cœnobijs in hac vrbe, pro postulatu nostrorum, effusis: suam etiam conferentibus opem pijs popularibus; communi cum omnium commiseratione, ob iacturam, quam vniuersa tunc Prouincia ab sui Moderatoris, viri tanti, tantisque animi bonis ornati obitu pateretur. Postremæ sacri olei vnctioni successum hunc aliqui retulerunt acceptum: quo nempe cum religione ipsius multa inunctus est; in eoque ad salutem ac vitam, cum expedit, impertiendam naturâ licet defectâ, vis inest. Diuina tamen prouidentia humanis congruisque præsidijs præstò esse non destitit. Præpositus etiam domus, ægrotantis vitâ in spem minimam iam adductâ, Valetudinarium, socium Baltasaris fidelissimum, Ioannem Sancium, discedere iussit ad aliquid somni, quietisque capiendum, pro multo, quo defunctus diu erat incommodo, & labore. Cumque ille decumberet, vehementissimis incitari se sensit impulsibus id ipsum imperantibus, Surge, & cibo refice ægrotantem. Cumque interiori stimulo obluctari non posset, surrexit, vt cibo illum aliquo recrearet. Repugnabant verò, qui aderant, eo vitam datum iri præcipitem affirman-

Luc.18.31.

mantes. At ille tanto intus adigebatur instinctu, vt Præpositum adierit, veniamque tandem exorauerit ægroti aliquantulo cibi succo in præsens reficiendi: quo sumpto, animum ille recipere, ac meliusculè cœpit habere; donec sensim illum à periculo Deus asseruit. In quo tamen cum versaretur vir hic longè sanctissimus plurimum præsetulit gaudium; ex consensu nempe cum Dei voluntate, suæque salutis affirmatâ ipsi à Deo fiduciâ, & securitate profectum. Quare procul se dixit à metu mortis esse; neque se ob eam angi, neque humanum esse aliquid, cuius compede animus vinciretur: immò persuasum habere se, res suas esse iam collocatas in tuto. Diuinum tamen Numen hac ipsa tunc fuit æquabili voluntate contentum; vitâ illi productâ ad res plurimas ex maiori sua gloria moliendas. Neque molestiam item vllam ex iactura, qua Prouinciam afficeret, capiebat: id enim curæ, vt cætera, referebat in Deum, Dominum nempe vineæ, qui, vinitore illam accurante sublato, cultorem eiusdem alium submittere nouit, & potest.

Ex hoc tam graui, quo Vallisoleti afflictatus est, morbo, suborta Salmanticæ est quartana febris, quæ præterquàm quòd diuturna, infesta etiam ferè accidit, ab intimo mœrore, ac ægritudine animi, quam atra bilis excit, & creat. At eam ille adeò non grauatè pertulit, vt cum, die quodam, febri vrentissima torqueretur, Patrum aliquis illum inuisens, eius oris serenitate conspecta, dixerit, Profectò, fieri minimè potest, quin tu Pater aliquanto dolore vexeris. Cui ille, quasi nihil ipsius præsens molestia interesset, Perinde est, inquit: ac si diceret; pati, necne, quartana laborare, vel contra, eodem mihi loco sunt; nihil enim malo aliud, quàm quod Deus velit; ab vnaque ipsius voluntate meum fluit omne solatium. Nihilo tamen minus, cum prudentiæ tantæ vir esset, atque tantoperè bono proximorum exemplo studeret, ne quippiam diceret, ageretue, quod ijs esse posset offensæ, in ipso quartanæ febris ardore, abstineri volebat alios ab accessu; ne sibi fortè solito minus lene, suaueque verbum efflueret: eo in æstu, vno cupiens & cum Deo tum colloqui, & à Deo tunc refici.

Rursum grauiores morbi, obitique itinerum, ac muneris sui labores, quædam illi pepererunt incommoda vrinæ difficilis, renum, podagræ, aliaque horum similia ab ipsa etiam diuturnitate molesta: quæ tamen ipse non patienter modò ferebat, sed & dissimulare sic norat, vt ea domestici vel nescirent, vel perpauci quidem aduerterent. Nam & rebus omnibus gregatim cum cæteris aderat, & suo muneri iuxta vacabat, ac si nulla inualetudi-

ne

ne laboraret: virtutis certè non tenuis argumento; qua qui pusilli sunt, gratis etiam valetudinem tactam produnt, humani solatij causâ, commodi, aut honoris: vti nempe ab aliis animorum commiserationem, eduliorum lautitias, decora obsequiorum, eo nomine, quòd malè valent, eliciant. Quæ si minus voto respondent, tum ipsi querelas serunt, & murmura; domumque totam moroso præcipuarum rerum studio inquietant. At verò virtutis solidæ, limatæque viri, ægritudines suas tandiu tectas habent, dum ipsæ se exerant, exeantque in vultum; seu cum remedij, aut imbecilli cuiuspiam suo exemplo confirmandi causâ, indicare illas oportet. Aliàs verò suæ patientiæ testem neminem expetunt, præter Deum: quo ex vno suas omnes delicias, atque solatia expectant: honorique sibi ducunt eâ, quâ mauult ille ratione, exerceri.

Præterea, spiritalis crux, cùm, contemptibus, doloribusque conflетur, eorum aliquibus continenter affici, referebat in gloriam: aiebatque, si ligneam crucem, cui affixus est Christus, tantoperè ideò colimus, quòd membra ipsius pretiosissima contigit, quid ni viuam laborum crucem veneremur impensè, quæ in ipsius cor altè pertinuit? Cumque crucis eius tantula quæuis assula summo habeatur in pretio, ita quilibet etiam dolor inflictus à Deo magnus æquè, paruusque faciendus est plurimi. Ægros proinde quoscunque, ac mœrentes aspiceret, his passim verbis compellabat; De crucis arbore ne folium quidem fas est solo decidere.

Adhæc, cùm studium, operaque Baltasaris tantum valerent in proximos, illum etiam cumulum, ex quo mirificè sanctitas talia obeuntis augescit, his Deus adiecit, vt præclara nimirum ageret, simulque peraspera pateretur. Mirifica profectò est vita Iustorum, affixis iugiter lecto membris, instar Lazari, dolores, vulnera, morbosque molestissimos patientissimè perferentium. Ea tamen damna, incommodaque valetudinis expetenda sunt magis, quæ corporis membra assiduò sic affligunt, & cruciant, vt vires vnà relinquant, quibus in Christianæ Religionis obsequium, proximorumque salutem possimus adniti. Quod & insignes sanctimoniâ viri præstitere permulti: in quibus Timotheus martyr, quem Magister ipsius Paulus *frequentibus infirmitatibus* vexatum affirmat, neque porrò labori in Euangelio disseminando parcebat. Sancti verò Gregorius, Bernardus, & Franciscus in hoc adeò præstitère, vt incertus planè sim, vtrum magis admirer; id ne plurimum, quod pertulere inter labores proximorum causâ susceptos, an labores ipsos inter tam multa, quæ perpessi sunt, eorun-

rundem gratiâ exantlatos. Atque ex his vnà coëuntibus, promerita quidem ingentia, coronasque longè pulcherrimas adepti sunt. Geminam enim pertulere crucem, siue integram vnam parte gemina coagmentatam; morborum nempe, dolorumque perpessione; & molitione operum grandium, & arduorum; quibus ærũnæ comites semper accedunt à peregrinationibus, itineribus, fatigationibus, laboribus, insectationibus, calumniis, icommodisque alijs atque molestijs: præterquàm quòd perpurgatæ caritati, ac proximorum amori exhibendo dant locum, suâ ipsorum salute contemptâ, vocatâque in discrimen vitâ, ne ipsorum illi curam, opemque desiderent. Etenim ex D. Thomæ sententia, optimo quidem iure spiritualis proximorum vita, suæ corporatæ, animique alieni laborantis solatium, corporis sui, affecti licet, quieti pręhabenda sunt. Et hæc quidem omnia per Baltasarem gesta: idque ex ijs liquet, quæ de singulari ipsius erga proximos caritate meminimus, cum æger ipse accersentes ægrotos adiuit; ingrauescendi, vti diximus, aniam suo morbo malens offerre, quàm numero vel vni deesse absolutissimę caritatis.

Hinc adeò ægrotos ac valetudinarios miserabatur ex animo: expertus nempe quid sit vexari morbis, ac valetudine incommoda vti. Miseratio enim eiusmodi ex horum maximè experimento progignitur. Quare de Christo Paulus, *Non habemus*, inquit, *Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris; tentatum autem per omnia*. Eos proinde crebrò visebat, verbisque perquàm lenibus consolabatur; curabatque impensè vt ijs leuandis, recreandisque necessaria item, & opportuna omnia quàm diligentissimè pararentur. Expetebat tamen eos diuinæ vsque voluntati suis in cruciatibus assentiri: aditu querelis obstructo, quas, religionis etiam obtentu, comminiscitur caro. Quamobrem ægrotum aliquando inuisens, operarium certè nauum, ac strenuum, querenti, quòd affixus lecto nec statas posset preces soluere, nec rem diuinam facere, nec confitentes audire, nec cæteris, vti salute integrâ, defungi muneribus, hæc reposuit ipse: Pluris ęstimat Deus ita sustineri per mensem, quàm isthęc omnia præstari per annum. Quo dicto illum simul erudijt, erexitque. Et meritò quidem; cum enim religiosum hominem morbo Deus mauult affectum, diuino Numini gratius tunc ille præstare nil potest, quàm ea perpeti, quę ipsi Deus infligit; ampliorque in eo solet cumulus inesse meritorum, nudo quippe, ac perpurgato à propriæ voluntatis, humanarumque destinationum scoria, quæ operibus admiscere sese benè valentium consueuit. Denique vna hęc cum diuina voluntate conspiratio, vniuersum morborum omnium erat illi so-

latium. In animi verò ſenſibus, quos in commentarios retulerat, etiam hic legebatur: Suo æger animo dicat; Vt vt perurat hęc febris, nolo tamen illa carere, ſi placet hoc Deo. Hac ille ratione verbis atque epiſtolis etiam, vt infra exponetur, aptiſſimis, ſolatium, animoſque ęgrotantibus adiungebat.

CAPVT VIGESIMVM NONVM.

Rectoris in Salmanticenſi Collegio munus obit: ſtudetque vt litteræ cum pietate iungantur. Ardor ab ipſo noſtris in Scholaſticis excitatus.

EVerardo Mercuriano Societatis dicto Præpoſito Generali, retentus Romæ, datuſque illi eſt Aſſiſtens Ægidius Gonzalez huius tum Caſtellanæ Prouinciæ moderator: cui muneri ſuffectus eſt Ioannes Soarius: Collegijque Salmanticenſis Rector iuſſus eſt Baltaſar Aluarus: quanquam deſtinatus antea fuerat regendæ Prouinciæ Toletanæ. Verùm is habebat à morbo Valliſoletano tam languidè, tamque difficilè, improſperèq; conualuit, vt impar oneri tanto ſit creditus: regimen illi tunc magis Salmanticenſis Collegij compar fore. Quò profectus eſt anno ſalutis ineunte 1574. At enim comperto iam vires illi imbecilles eſſe, & ipſum adhuc in ſua membra fortiter inſæuire, patentibus iiſdem regiminis demandati litteris, iuſſus explicatè eſt de vniuerſa ipſius ſui cura, ſomno, cibo, amictu, ſententiæ obſequi Michaëlis Marci Theologiam ibi docentis, præſtantis litteratura, religione, ac prudentia viri. Etſi verò admodum eâ cautione conſultum eſt, ne ipſe ſe ieiunijs, vigilijs, afflictationibus excruciaret immodicè; non ſatis tamen prouiſum eo eſt, ne ſupra vires, ſalutemque contunderet; ardore nimirum ſpiritus imbecillitatem corporis fulciente. Quo de ſemine ea morborum, quos diximus, in illo ſeges erupit.

Vbi verò Salmanticam deuenit, ab domeſticis ibi omnibus, qui nempe Methymnæ aut in probatione Magiſtrum, aut in ſpiritu Parentem ipſum habuerant, aut familiari conſuetudine vſi erant, ingenti cum plauſu exceptus eſt: ac regimen confeſtim inijt, cum communi omnium voluptate, fructuque: ac mutua, plurimaque inter ſeſe animorum coniunctione; permulti licet eſſent numero, in principe nimirum huius Prouinciæ Collegio: vbi locus præcipuè fuit ea quæ indicata ſunt præcepta regiminis exercendi. Scho-

laſti

lasticos tamen potissimum accurabat, vt cum litteris pietatem coniungerent. Eòque cohortationes habebat pro diuina, qua in id instructus erat, vi, tanto spiritus igne succensas, vt ij Tyronum ingrederentur ardore præferuidi, in omnibus vniuersè, quæ ad sui castigationem, preces, & consensum in pijs rebus animi pertinerent: exercitationibus interea studiorum integris: eo tamen modo, vt spiritus minimè exanimaretur ab litteris: quòd si nimium sese quispiam in opera pietatis impenderet, moderabatur porrò & illi, vt in studia litterarum incumberet.

§. I.

Effata igitur aliqua momenti plurimi suis in allocutionibus inculcabat. Præcipuum in ijs erat, Interesse cum primis spiritum cum litteris, virtutem cum doctrina coniungere: duo hæc aiebat geminarum earum arborum esse similia, quas Deus in primo illo felicitatis horto conseuit; vitæ alteram, alteram scientiæ: duo luminaria, quæ mundum omnem collustrant: maius alterum, alterum minus: duplicia vestimenta, quibus fortis illa mulier suos domesticos aduersus frigidam hyemem amiciuit, malitiam scilicet & inscitiam: spiritum duplicem, quem sibi ab abeunte Elia petijt Elisæus; quem Bernardus intelligentiam, rectamque voluntatem appellat: geminum Ecclesiæ Institutum, vetus, ac nouum, legem & gratiam: geminas rotas, quibus gloriæ diuinæ currus inuehitur; in quo vitæ spiritus considebat: duas sorores Martham, & Mariam, quæ mutuò iuuant sese, vnâque in domo cóueniunt: quemadmodum verò ab sorore Maria opem Martha efflagitabat, ita & studia quæ sese in plurima ratiocinãdo dispertiunt, ope spiritûs indigere, qui pluribus nominibus ipsa iuuat. Primò quidem, auctoritatem ijs adiungit: namq; vti docet Gregorius, vitâ contemptâ contemni doctrinam, ita etiam contrà; eius doctrina plurimi æstimatur, cuius vita probatur. Deinde, vitam impertit: ex oraculo enim Pauli, *Littera occidit, spiritus autem viuificat: scientia* sola *inflat, caritas autem ædificat*: Et, *væ scientiæ*, inquit Augustinus, *nisi ei dominetur caritas*. Idcirco Regius aiebat Psaltes, *Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me*. Atq; alibi sanctissimus idem Doctor, *Amate*, inquit, *scientiam, sed anteponite caritatem*. Tertiò; vim indit ad persuadendum fieri posse, quod docetur: doctrina enim auribus verbo data, non oculis exemplo subiecta, captu difficilis est: facilis contra, quæ operibus demonstratur. Ideòque Timotheo Paulus, *Attende*, inquit, *tibi, & doctrinæ; hoc enim faciens & te ipsum saluum facies, & alios.*

Serm. 6. de Ascens.

2. Cor. 3. 6.
Ibid. 8. 2.
Ps 118.
1 Tim. 4. 16.

Quartò; constantiam gignit in præceptis; deficiente enim spiritu, languent membra, viresque franguntur.

Hinc scitum aliud ab ipso etiam commendatum diligentissimè eruebat; spiritum nempe conferre plurimum ad processus efficiēdos in litteris: conscientiam maximè ab noxiis expiando: quò Deus, cuius donum scientia est, perpurgato illam animo largiatur. Religiosus vir, aiebat, qui tentare velit sacrarum penetralia litterarum, studeat magis amoliri culpas, quàm moliri commentarios; cupiditates euellere, quàm codices euoluere: munditia enim, integritasque vitæ, auctore Cassiano, oculum aperit, qui Deum videt: at oculum, cui se non occulit Deus, multò etiam minus ipsius res, eiusque historiarum arcana latebunt.

Vsum item precum, tanquam doctrinæ præsidium, vehementer ijs suadebat. Non minus enim, aiebat, orando discitur, quàm studendo: vtpote qui suo, vti iam diximus, experimento scientiam norat, qua imbutus fuerat à Deo per preces. Eòque Abbatem Thodorum ex Cassiano in exemplum ijs quandoq; producebat, factum munditie cordis, quàm lectione, ac studio doctiorem: qui cum diuini cuiuspiam effati sensum sacro in codice diu multumque comminiscendo neutiquam assequi potuisset, in preces effudit sese, in eumque penitus introspexit.

Docebat etiam cupiditatum fræno, spiritum simul, litterasque iuuari; quo suis in rebus litterarijs oporteret vti, ad eas peruincendas, quæ sese ingerunt, difficultates: in his verò cum maximè. Primò vt studendi arceatur fastidium, quo tempore studium imperatur; desiderium, quo inhibetur: vt, cum vacandum est precibus, examinandæ conscientiæ, rebusque harum similibus. Inde verò palam fiet, neminem Christi vestigia premere sine cruce: deflexu nullo, neque ad læuam à tædio, neque ad dexteram ab desiderio; obtentu nimirum, ac nomine impugnandi theses, vel tuendi. Secundò, vt horrorem peruincant submittendi sui, ad Præceptorem & condiscipulos interogandum; vtramque in disceptatione partem obeundi, aut interrogantibus respondendi. Tertiò, vt sese ab altioribus, quàm oporteat, siue ab alijs, quàm quæ profitentur studijs, abstineant; curiositatis adducti potius amore, quàm fructus. Quartò, vt ex consilio Maiorum, Præceptorumque, non suo, animum ad hæc studia conferant, non ad illa; hîc, non ibi; alieno modo, non suo; ad res hasce, non ad illas; hos ad codices, non ad alios: hoc enim pacto successus ipsis meliores existent: Augustino affirmante, Non parua scientia est scienti coniungi: ille habet oculos cognitionis, tu habeto credulitatis. Atqui inscitia est, errorque multorum, qui cum res ex

Obe-

Obedientia tractent, eas tamen constituto ab ea ordine, modoque non gerunt. Quintò, Ne cancellos exeant religiosæ modestiæ, iactando scientiam, seu commissa poscendo: qualia sunt hæc argumenta, hi actus, hæ cathedræ; seu contra, imperata, quæ nolint, munia detrectando. Sextò, vt parato sint animo ad studia, si obedientia iubeat, dimittenda: eorum enim causa si Deus est, vt vt de ijs ille decernat, ex voto res cadet: Eadem verò ratio est huius aut illius, ibi aut alibi impositi muneris obeundi: argumentum enim id est spiritûs eius boni, quo nomen religiosæ vitæ datum est, Præceptoris diuini exemplo, de quo illud est, *Exultauit vt Gigas ad currendam viam*, sui Genitoris obsequelam in omnibus persequendo. Ps. 18.6.

Quare ne litterarum ac spiritûs exercitamēta sese vicissim impediant, feciale inter vtrumque pacis est, in ea ex Dei voluntate aggredi, cuius opera sese non implicant; & qui viam sternit & expedit, vt obsequentes ipsi, ipsiusque amantes locupletet: *Ego in vijs iustitiæ ambulo, & in medio semitarum iudicij: vt ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam*. Magnum quid est, inquit, Theologiam scire: sapientissimum in ea tamen est, vitæ suæ ita nosse rationem instruere, vt nihil ab diuina voluntate desciscat. Sciendi auidus ipse sibi dicat; volatum explicare, nisi Deus hunc dederit, haud equidem valeo; neque is mihi debetur: neque verò tunc id mihi deerit, quod ne ipsius voluntati desim, suffurari nunc parco. Vtque volatus hic mihi aliquando contingere possit, ac prosit, alio rursum præsidio vtor quo apud meum animum ita constituo; inter ipsa nimirum studia, diuinæ voluntati neutiquam refragari, summam hanc esse, qua possim erudiri, scientiam. Huic enim quæ repugnat, non scientia, sed inscitia est; in tenebris est ingredi, non in luce: atque, vt Augustinus inquit: *Nos igitur, quod nescire nos Dominus voluit, libenter nesciamus*. Satis enim est Deum aliquid velle, vt nobis idem exequi sit iucundum. Prou. 8. 20 Præfat. in Ps. 6.

§. II.

EO' etiam, litteris nempe cum spiritu coniungendis, documenta quædam scripto tradidit, quæ Scholasticorum manibus tererentur: quorum summam hoc loco perstringam, vocibus, ad ea magis explicanda, nonnullis adiectis: quò litterarum studiosis compendio esse possint. Scholasticorum, inquit, in Societate vita, munusque, per se quidem ipsa perquieta sunt, ac peridonea, vt ordine constent, ac numero: modò velint, poterunt sese iugiter occupatos habere, non obrutos: quamobrem grauio-

ris

ris ille piaculi reus erit, qui tanto in ordine ordinatè non vixerit. Hæc verò in id proderunt.

Animum primò quietum, anxiaque ſtudendi curâ, ac properantiâ perficiendi imperata, vacuum ſemper habeant: id enim permultos, ac ſtudioſos maximè perturbat; efficitque vt feſtinata perperam fiant; animus verò ineptus ſit precibus, conſuetudinique cum Deo. Studeant etiam, vt virtus ac pietas optimum apud ipſorum animos cum æſtimatione locum obtineant: ijs enim deſtitutæ litteræ impediunt citiùs, quàm expediunt. Atque hæc Societatis ſententia eſt, vti ab ipſius regulis edocemur. Hinc fiet, vt ſpiritualibus rebus plurimum tempus impertiant, eaſque perquàm abſolutè, ac primo loco tractent: quibus nimirum perſuaſum eſt, nihil id litterarum proceſſui obfuturum: Bonauentura ſpondente, *Scientia, quæ pro virtute deſpicitur, per virtutem poſtmodum melius inuenitur.* *In Spec. diſcip.c.7.*

Recta præterea mente incumbant ad ſtudia, in lectionem, vniuerſamq; rem litterariam, ab ea enim hæc exercitia religioſa ſunt. Profani quidem homines, famam, honores, opes, bonaque alia fluxa ijs aucupantur, & ſpectant: at ij, qui perfectiſſimum virtutis cultum cum religioſa vita coniungunt, fores his omnibus occluſere; ſuâque in ſtudijs operâ nil niſi diuinam gloriam perſequuntur; quibus ſeſe inſtrumenta fingant aptiſſima, ad eius notionem, amorem, atque obſequium in omne genus hominum, per probam doctrinam, exemplumque vitæ optimum propaganda. Hanc à nobis ſcientiam Inſtituta noſtra repoſcunt: eumque in finem dirigenda illa eſt, vt ſtudijs, munijſque noſtris animorum quæſtum faciamus: qui ſanè finis cæterorum in terris omniũ excelſiſſimus eſt, atque, vt Diuus Dionyſius ait, *Diuinorum diuiniſſimus*: cumque ſalutis noſtræ Vindex ſuo ſibi aduentu propo- *Ioan. 17.6.* ſuit. Quamobrem inquit, *Manifeſtaui nomen tuum hominibus.* Cumque ſublimis adeò ſit, ſuam in eum operam conferentibus perquàm vtiliſſimus etiam eſt: de quibus ita Daniel: *Fulgebunt quaſi* *Dan. 12.3* *ſplendor firmamenti, & quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates*: & Paulus *1.Tim.4.16.* Timotheo, *Attende tibi & doctrinæ: hoc enim faciens & te ipſum ſaluum facies, & eos, qui te audiunt.*

Ad hoc iuuerit ſua ſæpe ſtudia Deo repræſentare: neque in ea vnquam aggredi, niſi præmiſſa flexis genibus precatione. Deo enim iubente nos opem ab ipſo efflagitare ad proficiendum in litteris, id ſubmiſsè ac ſæpe præſtare fas eſt. Cauenda eſt etiam intemperantia ſtudiorum, quæ & proceſſui obeſt, & mentem rectam obliquat; adeòq; præproperè quiſquam oſtentare ſe nolit. Idcircò, vti Bonauentura docet, præcepit in Leuitico Deus,

Quan-

Quando ingressi fueritis terram promissionis, & plantaueritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum: poma quæ germinant, immunda erunt vobis: quinto autem anno comedetis fructus, & poma, quæ proferent. Dei inform. Nou. c. 15. Leuit. 19. 23.

Ad hæc, omni agant opera, ne stata precum tempora, & quæ in eas, atque in sese melius refingendos, possint conferre alia, ipsis intercidant: nouerintque, etsi vna precationi constituta est hora, hoc ad ipsos quà Scholasticos, non quà superbos, alijsque animi morbi obnoxios pertinere: quibus si laborant, plus multò temporis erogandum est precibus; orandusque Deus est etiam, atque etiam, dum postulata denique exorentur. Permultum enim Societatis, & multò adhuc amplius nostra interest, nos esse perfectos.

Ab studiorum exorsu, ea cum spiritu ardenter coniungere aggrediantur: ferè enim primis media, vltimaque respondent; tepida tepidis, feruidis feruida. Huius verò feruoris imminutionem exhorreant, ne ipsos ea vox Christi formidanda percellat: *Habeo aduersum te pauca, quòd caritatem tuam primam reliquisti*. Quòd si pauca Deus aduersum nos habet, carere metu quî possumus? Quid deinde, si plura, cum in nobis obedientia, submissio, patientia, caritas, cæteræque virtutes refrixerint?

Caritatem, coniunctionemque mutuam custodire omni studio enitantur. Quamobrem vitia hæc sex perniciabilia diligenter euitent: Intimam, præcipuamque necessitudinem cum aliquo: cum primis verò, cum id in oculos aliorum incurrit: Murmura, querelasque in Præceptores, seu fusè, seu strictè legant, superuacuè vel obscurè &c. Contrarias Magistris sequi sententias, inuidiosum est: id verò profiteri palam, Magistri opinione contempta, intolerandum. Significatio quæcumque animi improbantis solutionem Magistri, exemplo est malo: multòque maximè si ea proferatur in publicum: ex quo ij angantur, ac malè de ab se dictis existiment: Parcitas in Professorem aliquem beneuolentiæ, eiusq; indicium, detrimentosa res est; magisque ad quoddam pertinet factiuncularum genus, studiosiùs colere Magistrum hunc, quàm illum, quod cæteri etiam propalam intelligant.

Denique quod ad ipsos attinet, studijs pro virili operam dent; ac tum illorum successus diuinæ prouidentiæ permittant: pace animi, euentu licet improspero, custodita: quod haud arduum fuerit, si vnum in ijs Deum spectent. Si ego (Deus inquit) quærendi sum causa, vtcunque feret euentus, ex animo tibi erit: sibique vacare præstat, quàm, ipso se neglecto, patrare miracula. De cōtemtu mundi.

Hæc documenta sunt à Baltasare perscripta, traditaque Scholasti-

lasticis. Quibus in vsum perducendis, suauia, apta, efficaciaque præsidia adiungebat; peruigili semper cura, vt suæ leges quàm diligentissimè seruarentur ab omnibus; statumque tempus in exercitationes omnes, non precum modò, ac gemini conscientiæ examinis, cæterarumque piarum rerum, sed & in Scholasticas integrè, exactèque nullo temporis effusi hiatu conferrent: pœnis in Magistros æquè, atque in discipulos, sicubi peccassent, irrogatis. Cumque materiatis corporis rebus res etiam spirituales animi adiuuentur, curabat sedulò, ne cuiquam necessaria, opportunaque deessent; quò ipsi curam sui omnem abiicerent: atque vt constituto vacationi studiorum die, rus animi causâ peterent; bonamque valetudinem, ac vires ad repetenda impigrè studia tuerentur, atque reficerent.

Rationem ab ijs vitæ in menses singulos repetebat; eosque alloquebatur sæpiùs, vbi id res priuatæ cuispiam postularent; excitabatque ad pietatem iuxta, atque ad studia: eorum conatus ac labores magni à se fieri docens. Paternum animum vbique semper ita singulis exhibebat, vt communis omnium erga ipsum amor esset, ac reuerentia: ipsumque fidenter omnes adirent in omnibus, quorum aut corpori indigerent, aut animo. Ijs in Scholasticis aliquis (quod ipsemet sacris admotus deinde narrauit) cum ad desperationem adigi se, discruciarique sentiret, opportunius, expeditiusq; nil duxit, quàm vestigio ipso temporis Rectoris cubiculũ, silentio licet noctis, adire. Irrupit ille repente, obscuro; cumq; lacertis prehensum excussit. Excitatus Baltasar, quis sit, rogat. Sed ille ab animi tentationibus perturbatus, responsum aliquandiu distulit, nomen deinde edidit. Tum perquietè Baltasar, Quorsum huc, mi frater, id horæ? O Pater, inquit ille, pereo, & rectâ feror in tartarum. His auditis iussit illum sedere Baltasar, diũq; detinuit, donec blando, efficacique sermone eam penitus tempestatem animi tranquillauit. Hæc eadem eiusdem erat ratio, ac vis, vti de Tyronibus expositum est, in ęstuantibus aliorum animi fluctibus demulcendis.

Allocutionibus denique publicis, ac priuatis, cæterisque præsidijs suauiter adhibitis, ac fortiter, solidum Tyrocinij Methymnensis ardorem, cum litterarum studijs Salmanticæ pro loci ratione coniunxit. Testimonium veritatis huius locuples illud est, quòd Indiæ ad Orientem, & Iaponicarum Insularum Procuratore illuc aducto, cum Generalis Præpositi facultate secum ex ijs aliquos abducendi, qui vltrò sese expeditioni tam inclytæ, tamq; arduæ deuouerent, in ea sibi deposcenda mirum illis omnibus ardorem Deus iniecit, cum patriæ, propinquorum, amicorum, om-

omnium, commodorumque contemptu; cumque innumerorum contra periculorum amplexu, terra marique in disiunctis adeò locis, Ethnicos inter, populosque ferociâ immanissimos. Quòd si cautum constituto numero non fuisset, viduandum erat Socijs Salmanticense Collegium: adeò ardenter, importunèque omnes rationibus, pro se quisque, inculcatis agebant, vt in delectu cæteris præhaberentur. In tam multis verò vocatis, electi modò sunt eam in expeditionem quinque: cæteris ea spe delinitis, illuc & ipsos, alio commodiùs tempore dimissum iri. His illi acquieuere dictis, Obedientiæ nimirum filij, &, quo ingressi antea fuerant, eodem ardore spiritûs processere.

CAPVT TRIGESIMVM.

Egregia duorum Scholasticorum, Ioannis Ortunij, & Francisci Cordubensis exempla.

IN ijs, qui ardorem spiritus hausere præcipuum, ope atque exemplo Baltasaris, Philosophiæ studiosi fuere, quos Salmanticense Collegium à Tyrocinio nuper exceperat, vnà cum Stephano Oiedio ipsorum in maiori Conchensi Collegio olim Magistro, qui cum suis omnibus ferè discipulis conspiratò nomen Societati dederat, salutis anno 1571. Quanquam verò nobilem in cumulum eorum omnium virtus excreuit, duo in ijs tamen altiùs multò, exemplo sanè optimo, sese supra cæteros extulere. Quorum virtutes veluti sibi probè cognitas, ita diligenter adnotauit Oiedius, retulitque mihi non semel; ac scripto deinde tradidit: quas & hac historia existimaui dignissimas: non eò dumtaxat, quia in Baltasaris laudem vertunt, quem illi in rebus animi habuere Magistrum: sed vt exempla tam illustria, sui memoriâ, illud nunc idem in Scholasticis religiosis efficiant, quod eadem in aspicientibus effecere, dum viuerent.

Ioannes Ortunius.

IOannem Ortunium primo loco dicamus, de quo Baltasarem audij quodam in sermone affirmantem, se in Sanctorum Ascetarum vitis nequaquam grandiora legisse, quàm quæ in Ortunio vidisset, tum Methymnæ, cum eius Institutor erat Tyrocinium ibi ponentis, tum Salmanticæ, cum Rector eidem præfuit in studia

incumbenti. Societatem inijt annum ætatis agens vigesimum; in caterua complurium, qui septuagesimo primo quintidecimi seculi anno religiosam vitam eodem in Ordine complexi sunt: præque cæteris miro sanctitatis exemplo per omne Tyrocinij tempus effulsit: & multò adhuc magis breui, quo superuixit, tempore, Salmanticæ studijs Philosophiæ dans operam. Præstanti erat ingenio, curamque in studia plurimam conferebat; nihil tamen à pretiosa virtutum exercitatione remittens; re ipsa docens, quantò plus illis tribueret, quàm litteris. Obedientiâ, ac sui castigatione, tum intima animi, tum extrema corporis cum primis excelluit: accedebatque modestia, morumque forma tam exacta, tam constans, vt mirificum eius animum, quietum, compositum, domitoremque sui perspicuè indicaret. Subministrum ibi tunc agebat Ioannes Rodriguez, vir sanè persanctus, silentij tenax, ac pœnarum amans, Rectorisque, ad suum integrè munus obeundum, imperatis quàm qui maximè obsequentissimus. Huic Rector mandarat, vt Scholasticos tum Theologos, tum Philosophos, sed hos præcipuè Tyronibus nempe propiores, cohibendo, munijsq; humillimis occupando, haberet exercitos. Et verò Rodriguez suopte genio in eiusmodi exercitia cum amore propensus, admoto sibi præterea ab obedientia stimulo, nihil in eo diligentiæ suæ desiderari patiebatur; multifariam illos continenter exercens; Ortunium verò maximè probatum sibi cum primis, sæpe illum, ac exquisitè pertentans. Lycei ostium, dum dimitterentur Scholę, obseruabat; statimque Ortunium, ac Franciscum Cordubensem, de quo deinde, accersitos in culinam collutum ollas, lancesque, aliaque eiusmodi factitatum, consultò ipsis quotidie reseruata, mittebat: quibus illi vacabant animo iucundiore, quàm lectioni; nihil conquesti, causatiue, vt excepta à Magistro recognoscere liceret. Quæ quanquam Præceptoris animum vellicabant, proque ijs ille instabat interpres, ne à studijs auocarentur id temporis: at illi nil pensi habere, nisi vnum hoc, obsequi, seque ipsos ex animo cum voluptate contundere.

Hic verò Ortunius in tantum excelluit, vt ipsius obsequela propè abesse à prodigio videretur: tam syncerè, accuratè, absolutèque parebat, veluti subiecta exempla statim euincent. Vesperâ per hyemem ab niuibus, ventisque perhorridâ, Ioannes Rodriguez Ortunium sub crepusculum ipsum noctis offendit propter ambulantiunculæ balaustia modicum in impluuium exeuntis, aitque, hic me, Ioannes, expectato, dum redeam; est enim vbi tua operâ mihi sit opus. Abijt Pater, eique res deinde, quæ interuenerant, aliæ dicti memoriam abstulere. At religiosissimus frater, simula-

mulacro persimilis, ne vestigio quidem inde loci se mouit; tempestate perfrigida; ventoque perfurente, admissâ per hypetrum niue eius pedibus incumbente. Noctis hora iam nona erat elapsa, neque in prima, neque in secunda mensa cœnarat Ortunius: illum desiderari ex ipsius condiscipulis non nemo aduertit, admonuitq; Magistrum. Perquisitus tota domo Ioannes est: verùm, irreperto, de illo quæritur ex Ioanne Rodriguez: at hic oblitus nempe quod iusserat, scire se de illo negauit. Quæritur iterum; ac dum per eam ambulatiunculam itur, in ipsum obitur torpentem frigore, pedibusque à niuibus penè iam obrutis. Obiurgantique forte Magistro, & quid id loci, id temporis ageret percontanti, placidè inquit, Ioannes Rodriguez iussit me hic expectare, dum redeat; neque verò rediuit adhuc. Miraculo fuit omnibus hæc obedientia: quem etiam nisi tum comperissent, ille ibidem profectò in insequentem lucem hilarè perstitisset.

In huius Collegij atrio consitæ tunc areolæ florum erant: eę distributæ in Scholasticos Administri iussu sic erant, vt in suam quisque tres aquæ situlas singulos in dies infunderet; quò, per æstatem nempe, viror custodiretur in floribus. Per quandam tamen hebdomadam decidit è cęlo pluuiæ plus satis: atquî perinde Ortunius tribus aquæ situlis suam tunc etiam areolam aspergebat: spectantibus id compluribus: cumque increpanti Magistro, quòd in pluuia tanta conuectâ adhuc aquâ areolam irrigare non parceret, perquàm modestè, submisséque respondit: Pater, iussus sum quotidiè conuectare tres aquæ situlas; neque adiectum est, parcerem verò, si plueret. Integritatem discipuli, sanctamque obsequelæ cęcitatem admiratus est Pater, & conticuit.

Et adhuc is eiusdem obedientiam in alia re suspexit magis. Operam Philosophiæ cum Scholasticis dabat Sacerdos virtutis plurimæ, optimique exempli; rudi tamen ingenio, memoriâque tam vacuâ, vt quicquid ab docente auditum per vnam aurium influebat, per alteram confestim effluerct. Eam Magister prouinciam demandauit Ortunio, vt ab Schola quotidie, quæ ibi lecta fuissent, huic Sacerdoti recoleret; eiusque facultatem, quantum sua posset industriâ, adiuuaret. Id verò ipsum diligentissimè Ortunius perseueranter præstitit, & amanter: quouis tempore, quęcunque interroganti incredibili caritate explanâs; nullo prorsus edito impatientiæ signo, vel tędij: quanquam id laboris omni cassum fructu, ac spe profectûs in illo esse liquidò intelligebat. Magistro verò ab se quęrenti, quomodo cum socio res haberet, hęc solummodò respondebat, Prę̨stat, quod potest. Tantam omnes tolerantiam mirabantur: cæteri enim condiscipuli altero

die, vel tertio, eo docendi labore irrito fatigabantur; at ipse suum munus neutiquam vnquam fractus obibat.

Nec verò tacitum prætereo, quod illi tunc accidit; argumentum sanè reuerentiæ, quâ summâ colebat obedientiæ vel vmbram. Sub annua studiorum initia, festo circiter D.Lucæ die excepta à Præceptoribus recolentes Scholastici fortè considebant in lapide. Ijs Moderator semel ità conspectis, per salis vrbani speciem ait, Mensibus erratis super lapidem ne sedeatis. Summus obedientiæ cultor Ortunius dictum accepit ipse tam seriò, vt iam tum inde, dum totum se conuolueret, atque elaberetur Aprilis, sedente licet socio in lapide, staret ipse: Maio deinde ineunte, & ipse consedit. Quærentibus verò, qui rem aduerterant, nonnullis, ecquod in eo esset arcanum? persyncerè respondit, Admonuisse Rectorem, ne mensibus quorum nominibus littera, r, inesset, super lapidem sederemus; ideòque se, nisi postquam Maius inierat, non sedisse.

In omnibus obedientiæ rebus etiam tantulis integritatis eiusdem solertissimus erat custos, acciditque persæpè, vt inter scribendum, seu campano ære, seù voce, Præpositi nomine, aliò euocaretur: ac tum consultò is, cui licebat, introiens, inchoatam ab illo, necdum perfectam litteram inueniebat; ne, quod nostræ imperant leges, vel minimam sereret obedientiæ morulam. Hinc exactissima illa peculiaris examinis, pro more Societatis, de singularibus vitijs accuratio: adiunctis illius ad vnum omnibus custoditis; adnotandi, conferendique errata vnius diei cum altero. Quod & extremo morbo, ad proximum vsque ab supremo vitæ die præstitit: libello ad id clanculum habito, ne obseruaretur ab alijs: exemplum in eo secutus Ignatij, de quo testatum idem accepimus. Gestiebat enim maximè Fundatoris sui, quem à Deo ducem accepisset, vestigijs insistere.

Iam verò de ipsius postremo morbo quid dicam? is enim, arcanæ, ac permolestæ vomicæ fuit, qua illi sedendi facultas adimebatur. Aliquot hàc tamen dies occuluit; tum quòd citra periculū, intra quod tamen erat, eam esse putabat; cum etiam, quòd illā, præ pudore modesto, Chirurgi oculis refugiebat exponere. Doloris denique vi compulsus morbi fecit indicium, à quo nimirum non rectè, sed obliquè dumtaxat sedere poterat in Liceo. Quod vbi Præceptor aduertit, rei causam ex illo quæsiuit: ac respondenti, & tuberculum in ea, qua sedemus, parte causanti, Tuberculi, Præceptor inquit, gratiâ sic sedendum? Optimè mones, Pater, ait Ortunius, triduoque insequenti rectus ęgerrimè sedit; sensu tamen omni doloris occulto. Sed eò vis morbi tandem excreuit,

vt,

vt, Moderatoris iussu, Medicum atque Chirurgum de illo cognoscere oportuerit: qui summo in periculo rem esse affirmarunt. Cumque iam malum altiùs descendisset, eo per terribilem lanienam excruciato opus fuit. At ipse instar lapidis, nec secantis manum refugit, neque notam doloris vllam, aut questum, gemitumue edidit: nemine vim tantam, atque patientiam non mirante. Visentes omnes læto vultu excipiebat; perplacidaque responsa reddens, aiebat, In manu Dei sum: de me suo pro nutu decernat, vt libet; nec mortem ab ipsius manu formido, nec dolor absterret. Denique laborum ad metam venit; atque in remedijs nullam iam super spem esse condocefactus est. Ad mortis nuncium perfusus est gaudio. Labes animi omnes exorsus à principio, Magistro suo Oiedio ritè confessus est, cum vi lacrymarum vberrima, ob errata tam leuia, vt, qui aures conitenti dedit, in eo non modò nihil capitale, aut de capitali dubium reperisse se affirmarit, sed ne veniale quidem aliquod grauius, nequiter, & cogitatò admissum: & verò ætatis ipso in flore, annum tunc illo agente tertium atque vigesimum. Post expiatum per sacram Exhomologesim animum, efflagitauit ab Rectore cum lachrymis, iuberet fimo solum insterni, super quo animam exhalaret: id sanè ingenti fore sibi solatio, quòd morientem sese pro meritis inquinatissimæ suæ vitæ conspiceret. Hos inter, aliosque caritatis in Deum ardentissimæ affectus, cæteris Sacramentis instructus, suauiter, placidèque spiritum sic efflauit, vti sanctissima ipsius vita commeruit. Quæ profectò mirifica cum primis fuit: eius enim silentium iuge, caritas in omnes præsignis; in induendis, exuendisque vestibus Angelica prorsus honestas; conscientiæque tanta integritas, atque munditia, vt Magister ipsius, & alij diligentissimè obseruarint, num vitium in eo vllum, aut labem deprehendere possent, neque porrò potuerint. Ad domesticorum solatium, allocutionem Baltasar habuit, de egregijs Socij eius persancti virtutibus: de quibus illud, vti diximus, affirmauit, nihilo minus admirandas eas fuisse, quàm quæ de sanctissimi eremi cultoribus memorantur. At enimuerò, cum Deus idem perpetuò sit, neque vnquam *abbreuiata sit manus Domini*, nihil sanè mirum, quòd ita & nunc, velut olim, suos in obsequentissimos, amantissimosque famulos thesauros suæ largitatis effundat. Etenim, si diuinæ ipsius gratiæ nostram operam velimus adiungere, in omnibus, perque omnes, qui se præstabunt idoneos, res ille perficiet admiratione omnium, suaque præpotenti maiestate dignissimas. *Isa. 56. 1.*

Fran-

Franciscus Cordubensis.

IOannis Ortunij socius in probatione, studijsque Philosophiæ Franciscus Cordubensis fuit, Cardonæ ac Segorur Ducis, Marchionis Comarensis filius, qui Salmanticensem Vniuersitatem rexerat: diuinoque actus impulsu eodem septuagesimo primo quinti decimi seculi anno sese Socijs aggregauit. Tyrocinium Methymnæ sub Baltasare posuit: eodemque sub Rectore Salmanticæ Philosophiam, ac Theologiam edoctus est. Ab ipso statim initio seriò admodum in studium perfectionis incubuit: tamque altè imbutus est spiritu Societatis, vt res illius vniuersas accommodas esse sibi, ac percommodas dictitaret. In primis ipsis piarum cōmentationum exercitationibus tanta fuit à Deo, ob initæ à se vitæ rationem, voluptate delibutus, vt inuisenti se Magistro Oiedio Conchensis Collegij tunc Sodali, suoque perfamiliari, cum is persuadere sibi non posset, eo in instituto Francisci animum iuxta esse lætum, ac vultum, errorem illum depulsurus ab homine, iurandi licet in vita liberâ insuetus, sanctè tunc iuratus hæc dixerit: Ita mihi ex animo nunc est, adeòque persuasum habeo, hoc vitæ genus meæ maximè saluti, perfectionique conducere, vt si nunc mihi tergeminum diadema Pontificis, & quæ humana possunt impertiri omnia deferrentur, nihil mouerer, mutarem nihil; quin immo ea omnia in purgamentis haberem. Hinc adeò Magister idem, cuius iam animum diuinum numen agitabat, de eadem ineunda via, vitaque constituit. A spiritalibus exercitijs triclinium iussus instruere, eo munere tanto cum ardore, ac solatio fungebatur, vt flexis genibus, cum osculis, lachrymisque pauimentum euerreret; non sine plurimo in spectatoribus sensu pietatis excito. In abdicando, edomandoque sese cum primis excelluit: atque, vt altiora humilitatis Christianæ iaceret fundamenta, abhorrebat ab ijs penitus, quæ magni ab hominibus fiunt; rebus omnibus sibi honorificis studiosè contectis; auidèque ijs, vnde contemni posset, expositis: ac prudentiâ instructus humanâ maiore, cum id ad submittendum sese conferret, dissimulabat tamen, ita vt id non à virtute, atque ex industria ab ipso fieri intelligeretur, sed, vnde despicatior esset, quòd melius haud sciret, aut posset. Vacat hic egregia horum exempla proferre.

Sui submittendi studio suam operam non Tyro dumtaxat, sed & Scholasticus commodare coco gaudebat; festis, feriatisque à studio in hebdomada diebus, sibi culinæ ministeria, verrendi, colluendi lances, cibosque parandi à Moderatoribus deposcebat; per

vitam

vitam enim anteactam liber plurimum, aiebat, hac in arte profeci: eamque hic benè collocare nunc peruelim; vt optimis Dei famulis boni aliquid edulij parem.

Vectarij etiam iumenti in stabulo curandi veniam flagitabat; id quoque se plurimum callere confirmans. Ad hanc rem, Salmanticam aduectus est Patrum aliquis equo tam debili, exsucco, plagoso, defectoque, vt inutilis nempe remittendus mox esset in agrum. Eius ipse in se curam, Ministro, annuente, recepit: abstergebat vlcera, & curabat: conuenitque de campo trans pontem, in quo aliquandiu bellua curaretur. Petijt à Moderatoribus, vt per ipsos illam eò liceret abduci; at illi annuêre, rati belluam illuc à quopiam ex domestico seruitio deductum iri: at ipse, loco nimirum vsus, pileum, palliumque detritum, atque pannosum insigniter sumpsit; contum brachio prægrandem subiecit; funem manu, multamque vim stupæ præsetulit: expositâque sic, vt omnium pateret obtutibus, supellectile hac vniuersâ, tractam reste belluam per vrbem mediam agitabat. Propter Collegium, iuuentute ab Scholis dimissis abeunte, ac spectante traiecit; omnesque admiratio tenuit ab aspectu viri tam clari, eiusque aliquando Academiæ Rectoris, eo habitu, animo tam iucundo, vultuque tam hilari ingredientis. Hac ille ratione belluam perduxit in campum; triumphatis humanâ pompâ, fastuque, maiori cum gloria, quam Romani Cæsares de cæsis hostibus triumphos tota in Vrbe ducebant. Rem verò vbi Præpositus rescijt, hominem, quòd illac transierat, increpuit: Ille gesta à se submissè occulendi scitè percallidus, blandè, comiterque, Pater, inquit, ego nimirum egregiè piger, perputaui mecum, qua compendiosiore via illuc tendere rectâ possem, eaque propter illac ingressus sum.

Is tūc erat Gundisalus Abulensis.

Et adhuc altius eius sese prouexit humilitas. Cum enim optimi esset ingenij, limatique iudicij, stupidum, bardumque simulabat; deque industria, vt parui fieret, palmares aliquando effutiebat ineptias. Concionem, pro Scholasticorum more, in triclinio semel habens, in controuersiam nescio quid adduxit de Sancti illius vita, quem laudabat; ea in re geminos codices, quibus nomen esset, Flos Sanctorum, pugnare inter se mutuò affirmans. Vbi, quid sentiret ipse, subijciendum fuit, sequor, inquit, exemplar Floris Sanctorum Cæsaraugustanum, ideò, quia litteris excusum est grandioribus, easque porrò planiùs intelligo. Atque hic, subridentibus nempe qui aderant, suspensus ipse aliquandiu hæsit, similis nescienti, quid in ea re aptius afferret in medium. Palæstræ verò exercitationis causâ, diuino factum est nutu, vt in

Scholaſticis aliquem lateret ſpiritus, quo vir hic egregius ducebatur; cumque Mineruæ tam pinguis eſſe putaret, quàm ipſe vltrò ſe proderet. Quare hominem, ab eoque dicta, geſtaque, perinde atque inſulſa, abſurdaque ab hebete coram ipſo etiam deridebat. At Franciſcus opportunitate vſus eſt ſubmiſſionis item,& caritatis augendæ: irriſoremque ſuum voluptate ſimul, atque honore ſtudebat afficere. Menſæ in triclinio adminiſtrans, illi ferculorum optimum deferebat. Per quotidianam à menſa domi, ſiue per hebdomadariam ruri,animi remiſſionem, adiungebat illi ſeſe, quò anſam ipſi aliquam ſui deridendi præberet. Quod porrò cum Magiſter ipſius Oiedius animaduertiſſet, quæſiuit ex eo, cur Scholaſtico illi perpetuò aſſideret, profeſſus nempe neceſſitudinem cum eo tam intimam, non ſine peculiaris in eum animi nota: cumque illum diù, multumque vrſiſſet, vt cauſam exponeret (intelligebat enim id non carere arcano) illud eſſe inquit in cauſa, quod ab ſocio illo probè noſcebatur, accipiebaturque pro meritis: Tu, Pater, ac reliqui, quaſi aliquis ſim, multum in me confertis honorem: id verò mihi nil proficit: at verò ſodalis hic me quidem penitus introſpicit; eoque habet loco, quo merui; cum irriſione nimirum mei, rerumque mearum: id verò mea plurimum intereſt; cumque hoc, vt conſueuit, habenda mihi eſt conſuetudo. Audijt; altiſſimamque ſui diſcipuli ſubmiſſionem ſuſpexit hoc in reſponſo Præceptor.

Accidit ambobus aliud, quo eiuſdem ille ſubmiſſionis locuples præbuit argumentum. Per Dominicos cineralium ieiuniorum dies, ad pias exercitationes, pedites, ac pedetentim proficiſcebantur in pagum, duabus ferè leucis ab Salmantica diſiunctum. Concionabatur Pater, aureſque confitentibus dabat: Franciſcus tradebat ruſticis cathechiſmum: puerorum cœtui adiungentibus ſeſe viris, fœminiſque plurimis, ac pago ferè vniuerſo, ſub veſperam. Fructuoſus ijs omnibus, caruſque ſic ille fuit, vt in ſequentis anni quadragintadiales ferias eoſdem ſibi dari Patres ad ſe adiuuandos, quos ſuperiore anno acceperant, flagitarint. Poſt paucos Dominicos dies, aliquorum ſermone Scholaſticorum, qui eò ſe Salmanticâ conferebant, Franciſci vulgatum eſt genus: ſummèque propterea ab omnibus coli, atque ab aliquibus cœptus eſt cum honore Domini appellari. Tulit id grauatè Franciſcus, omnique connixus eſt operâ eam ab eorum mentibus opinionem expungere: cocum ſe fuiſſe, & colonum affirmans, qui de agrorum cultura poſſet ipſos in examen vocare. Verùm cum id non valeret ſatis ad infixas iam animo perſuaſiones, & ſignificationes in ſe obſeruantiæ amoliendas, ſtudio quàm potuit maximo apud

Præ-

Præceptorem, Rectoremque egit, ne se eum in pagum deinceps ille ductaret, hic mitteret. At illi denique, vt Ortunij angori parcerent, annuêre: tantumdem enim molestiæ ex impenso sibi honore capiebat ipse, quantum ex negato vanitatis aucupes cruciantur.

Quæ quàm prodirent ex animo, testatum magis vt sit, rem referam ab ipso cum condiscipulo gestam, quicum conuenerat, vt de ijs, quæ inter se inuicem animaduertissent, vitijs, alter alterum caritate mutua admonerent. Cumque ab ipso alter aliquoties pacta repeteret, excusabat incuriam; eam à se emendatum iri promittens: donec aliquando socio perurgenti respondit, adeò se ab suorum intus tot vitiorum vestigatione distringi, vt sibi in aliena inquirere non vacaret. Et verò ita res erat: etenim honorem omnibus habens, vnum se habebat ipse despectui; cumque suas esset in mendas lynceus, in alienis cœcutiebat. Neminem proscindebat vnquam, intimè omnes accipiebat in animum: ministerio, atque solatio quàm poterat maximo ægrotis indulgebat sese; quantumque in ipso erat, Societatis in illos caritatem, ac studium promouebat.

At enim, viri optimi exercendæ virtuti, eam erga ipsum curam amantis Dei prouidentia desiderari permisit. Profectus ab Vrbe fuerat Valetudinarius, muneris sui scientissimus in paucis; subrogato illi ipsius adiutore laico Nouitio; qui Religiosus ab agricola, litterarum rudis, neque inscius minus erat studij in ægrotos. Graui correptus interea est tertiana febri Franciscus: at illum proualetudinarius adeò incogitanter, importunèque curabat, vt ingrauescens morbus vergere in discrimen occœperit. Franciscus ipse deinde, gesta tunc secum ab illo per inscitiam, miseranda quidem, & sanè miseranti mihi narrauit. Vnum dumtaxat horum meminero, quod hausti ab eo pharmaci die actum est; is erat Sabbati. Tyroni in Societate ab rure, in quo adoleuerat, recenti non venit in mentem sepositè, ac priuatim parare cibos ægroto. Vbi verò iusculum illi dandum fuit, communem in cacabum inter exta, aliaque eiusmodi, more gentis, esculenta, quartam pulli partem iniecit: hausit hinc deinde ius; quo gustato, censuit ægrotus id potionis satius esse non sorbere. Post horam, incoctum, durumque, spumâque amplius carnium delibutum extulit inde pullum. Glutire scilicet ne bolum quidem æger ex eo potuit. Erat à purgatione, sudoreque in tertianâ perimbecillus; eoque refectu cassus, quem naui, scientesque valetudinarij, per hæc morborum damna, suppeditant. Neque tamen conquestus vnquam est, aut vllum ægrimoniæ signum edidit: quin mutire nec voluit,

donec adduci ſe in vitæ diſcrimen intelligenti, animum inceſſit religio, poſſetne citra noxiam, tacendi gratiâ, vltro mortem oppetere. Auſus minimè fuit aliquid hic per ſe ipſe decernere. Sub illam purgationis ſuæ veſperam Patrum aliquem, cui religioſi æui, atque virtutis plurimum erat, Gonzalum Gundiſalicum, aduerſum ſeſe, opinione omnium, perſeuerum accerſijt: ratus ab eius reſponſo tutam ſibi rem fore. Eam igitur ſubmiſsè, ſecretòque Gonzalum edocuit: de qua ex illo quæſijt, propiùſne ad perfectionem accederet, reticendo, vitâ decedere, quàm, quo egeret, moderatoribus aperire: conſtituerat enim certò id ſequi, quod ſanctius. Prô virum verè cupientem nihil, ſuique amori demortuum, qui ne vel apicem perfectioni detraheret, tantum moleſtiæ, mortemque ipſam deuorare decreuerat, cum, verbo tantùm vno, vniuerſum poſſet difflare periculum! Dubitantem audijt prudens animi, virtutiſque Magiſter: ac Medici ſolertis inſtar ægrotantis virtutem, ac tolerantiam probare voluit, atque prouehere: ſuaſitque illi vt ſileret, diuinæque voluntati ſeſe permitteret; neq; opportunitatem patiendi tam inclytam, quæque ſua ſe ſponte obtuliſſet, infructuoſam ſibi vaneſcere pateretur. Atque hic ab illo digreſſus Præpoſitum adijt: reque, veluti agebatur, expoſitâ, quàm properrimè, amantiſſimo cum animo conſultum eſt indigenti: ex quo quæſtum quidem promeriti Franciſcus fecit, quòd contempto periculo, abſtinere indicio conſtituerat; rurſus etiam præſenti ope laboranti ſubuentum eſt, pro ſolerti nempe opitulantis induſtria. Vnaque omnium ſententia fuit, eo in Collegio, in quo tantum erga ægrotos erat ſtudij, & amoris, ſine prouidentiæ diuinæ conſilio, ſocordiæ, incuriæque tantæ locum eſſe non potuiſſe; vti nempe virtus egregia ægrotantis omnibus eſſet, eo experimento, teſtatior.

In hac ſui edomandi arena pergentem ſeſe exercere Franciſcum, cæleſtibus donis diuina largitas exornabat: in conſueto præcipuè diuini ferculi vſu, in quo ſanè illi perquàm rara eueniebant. Quãobrem illum ætate iam grandi, refugum tamen, repugnantemq; altero Theologiæ ipſius anno, ad ſacra myſteria conſciuere. Ad quæ capeſſenda etſi frequens diuinæ menſæ accubitus poterat ipſius animum proritare, ab dignitatis tantæ tamen celſitudine illum excelſa humilitas abſterrebat. Ordini Sacerdotum adſcriptus, Dominicis, Feſtiſque diebus confitentes audiebat, litteris in id, ac prudentiâ ſatis inſtructus. Veniam tamen à Præpoſitis petijt, ne liceret ſibi alios audire, quàm pauperes, ſeruos, atque plebeculam. Adeòque his, non alijs aures, operamque dabat. Quòd ſi ipſum illuſtrior quiſquam adiret, hunc ipſe ad alium Confeſſa-

rium

rium cum eius commendatione dimittebat: suoque munere tam vtiliter fungebatur, vt multum ab eo fructum pœnitentes secum auferrent. Quos cum de pijs animi rebus per priuatos sermones aliàs alloquebatur, submissè comiterque præstabat id æquè, atq; si quisquā esset ipse illorum compar, loco nimirum natus obscuro: seq; talem ijs approbare studebat, vt eâ gratiâ in se quidem humilitas, in ijs verò agendi secum fiducia augeretur. Domesticis etiam famulis, mediastinisq; vacabat; quibuscum à mensa de rebus, quæ ipsorum muneris erant, instituebat primò sermonem; mox de ijs, quæ spectare primò debent, qui Christum ritè, pièq; colunt; hoc est, de immortali animi salute: illos proinde summa Fidei elementa, reique diuinæ sacrum ministerium edocebat: atq; ad modestiam, ac totius corporis condecentiam extimam custodiendam, ad diuina mysteria Confessionis, & Eucharistiæ frequentanda tanto cum successu hortabatur, vt religiosa quædam in ijs species elu-ceret.

Perductis in exitum studijs tertium Tyrocinij annum posuit Villagartiæ sub eodem Baltasare: in qua eâdem probatione adiunctus ego tunc illi, eius virtutum, gliscentisque in eo semper ardoris pristini spectator interfui; donec eodem in Collegio, eodemque anno, diem, vt exponemus, obiuit.

CAPVT TRIGESIMVM PRIMVM.

Magistrorum perfectioni præcipuè studet. Francisci Riberæ sacras ibidem litteras docentis virtus insignis.

QVanquam in id, vti commostratum est, tantum studij Baltasar conferebat, vt Societatis Scholastici, quo dictum est modo, litteras cum virtute coniungerent; multò tamen maximè id in Pręceptoribus, imbutisq; iam litteraturâ expetebat scilicet, & accurabat: à quibus nimirum præcipuè virtus pendet, ac religio discipulorum. Hi enim ferè, veluti plurimum tribuunt multo cum amore Magistris, à quibus litteras edocentur, ita religionem etiam, ac sanctitatem amant, & æstimant, quam ab ipsis amari æstimarique conspiciunt: atque ex illorum dictis & factis, virtutes, quas illi præseferunt, anteferuntque scientiæ, cum voluptate condiscunt. Ipsi verò Præceptores, exemplo vitæ probo, auctoritatem, fidemque sibi ipsis, ac suæ doctrinæ adiungunt; cui pro-

inde plus amoris, æstimationisque conciliant. Quòd si de rebus doceant producendis in actum, viam, ad id faciliorem, proniorem que consternunt: namque ex Petri Chrysologi effato, *Magisterij auctoritas constat ex vita: docenda faciens obedientem perficit auditorem*. Contra verò vita seu praua, seu mendosa Præceptori, ipsiusque doctrinæ auctoritatem, fidemque abrogat. Vt enim Bernardus affirmat, *Cuius vita despicitur, restat vt prædicatio contemnatur*. Vehementer adeò Baltasar optabat, vt Professores, ac sacri Oratores virtute, ac spiritu præpollerent; seque ipsi ante perficerent, vt in alijs deinde possent processus efficere. Aiebat enim, deflendam rem esse, memoriam, & autographa referta cuipiam esse veris, solidisque effatis, eidem verò animum vacuum esse virtutibus: Rursum perturbatè cum primis eos agere, qui quæ studendo comminiscuntur, omnia ad alios referunt, nihil ad sese. Atquî proximorum vnus, ac primus, cuius habenda ratio est, ego ipse sum, ex Salomonis oraculo, *Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui: deinde deriuentur riui tui foras, & in plateis aquas tuas diuide*. Asserebat item, ab litteratis viris virtute cassis, inanibus, ac elatis, Dei Ecclesiam, ac religiosas familias ingentia damna suscipere: quòd si integrum id ipsi foret, ab se quidem inflatos huiusmodi, plenosque sui homines, vt vt ipsi sibi Ecclesiæ, Ordinumque religiosorum columina esse videantur, in culinæ ministeria detrusum iri, eas vt inter sordes iactantior illa ipsorum gloriola detumeret. At verò eruditos, qui sese ad diuinæ mentis exemplar effingunt, suamque scientiam cum virtute coniungunt, honore afficiebat, æstimabat plurimi, Deoque optimè commendabat; atque omni, qua poterat, ope iuuabat. Eos enim pro columnis Ecclesiæ, Ordinumque Religiosorum habebat. Et sanè huius generis, laudisque viros suo ipse in Collegio Dei beneuolentis munere sortitus est.

Serm. 167.

Serm. 2. de Resurrect.

Prou. 5. 15.

Præsertim verò cum de sacris per constitutam lectionem explicandis litteris ageretur, vt innixam ijs Theologiam Scholastici quàm absolutè condiscerent; earum interpretem illum suo Collegio dari percupijt, in quo doctrinæ præstantia cum vitæ sanctimonia conspiraret. Datusque is illi à Deo est cumulatè pro votis, Franciscus Ribera, quem in Tyronibus instituerat ipse Methymnæ; cuius ab exemplo virtutum spes illi certa erat excitatum ac promotum iri Scholasticos. Compendio perstringam has breuiter eò, quia multis ad eum nominibus pertinent, quem habuit Ribera in primis vitæ religiosæ vitæ cunabulis Formatorem.

Præclarus hic vir in Sodalibus insignis Archiepiscopalis Collegij Salmanticensis fuit; elapsoque iam tempore, quo eius dabatur

con-

contubernij copia, patrium in oppidum, Villacastinum se retulit; ibique in sacrarum litterarum studijs & totus erat, & præstabat in paucis; Latinè, Græcè, Hebraicèque scientissimus. Diuini interea Numinis consilio factum est vt quæ spectabat, expetebatque, successu carerent: quod auspicatissimum ipsi fuit. Fortè enim Villacastino traijciens Martinus Guttierius Salmanticensis Collegij Rector, in quo notus ipsi Ribera fuerat, eiusque & consuetudine vsus erat, & confessiones exceperat, salutatum illum adiuit: postque res inter se nonnullas collatas in medium, decretum sibi esse Ribera dixit in domum sese recipere ædiculæ proximam Deiparæ Virginis, quam ipse præcipuè colebat: illinc ad concionandum in finitima circum loca discurrere; cæterumque tempus in librorum, ac litterarum tractatione conterere. Quærentique ex Guttierio, quid eo de vitæ genere sentiret, respondit ille: probari quidem sibi consilium; aduerteret tamen rem sibi ab ipso carissimam omnium, voluntatem propriam reseruari. Hoc illi verbum, cælestis vi lucis, diuinique afflatu spiritus, in cor tam altè descendit, vt iam tum supremum vale mundo dicere, nomenque Societati dare constituerit; in qua eadem tractare studia posset, ac munia, nullo suæ voluntatis arbitrio, vnoque obedientiæ ductu, quæ nos diuinæ voluntati coniungit.


Ab his ita secum animo destinatis, quanquam propinquis suis matronis nonnullis honestissimis prouisurus dies aliquot supersedit, peruictis denique difficultatibus omnibus, Salmanticam profectus est, vbi illum Guttierius anno salutis 1570. in Societatem admisit: atque inde Methymnam ad Tyrocinium ibi ponēdum sub Baltasare Institutore discessit. Vbi oculatus vidit, quod de ipso in suorum librorum aliquo testatum reliquit, eum fuisse hominem, qui & vacaret cupidissimè precibus, & sibi acriter imperaret; valeret sermone perplurimum, quem cordibus infigebat; summaque præditus esset dexteritate ad Deo proximos adiungendos. Optimè deinde vsus tanto Magistro, ijs & naturæ dotibus, & gratiæ præsidijs, quibus ipsum Deus instruxerat, spiritum Societatis perinde hausit, ac si in illa adoleuisset à puero; in omni quidem virtute præstans egregiè, sed in ea cum primis, quæ ipsum in amplexum Societatis adduxerat, obedientiâ: regularum omnium, rerumque, quas iuberent Præpositi, custos quàm diligentissimus, non per probationem modò, sed in omni omnino vita: nullo in litterarum studijs, rebusque, quas gessit, alijs, admisso tepore, aut legis cuiuspiam vel leuioris incuria. In compluribus valetudinis imbecillæ incommodis, numquam sine venia sitim potu sedauit interdiu: cubiculum bis in hebdomada euerrere nunquam omisit;

omiſit; neque domi, foriſque, poteſtate ſibi non factâ, epiſtolam vnquam, aut codicillum legit; nec litteras item ipſe cuipiam ſcripſit, niſi petitâ prius facultate; nec miſit, niſi poſtquam illas oſtendit. Et aliquid fortè ijs iam exhibitis aliquando adijciendum occurrit, ac tum etiam epiſtolam, non niſi commonſtratâ prius appendiculâ, obſignabat. Cum enim conſentanea legibus ea omnia eſſent, ne veſtigio quidem, ac puncto ab ijs diſcedere volebat. Modeſtiâ fuit, ac totius corporis habitu, rerumque gerendarum modo ſpectatiſſimus. Animi ſubmiſſio in illo planè miranda: aliorum ſententias, vbi ambigeret, libentiſſimè audiebat; eratq; diſcendi ab alijs, quãquam minus ipſo ſe eruditis, appentiſſimus: in conſuetudine verò comis, & iucundus, & qui præſtantium ſuarum exemplo virtutum animos ſibi omnium deuinciret. Ipſius ardor longè alius ab eo adoleſcentium Tyronum erat, qui non ſecus ac ollæ gliſcentibus flammis appoſitæ, immoderanter ebulliunt; & quæ intus coquunt, cum fragore redundantes effundunt; ſed feruor erat grauis, ſolidus, & quietus; atque ollæ ſimilis igne lento feruentis, atque itâ & melius coquentis edulia, & diutius perdurantis. Quare ſuarum pondere, grauitateque virtutum, exemplo fuit vbique omnibus ſingulari, tum Methymnæ, tum Salmanticæ, vbi ſacras litteras complures annos cum communi omnium aſſenſu interpretatus eſt; & commentarios in eas aliquot euulgauit, lucis eius plurimæ monumenta, qua ad illas intelligendas, imbuebatur â Deo.

Vim ad hoc ſibi vniuersè parabat ex precibus, horis in eas diu noctuque permultis, Inſtitutoris ſui exemplo collocatis: quarum ope, adiectis aliquando ieiunijs, voluntarijs aliàs pœnis, arcana ſenſa diuinorum codicum hauriebat. Vbi verò in loco perdifficili diu multumque hæreret, dies aliquot in piarum exercitationum otium ſecedebat: eoque magiſterio Deus illum quæ ſcire cuperet, edocebat. Auctoritatis, ac fidei ſpectatæ matrona retulit, Riberâ, die S. Andreæ ſacro, ad populum concionante, viſam â ſe fuiſſe circumfuſam ipſi lucem ingentem; in eaque ſumma maieſtate ſimul, ac venuſtate Chriſtum adſtãntem: eumque vultu hilari in concionãtem intento, ſuas vlnas erga illum protegẽti ſimilem expandiſſe. In concione verò Riberam hæc dixiſſe: Prô Dei ſummi excelſitatẽ immenſam! cuius diuinis in voluminibus nullus apex eſt, qui cæleſtibus non ſit plenus arcanis, plenus ſenſuũ veriſſimorum, atque vti denique decuit ab ipſo veritatis ore proferri! Hic verò auditum ab ſe Chriſtum ſibi voce amantiſſima dicentem; Filia, verax hic ſanè vir eſt, qui ſolidis veriſque ſenſibus mearum oracula paginarum explanat: eumque propterea veritatis meæ

luce

luce collustro, quia æstimare probè nouit, quanti mihi stetit, hoc est sanguine, earum intelligentiam hominibus impertiri. Illum tu tibi prudenter Confessarium adsciuisti; fidem eius dictis habeto, in quo meipsum inuenies, discesque rationem ex eo, qua meæ possis obsequi voluntati. Hæc à Christo diuinitus huic indicata fuisse credibile mihi admodum illinc est, quòd probè notus mihi Ribera fuit, eiusque multa consuetudine sum vsus; in eoq; virtutes à me laudatas, & illum aduerti, quo flagrabat, ardorem intelligendi, interpretandi, docendique per concionem sanè, castèque diuinas litteras; tum etiam proximos adiuuandi in processu virtutum, perseueranter, ad vltimum vsque vitæ diem, Nouembri mense obitum anno 1591. Cuius vti vita, sic mors etiam pretiosa fuit: dieque ab illa tertio, eadem ipsa cui de cælo ea ostensa fuere, quæ diximus, post epuli cælestis accubitum, abalienato à sensibus animo, visa sibi est inter Cælites esse, vbi Riberam cum plurima gloria Deo ipsi propinquum aspexit; cuius è pectore in ipsum eiusdem pectus lux quædam ingens pertinebat; ac totum perquam pulchrè, ac suauiter illustrabat, & Deo arctissimè coniungebat: per eamque lucem mirifica de ijs, quæ inter mortales docuerat, verissimis intelligebat effatis. Indicatum verò illi est, eo lumine imbutum ideo fuisse Riberam, quia inanem nunquam honorem aucupatus fuerat; sed Dei dumtaxat gloriæ, eiusque cognitioni, obsequio, & amori in omnes propagandis enixè studuerat. Adiecit his, illum vnius horæ spatio piaculari igne, eoque perleui expiatum esse: imperatumque ab eo sibi fuisse, vt ægerrimæ cuipiam significaret, si dolori peruium Cælum esset, ab ipsius ærumnis excruciatum iri se: verùm æternam iam felicitatem pro laboribus humi exantlatis adeptum, angi se ob ipsius aduersa non posse. Compluribus etiam monitis eam ipsam, cui se videndum dederat, instruxit, quibus sua erga Deum promerita cumularet; atque indigentem solatij plurimum recreauit. Fides horum ab eo sanè non discrepat, cuius vita, cum ea, quam diximus, sanctitate consensit. Plurima adhuc alia de viro hoc venerabili dicenda suppeterent, quæ missa tamen facio; nam videri possunt satis quæ protuli, ad honorem Magistro ex tanto discipulo adiungendum.



CAPVT

actutum dare nomen iussit, cui paratam adeò salutem ipse impertiret. Ea voce,iussuque Mendiolẽsis ab sua socordia simul erubuit, simul diuinæ beneuolentiæ tãta significatione recreatus est:constitutoq; apud se certò de vitæ religiosæ complexu, cooptationem in Sociosab Rectore cupidissimè efflagitauit.Baltasar præpotẽti Dei manu cor illius fluxarum rerum amore adeò occupatũ, per afflictam valetudinem tanto miraculo immutatum intuitus, Præpositi Prouincialis annutu, allegauit illi, qui diceret, Socijs se aggregatum haberet; licere amplius ipsi Collegium petere, cùm liberet. Tantum cepit ille animi ex huius alacritate nuncij, vt acri licet, periculosoque morbo, in eum obnixus sit adeò, vt eo aliqua ex parte remisso surrexerit: vbi verò ingredi pedibus primùm potuit, nostrum ad ostium sese confestim tulit: ibique Rector, ac cæteri domestici summo illum complexi amore,& gaudio excepere.Laudatam modò affixi cruci Numinis imaginem secum auexit, ac familiaribus persæpè affirmauit, eius se vocibus compellatum fuisse, atque omni procul errore id certo certius esse. Testimonium his dedere complures, qui ipsum per paucos, quos in Societate vixit, dies ea memorantem sæpiùs audiuere. Eo enim ipso,quo admissus est die, rediuit febris, eumque lecto ad duodecimum vsq;diem ab ipsius in Societatẽ ingressu affixit, quo exiuit è vita. Iucundum illi vt cum maximè fuit circumfusam sibi tot religiosorum hominum coronam, & ministerium intueri: obfirmato iam animo in omnimodam obsequij diuini constantiam, quandiu sibi constitisset & vita. Contentus hac tamen certa fuit voluntate tunc Deus: eumque sibi præripuit, *ne* fortè *malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam ipsius*. Laudesque Deo persolutæ ab omnibus sunt plurimæ, maximæque pro multiplici via asserendi homines in salutem: quos, vbi dedere se ipsi vltro recusant, vi etiam adigit; crinibusque prehensos ad sua signa trahit. *Sap. 4. 11.*

Sed ad Baltasarem redeamus cum permultis agentem in ea Vniuersitate lectissimis: quem ij & æstimabant plurimi, & ducem suis in rebus animi sequebantur. In his Teutonius fuit Eboracensis deinde Antistes, cui peccata Christiano ritu confitenti aures semper Baltasar dedit. Atque in hoc ille, pro arctissimo, quo virum hunc tantum complectebatur, amore, sanctimoniæ ipsius aduertit documenta non pauca: quæ protulit etiam vltrò huic historiæ adscribenda. Vsus etiam Baltasar est familiaritate multa Sanctij Abulensis Nentesani nunc Episcopi, & Christophori Velæ, cui Burgenses postea delatæ sunt infulæ Archiepiscopales. Atque is rem in hac vrbe secum per Baltasarem actam affirmauit,diuinæ præsagitioni simillimam. Exploratum, inquit Baltasar, ha-

beo tuâ operâ velle Deum vti in re maiori vulgaribus. Nullum in hoc mihi dubitandi nomen est, neque verò sit tibi: rem mox euentus ostendet. Et ostendit sanè, eo nimirum Canariensi Episcopo nuncupato. Verùm ille, vt qui tribuebat plurimum auctoritati Baltasaris, nisi re Deo per hunc antea commendatâ, edictoque ab eodem sibi, quid ageret, honorem illum admittere recusauit. Suas, domesticorumque omnium super ea re, preces apud Deum Baltasar adhibuit; auctorque deinde illi fuit, vt infulas nihil hæsitans reciperet: easque tunc ille hac adductus auctoritate recepit. Etenim, vti suo in Pastorali Gregorius asserit, quemadmodum eiusmodi honoribus dignos, in eos inferre se per ambitum vltrò non decet, ita eisdem oblatos recusare non conuenit; vbi de diuina voluntate sit certum, ad proximos ijs, quibus instructi sunt, animi dotibus, adiuuandos.

Similia horum alia hic illi cum Discalceatis Carmelitis Monialibus euenere, quas ob plurimam ipsarum religionem, virtutemque, visere aliquando & confitentes audire consueuit, solatium ijs, & animum in studio perfectionis adijciens: præcipuè verò Matri Annæ Iesu Parthenonis Antistitæ, quo etiam munere Madridi, atque alibi perfuncta deinde fuit. Ea verò sanctè affirmabat, Prophetiæ dono præditum fuisse Baltasarem: multis enim ante annis ingentes illi prænunciauit ærumnas, quibus esset ad promouenda instituta sanctissimæ Parentis, ac Fundatricis Teresæ IESV, acriter exercenda. Eâque in nonnullis quandoque perarduis sanè rebus animi pendente, an illæ essent habituræ successum, affirmabat Baltasar, idque futurum in oculis asserebat. Cui illâ postmodum res aliquas indicante, quæ perducebantur in exitum, subridens ipse, Gaudeo, inquit, vt fides apud te sit & Dei, & eorum, qui eius nomine munera tibi diuinæ miserationis annunciant: se quidem sanguine, si opus foret, testaturum, ea illis impertitum iri, qui se in angustias Dei causâ coniectos esse conspicerent; vti futurum ipsi erat, multò sanè plura, quàm crederet, perpessuræ. Quæ deinceps omnia euenere: permultis enim ac peruulgatis ærumnis, suo in Ordine, Dei hæc ancilla fuit luculenter exercita, vt (quod insinuatum iam est) quæ constituta fuerant ab sua Parente sanctissima tueretur. Mihi verò certo certius est, Deum pro suo in suam hanc ancillam amore, aduersa hæc illi ideò prænunciare per suum Confessarium voluisse, vt ad ea scilicet compararet ipsa sese; atque suum animum contra pari robore obfirmaret. Vt enim vulgari adagio circumfertur, Iacula præuisa minus feriunt; adeòque minus officiunt.

Hunc in Parthenonem soror admissa fuit Religiosi ex nostra

Societate viri, in quo tamen illa perseuerare á valetudine imbecilla non potuit. Dimissa ad sacrum Virginum domicilium D. Elisabethæ se contulit, vacatura illic per secessum sibi, dum secum ipsa, quid ageret, perputaret. Conuenit illam ipsiusmet rogatu Baltasar; affatusque & solatus eam est; & ait: ne mihi stetisse paruo putaueris, tuum spritum dignouisse: scito te amari quidem á Deo, sed huic vitæ, Ordiniq; Discalceatarum Monialium ab eo te minimè destinari. Hisce dictis eandem habeto fidem, quam Angelo diuini Numinis interpreti haberes. Et illa quidem acquieuit in præsens: id ipsum tamen aliquot post annis oblita, Discalceatis se denuo aggregauit in Cœnobio Albano: cumque plurimam anni partem exegisset in Tyrocinio perquietè, illam tamen nullâ inductæ, quam intelligerent, causâ, ad profitenda vota sacræ Virgines minimè admisere: quamobrem illi migrandum inde fuit; ac tum reuocato in memoriam dicto Baltasaris, suum ipsa permulsit animum; ac vitam suopte iure instituere piè, religiosèque constituit. Nota res enim est, copiam religiosi Ordinis á Deo nequaquam omnibus dari, qui nomen illi dare percupiunt: quemadmodum neque vitam cum sanguine proChristi causa profundere maximè expetentibus, diuinum Numen id annuit. Sua tamen expleat quisque vota, ceu datur; cultu nimirum, formaq; vitæ ab ea perfectione minimè discrepantis, quam in eo spectabant Ordine, quem expetebant.

Hieronymus Abulensis hic erat.

Et illud in eodem hoc Cœnobio Baltasari memorandum accidit, quo caritatis suæ, vt septimo decimo capite commemoratum est, illustre protulit documentum: qua cum in tantum excelleret, non religiosis dumtaxat fœminis, sed & præcipuis ea in vrbe Matronis prodesse connitebatur; ad vitam, immutatis moribus, sanctius refingendam: cuius rei exempla sanè non pauca, si vacaret omnia proferre, suppeterent. Honestissima in his Matrona Anna Maria Guzmania, Henrici Bolanni gubernacula tunc huius Vrbis tenentis coniux, sanctissimæ Parentis Teresæ suasu, peccata cœpit sacro ritu confiteri Baltasari; eaque post paucos dies immutata sic est, vt ætate florens, ac opibus, mundique muliebris cum primis amantissima, eum deinceps tanto cum horrore procul habuerit, vt ipsius vir per iocum dictitaret, Quis mihi meam coniugem deformauit? Quanquam, vtpote qui cultor erat optimus pietatis, haud ægrè ferebat eam ab nugis alienam, sui animi bono cupidè vacantem aspicere: in quod ab defuncto viro impensius multò, ac perseueranter incubuit; intenta nimirum precibus, quarum amorem conciliarat illi Baltasar; & verò cum incremento virtutis amplissimo.

Nec ſanè minor tunc fuit Comitiſſæ Montis Regij Mariæ Pimentellæ progreſſus, prouecta ętate iam viduæ: quæ virum hunc ſanctiſſimum tanti fecit, vt nemo illi gratior accideret; ab alio nullo ſolatij, animique in virtute colenda plus caperet. Atque ex quo illum nouit, ipſius cõſilijs ſeu voce,cum aderat,ſeu cũ aberat, ſcripto, ac datis ad illum litteris duci,regique in omni vita voluit. Comes verò Oliuarius Henricus Guzmanius, vir in Hiſpania ab animi ſtrenuitate clariſſimus, quandiu verſatus ibi eſt, Baltaſarem perfrequenter adire,eiq; ſui rationes animi exponere,&,quicquid demum ageret, id eiuſdem conſilijs ſibi ſemper probatiſſimis aggredi conſueuit.

Id etiam temporis Ioanna Toletana MarchioniſſaVeladia,Baltaſaris conſuetudine Abulæ vſa quàm fructuoſiſſimè, Albam venit; ac Ducem Ferdinandum Aluarum Toletanum, & Mariam Toletanam Henriquiam eius coniugem de egregijs ſanctiſſimi huius viri donis edocuit: quamobrem eius agnoſcendi percupidi, Salmanticam quatuor dumtaxat leucis Albâ diſiunctam, accitum illum misêre: cum verò aduenientem excepêre comiter; interque primos ipſos affatus, rumorem de illo veritati conſtare ſenſerunt: quam & retinuere deinde conſuetudinem; eos ſubinde conuenien-te Baltaſare; quorum ipſe amorem ſuis allocutionibus noſtræ familiæ conciliauit; falſis quibuſdam ab eorum mente difflatis,quæ alij iactando, ſerendoque confinxerant: atque ij admirati ſcilicet affirmabant, mirum quantum eius vi verborum ipſorum eſſent animi immutati. Obiter etiam eo in oppido alios complures adiuuit, tradita ijs ratione precandi, quam diù poſtmodum retinuere.

Egit & ibi perintimè cum Marchione Veladio Gometio Abulenſi, in quo Genitricis ipſius beneuolentiam erga noſtrum Ordinem excitauit: eumque precandi rationem edocuit: teſtatum deinde, in precibus paratum habere ſe, quicquid ad procurandam animi ſui ſalutem faceret; ad domum, ditionemque regendam. Deinde verò, vt animi res clariori luce perſpiceret, Villagartiam, quò Baltaſar migrarat, profectus eſt: dieſque ibi quindecim hęſit, ſua cum illo omnia ſubmiſsè perinde communicans, ac ſi in Tyronibus foret. Neque porrò exiguum illi ſplendorem contulit hæc conſuetudo cum Deo: ab ea enim fortaſſe dignum ipſe ſe præſtitit, quem Deus ad excelſa, quæ adeptus eſt, munera promoueret.

Alia hinc itinera Valliſoletum, & aliò ad res grauiſſimas capeſſiuit; numquam tamen ſuâ, ſed Præpoſitorum dumtaxat voluntate profectus: gnarus nempe quid eorum ſit muneris qui præ-

ſunt;

ſunt; domibus nimirum ſuis, ſuoque gregi ſemper adeſſe, dum aliud quippiam ipſiusNuminis obſequela non præcipit. Id ipſe in perbreui, piaque admodum ſchedula ſcripſit ad Stephaniam, de qua ſupra meminimus, data; efflagitante illa à Baltaſare vt ſuæ „ ſolemnium votorum nuncupationi non grauaretur adeſſe. Si „ adeſſe tibi me, inquit, religioſa vota nuncupaturæ Deus annue- „ rit, accidet id mihi ſanè pergratum. Neque enim vt aditus tibi „ pateret in iſtam domum dote, meritiſque caſſæ ita connixus „ ſum, vt te poſtmodum obliuiſcerer; homini ſimilis cadauer hu- „ manti, atque illius omnem ex animo imaginem abolenti. Quòd „ ſi mihi intereſſe non liceat, illud te monitam volo, nuptijs hiſce „ munditiem animi plurimam, & ſanctimoniam conuenire: hæc „ enim dos eſt, & ſupellex, quam Sponſus tuus ille dulcis à te ſibi „ depoſcit. Quòd ſi ſanctimonia deſit, ne deſideretur humilitas; „ vt pudore ſuppleas, quod virtute non imples: idque tunc me- „ mineris, cum puram nitidamque cordis vrnam celſiſſimo fonti „ diuini amoris appones. Eſto mihi apud Deum interpres, vt me „ in ſuum vſque tranſcribat; meumque iſtuc aduentum, ſi in ipſius „ maiorem gloriam ceſſurus ſit, ipſe paret, ac imperet: alioquin „ Salmanticæ reſiſtam; neque enim Deus proximos magis vult à „ nobis quæri, quàm ſeſe. Ea Baltaſar dixit, ac præſtitit; ac triennium Salmanticæ totum exegit: poſtremo cuius anno tempeſtas in ipſum coorta eſt, ad Chriſtianæ humilitatis, patientiæque periculum. Verùm illam, vt quæ in inſequentem annum, quo Villagartiæ fuit, perſeuerauit, in id temporis, ac loci opportunè reijcimus.

1. Aug. 1571.

CAPVT TRIGESIMVM TERTIVM.

Documenta Baltaſaris de caſtigata piarum rerum tractatione, aduerſus corruptas loquendi formulas Illuminatorum id fermè temporis exorientium.

INter hæc, anno 1571., in Bœtica Prouincia homines erupere, qui nomen adſciuere ſibi Illuminatis, rationem colloquendi de pijs, diuiniſque rebus prauam, noxiamque commenti. Quamobrem Cordubæ ſacro aduerſus hæreſes Magiſtratui pœnas illi dedere. Tertio verò Dominico Quadrageſimæ die inuſta eorum erroribus damnationis nota eſt; quippe qui ſyncero Chriſti Domini, Eccleſiæ, ac Sanctorum Patrum ſpiritui aduerſabantur. Per

hæc Ioannes Soarius,qui huic Prouinciæ moderabatur, accurans sedulò,ne tam corrupti sermonis nidor vllus ab nostris piarum rerum vsum, ac rationem precandi mente tradentibus funderetur, Baltasarem iussit diuinarum rerum tam multa luce, peritiaque imbutum,opusculum scribere de castigata illarum tractatione,pro veritate nimirum, ac spiritu Ecclesiæ orthodoxæ. Quanquam verò sanctissimus Parens Ignatius, quasi iam tum diuino actus instinctu, horum, Illuminatorum ne dicam, an tenebrionum? corruptissimas formulas odoraretur; Sociosque præmonitos vellet, vt eos horrerent, extremo suarum exercitationum libello duodeuiginti regulas adscripsit, ad sentiendum, loquendumque ex vero fidei Catholicæ sensu; Baltasar tamen regulis his ipsis innixus, alias ijs complures tempori opportunas adiecit: opusculumque condidit suis oppidò numeris absolutum. Id verò siquidem permulta momenti non exigui documenta dilucida, ipsamque rei medullam tangentia complectitur, operæ pretium duxi hoc etiam loco proferre;quo velut in speculo certailla perspicitur ratio,quam vir hic sanctissimus de pijs diuinisque rebus, sentiendo, colloquendo, agendoque probam, probatamque sequebatur; & quàm procul ab ijs esset, quæ in illum deinde, vti suo exponetur loco, aliqui confinxere.

De castigata piarum rerum tractatione, Opusculum.

CVm errores omnes, per extremos vtrinque fines à veritate desciscant, ea nempe medium obtinente; modus propterea non in sentiendo solúm,sed & in loquendo custodiendus est; rebus nunquam ità exaggeratis, vt in alterutrum erroris finem transgredi videamur. Ordinis proinde nostri Sodales errores docendi sunt, quos in rerum piarum tractationem, precationis, atque mortificationis nomine, inuehere commoliti sunt aliqui. Id enim si ignorent, loqui profectò tam cautè non poterunt,quin suo sermone in corruptelam malè sentientium non offendant. Quam in rem iuuabit vniuersè cum primis, de Deo, diuinisque ipsius rebus, ac pijs exercitationibus loqui, veluti Sancta Romana orthodoxa Ecclesia, ipsiusque Magistri, ac viri sanctissimi loquuntur, pro vera, humili, synceraque piarum rerum tractatione.

§. I.

De Precatione.

PRimò, ne tam exaggeratè tacita precatio dilaudetur, vt ea, quæ voce depromitur, ſummo ſilentio inuoluatur: ne tanquam inutilis videatur hæc negligi: immò iungantur ſimul laudes vtriuſque: ac procul vſque illorum habeantur formulæ, quæ precantes voce deſpectu habent; eoſque caſſos vera ſcilicet pietate ſubindicant. Tacita cum laudatur oratio, communia, vſitataque à viris ſanctiſſimis nomina vſurpentur;ac temperentur hyperbolæ, ne ſermo inſubortos nuper errores incurrat; aſſeratque ſine mentisprecatione conſiſtere quempiam,diuinamque gratiam diù retinere non poſſe;atq;ab his vnis dumtaxat precibus poſſe quenquam in faſtigium perfectionis euadere.

Deindè ità conſtituatur; ab hac pia animi commentatione, extima, quæ virtutem adiuuant, non excludi; cuiuſmodi ſunt, caritatis opera, ieiunia, horumque ſimilia: immò his illam, tanquam peculiari ſuo fructu foueri; eorumque probato vſu, alacri, vel remiſſo, conijci ſyncera ne ſit oratio, an falſa, colore tantùm perlita illius, & fuco.

Tertiò, ad piam hanc exercitationem conferre præcipuè ſacras imagines, Dei verbum, pia colloquia, Sanctorumque voluminum lectionem; quæ perneceſſaria eſt, atque omnibus, vt capax, & idoneus quiſque eſt, diligentiſſimè commendanda. Simplicioribus enim, & ijs, qui alios minimè doctiori ſunt,opportuni erunt, ac ſatis libri aliqui tum pij, tum faciles, quantum ipſorum inſtitutio, ac pietas poſſit inde, pro ſolerti Confeſſarij iudicio, adiuuari: doctioribus verò, aliorumque ducibus, & Magiſtris neceſſaria lectio eſt Sanctorum veterum Patrum,atque Doctorum, quos in eiuſmodi exercitationibus ſuo lumine Deus imbuit: qua lectione ſi quis careat, ad munus, ac rem tanti momenti ſatis inſtructus eſſe non poterit. Atq; ut etiā lectionis vacuitatem experientia quandoque ſupplet, vbi tamen illa penitus deſit, hæc vna non ſufficit:quemadmodum ſine experientia neque lectio ſatis eſſet. Adeòque cum perinde neceſſaria vna ſit, atque altera, vtraq; eſt quàm ſtudioſiſſimè inculcanda.

Quartò; prolixæ preces ne niſi prudenter, cautèq; ſuadeantur; nimirum horis aut pluribus, ſeu quibuſuis terminis attributis;cum affirmatione, fore, vt ijs diuina viſa, illecebræque animi cæleſtes eueniant. Hoc enim primò non ſpectatur orando; ſed vt Deū, ipſiuſ-

ipsiusque voluntatem sanctissimam, morumque nostrorum castigationem eo præsidio consequamur. Quanquam nec reticenda est doctrina Catholica, Christique Domini, ac Sanctorum Patrum effatis maximè consentanea; hoc est, vbi iniunctis sibi rebus vel studij, vel obedientiæ, vel caritatis quisquam minimè desit, aut etiam vires corporis non lædantur, tanti esse preces producere; in ijsque prolixiùs immorari: *Oportet semper orare*, Christus ait; *Et sine intermissione*, Paulus accinit. Suamque vitam ad hanc normam viri sanctimoniâ clarissimi exegere. Neque tecta diuinorum in sacris paginis promissorum veritas habeatur de castis Cœli delitijs, quas animis Deus impertit; quibus & ij recreari consueuerunt, qui Deum verè, submissèque perquirunt, retinentque in eius vsu, ac familiaritate constantiam.

Quintò; Testatum est, precationem vniuersè, non perfectorum modò, sed & imperfectorum esse: neque arrogantiam horum esse precationi, ac meditationi pro suo gradu se dedere: quanquam in contemplationem, fastigium nempe precationis summum, non nisi perfecti, ac mundi corde peruadunt.

Sextò; In precatione tradenda prudentia intersit; gradu, habitudine, alijsque adiunctis cuiusque spectatis: namque, vt Gregorius docet, natura quidam inquieti sunt; ac ferè ad consentaneam meditationi quietem inepti; ij verò ad eam illicò conferre sese non debent, sed ad pia dumtaxat opera, ad depromptas voce preces, aliasque pias exercitationes decet illos incumbere: dum interim naturam ipsi suam edoment, seque ipsi idoneos sic effingant ad precationis tacitæ studium capessendum. Alij verò huic exercitationi sunt habiles; cui illos tradere è re fiet; atque in his etiam discrimen obseruandum est ordinum. Qui enim pro muneris sui partibus, rebus externis plurimum occupatur, is precari mente, vel nullo, vel breui dumtaxat temporis interuallo potest: adeòque id in hoc illi tantùm attribuendum est pensi, quod ferre commodè possit; & quo ad virtutem custodiendam, suumque munus obeundum integrè addiuuetur. Idem in ipsa seruandum est forma, materiaque precandi: ingenio enim alij sunt adeò imbecilli, vt in altiores cogitatus assurgere minimè possint; alij rursum qui amore, aut contra, metu permouentur; quibus in omnibus illud spectandum est, vt ea, qua plus profecturi sint ratione, ducantur: eò vniuersè studium conferendo, vt doceantur ea quæ meditati fuerint, omnia referre ad vitam, moresque corrigendos: neque vna sint piarum rerum commentatione contenti, sed per hanc ipsam processus in spiritu, animique integritate habere condiscant: seque in dies, diuinæ gratiæ, ac precum, cælestisque

per

per eas lucis ope meliores efficiant, obſequentiores Præpoſitis, proximorum tolerantiores, amantiores ſuorum pariter, & extrariorum, locorum, ac rerum humilium, deſpectarumque appetentiores: indutis in frænum tum amore excellentiæ, atque auctoritatis, tum ægritudine animi, quòd ſe ab alijs vel in obliuionem adduci, vel minus, quàm vellent, in honore haberi conſpiciunt: ſuamque iugulent penitus voluntatem obtinendi quæ, & quo pacto, ac tempore malint omnia; animo, ſi ſecus accidat, perturbato, atque in querelas effuſo. Id verò aduerti quàm diligenter oportet; ſunt enim qui eo nomine, quòd intimis animi rebus diù, multumque vacant, ſeq; ipſi emendare, melioreſque efficere, vel nullo, vel perleui opere moliuntur; qui certè mentis euidens error eſt, atque fallacia: ex quo fit, vt poſtquam multos annos in precum ſtudio exercuerint ſeſe, in emendatione vitę prima adhuc elementa pertractent. Atque inde cæcitas hæc fit euidentior, quòd pax ipſorum animis cum hoc errore conſiſtit; neque ſtimulis vrgentur internis; ſed ſibi ipſi blandiuntur, & placent; atque interim offenſioni ſunt alijs, & damno ijs, qui in ipſorum conſuetudinem tanquam præſtantium virtute virorum, rectamq; vt putant, viam ingredientium, per inſcitiam ſeſe immergunt.

Res inter precandum habitas clam habere, ſine cenſura laudatur: immò eas occulere omnibus fas eſt, præterquàm illis, qui nobis ad preces ipſas ſuam poſſint opem, lucemque conferre; ſeu qui nobis gradu Moderatorum anteeunt: quibus pro ipſorum munere conſcientia omnis expoſita ſit oportet, re nulla contecta, in qua aliquid ſit momenti: ſeù cùm ita ad maiorem Dei gloriam expedire cenſetur.

Doceatur etiam, quantò magis ab ſtygio veteratore precatio exhorretur, tantò illum in ea importuniorem adeſſe; inſtigando moleſtiùs, crebriùſque, ac ſeſe in ſexcentas figuras, & colores induendo, vt ab ea nos auocet: habet enim perſuaſum nos à precibus diuulſos, ab recta, integraque vita etiam depulſum iri. Eaque propter nec dimittendum hoc ſtudium eſt, nec in ſuperſtitioſis habendum. Tradenda itaque ijs ratio eſt dimicandi in hac arena cum hoſte; ſic vt neque ab eo profugiant, & in ea peruincant: atque ita ad ferendas moleſtias haſce ſe comparent, vt intelligant nequaquam illud affirmari, ſpectra dæmonum certò in ipſorum oculos incurſura. Quanquam diſſimulandum nec illud eſt, eadem quandoque Dei conſilio euenire, quæ Iuſtis benè vertant, diuina ope ac luce ad eorum tolerantiam, atque victoriam confirmatis.

§. II.

De pijs cælestium precum sensibus: & quo pacto animis sese Deus insinuet.

PRimò constituendum certò est, Deum in hac mortalitate sese animis impertiri; non clara tamen ferè specie, atque obtutu; sed fide nimirum, & gratiâ, atque ijs quæ illinc existunt. Quòd si in hac mortalitate videndi Dei copia data est, singularis ea prærogatiua fuit, haud alijs, quàm quos diuinæ litteræ, sanctissimique Patres commemorant, tribuenda.

Secundò. Communicationem hanc, & præsentiam Dei, primò, atque re ipsa minimè sitam esse in materiatis, & cadentibus sub sensum rebus; quanquam ex intima ipsa Dei consuetudine, hæc ipsa sensum mouentia manare solent effecta, solatia, deliciæque animi, atque alij castè dulces impulsus: ac proinde motus huiusmodi, tanquam præstigiæ Dæmonis, respuendi vniuersè non sunt: error enim hic esset abnormis; sed inspiciendi intentè, ac diligenter dispiciendi sunt doctorum hominum, experientiumque iudicio, ac regulis, quas de spirituum discretione viri sanctissimi tradidere.

Tertiò. Deum licet auctorem habeant hæ animi voluptates, sanctimoniam in ijs tamen minimè sitam esse; sed huic rursum haud esse dissentaneum illas appetere, dum non spectentur vt finis; sed vt præsidia æstimentur, quibus ad honesta gerenda, viamque virtutis perfectæ calcandam alacriter excitamur: neque contra ijs carere, diuinæ gratiæ vacuitatem arguere; quanquam & huius, & Dei præsentiam animo sanctiores viri ex ijs sæpè conijcere consueuere. Per huius enim mortalitatis æuum diuinæ gratiæ nullum obtinere certum argumentum possumus; at verò possumus coniecturas.

Quartò. De his animi sensibus voces sint in sermone communes, & Sanctorum vsu receptæ: habeantur etiam procul phaleræ, & ampullæ: neque de ijs, nisi percautè, agatur, quibus facilè credidisse damno vertit longè tristi permultis. Ea porrò veluti posteriora capessenda sunt: ratione primò, ac vnicè habitâ vitæ sanctiùs corrigendæ: submissionis præcipuè, tolerantiæque cum proximis; atque vt amemus ex animo alijs esse contemptui.

Quintò. Res animi regendas primò nequaquam esse his animi motibus, sensibusque, sed Fidei, Ecclesiæque doctrinâ. Constat

cum

cum his tamen, à diuino ſpiritu moueri corda, & doceri; cuius motus nunquam bonis moribus, doctrinæque Eccleſiæ aduerſantur. Quamobrem haud indubitatum eſſe cuiquam debet, huiuſmodi ſenſuum certò eſſe Deum auctorem, incitantem ad rem aliquam, vel ab alia reuocantem. Neque veluti certa alios dirigēdi regula hi capiendi ſunt ſenſus; ſed de ijs, vti diximus, conſultandum antea, & cognoſcendum eſt.

Sextò. Dandam eſſe, quò ad eius fieri poterit, operam, ne extimis motibus, geſtibuſque interiores motus animi indicentur: ferè enim diuini motus ad intima pertrahunt: quanquam nec ijs repugnat, extimis ſeſe quandoque argumentis oſtendere: quòd ſi crebra hæc eſſent, ac plura, adducenda in ſuſpicionem eſſent, curandumque vt reſecentur. Neutiquam verò expetantur: quin loco muneris flagitetur à Deo citiùs, ne malit hac viâ nos ingredi, ſed tritâ potius, tutâque Iuſtorum.

§. III.

De legitima, veraque Mortificatione.

EDicendum primò, veram, quam viri ſanctiſſimi tradidere, mortificationem ſitam in eo non eſſe, vt membra contundantur, atque exanimentur, vel vt vis dolorum plurima perferatur, viſque ipſa ſenſuum extinguatur adeò, vt ij ſuis actibus defungi non poſſint, vultuſque fiant macie decolores, & ſimilia horum alia: ſed vt fræno primùm animus & voluntas, & aduerſæ ſpiritui cupiditates inhibeantur; vt nos ipſi Deo ſubijciamus, irâ coërcitâ, exhibitâque patientiâ in exorbendis iniurijs, calamitatibus, & euentis rerum infauſtis, egeſtate, morbis, funeribus natorum, affinium, amicorum: in alijs item, ipſorumque vitijs, immò & ſeipſis, ſuiſque mendis tolerandis; quas quidem peruelint, ſed nequeant tamen tam breui emendare, quàm velint: in eo rurſum vt mores alienos à propriis patiantur, filiorum parentes, vxorum viri, & contra; finitimorum, extrariorum, cæterorumque: Subiectorum Præpoſiti, Pœnitentium Confeſſarij; & omnium denique vbique, ac ſemper, & quacumque re graues illi accidant, & moleſti; quin ipſum ſe quilibet, honoris appetitui reluctando, contemptum contra æquis oculis aſpiciendo; connitendoque, vt hic in votis potiùs, ac deliciis ſit: neque aliter reliqui animorum impetus habeantur, ceu fames deliciarum intemperans, ac libido gerendi omnia ex ſuo nutu, atque libentia. Ea

denique virtutum omnium exercitatione continetur, collato illuc ſtudio hoc diuino, vt in cupiditates exerceatur imperium: quò, quæ Deum velle quiſquam intelligat,ea facilè atque alacriter peragere conſueſcat: ſua nimirum voluntate perempta, conuulſiſque propenſionibus, quæ Numinis diuini placitis aduerſantur. Atque ita viri ſanctiſſimi, ſui abnegationem, quam Chriſtus docuit, interpretati ſunt. Hoc illud ipſum eſt, iiſdem auctoribus, Chriſti complecti crucem, & ſequi veſtigia.

Secundò. Cupiditates, præter quàm ijs moderando, nequaquam cohiberi, extirparique: quamobrem dum vitam agitamus in terris, nullum tempus eſſe, ac locum, quo carnis quandoque aliqua contumacia non inſurgat; neque vnquam nobis noſtrarum perturbationum, palęſtræ causâ, certamen aliquod defuturum; modò præcipua nonnullorũ priuilegia excipiantur. Quamobrem & peccandi occaſiones vitandæ ſunt ſemper, & mulierum conſuetudo percauta ſit oportet, grauis, breuis, &c. vt in prima, alteraque Sacerdotum Societatis regula explicatè docetur. Egregiam verò eſſe ſtultitiam, ea perſuaſione, ſui nempe iam coërciti, ac triumphati, amoris blandi miſcere colloquia, multòque magis tactus vſurpare, quibus munditiæ maculæ aſpergantur.

Tertiò. Eòdem etiam, quò mortificatione ſpectatur, præter intimam, vt expoſitum eſt, ſui victoriam, cuius in hac re primæ ſunt partes, prodeſſe magnoperè extimas, voluntariaſque pœnas corpori irrogare: quæ in id etiam neceſſariæ admodum ſunt; nempe ieiunia, vigilias, flagella, cilicia, veſtes aſperas, cubitum, reiectis etiam linteis, duriorem; cæteraque ſimilia, quæ plurimum, vti dictum eſt, conferunt ad corpus ſpiritui ſubmittendum; ad noſtras, & alienas etiam offenſas diuini Numinis vindicandas; optimoſque alios,ac pios effectus in nobis parandos, & pariẽdos. Aduertendum id loci tamen illud eſt, quemadmodum eædem hominum omnium vires, ijdem gradus, eadem negotia, occupationeſque non ſunt, ſic etiam pœnarum harum idem non poſſe genus ab omnibus adhiberi: æquandæ enim illæ ſunt viribus corporis; eique menſuræ, quam ferre quiſque pro ſuo gradu, rebuſque poteſt. Atque pro rerum huiuſmodi diſcrepantia fieri illud poſſet, vt quæ in aliquo pœnæ,atque afflictationes modum excedunt, hunc in alio non attingant, & contra. Ordo proinde atque prudentia in earum vſu interſit oportet: de quo illud vniuerſè affirmari poſſe videtur; ijs, qui Deo, ſtudioque perfectionis ab Eccleſia comprobatę in religioſa vita dedere ſeſe,ſatis earũ eſſe pœnarum, quas ipſius Inſtituti ratio, Præpoſitique imperant,aut permittunt: ſic vt ex ijs proficere, in iiſque perficere ſe connitantur;

tur; quantum ratio vitæ fert, ac rerum; eo etiam in partem pœnæ, cruciatuſque animi non parui relato, communi omnium venſtitu, cibatu, cubatuque eſſe contentum; procul ab ſe habitis immunitatibus, aut deliciarum,& honorum indultis, niſi neceſſitas eò compellat; obſequelâ ſuos erga Præpoſitos paratâ ſemper, & integrâ. Qui verò ſuopte iure viuunt,ijs generatim afflictationis ſui extimæ, pœnarumque amorem inijcere tanti eſt; multòque etiam magis ſuis intus cupiditatibus omnibus repugnandi, quandiu hæ Dei voluntati, ipſiuſque,& Eccleſiæ legibus aduerſantur. Peccandi enim conſuetudo plurima eſt, ac libera; coërcendi verò ſui, paullumque incommodi perferendi, aut ſibi quicquam licitum, Dei cauſa, denegandi, vel nulla, vel tantula; diu nempe ac multifariam perquiſitis olim illicitis. Interea cuicumque quocumque ex ordine, cum primis verò virtuti ſtudentibus, niſi in errorem velint induci, conducet profectò quemadmodum in peccandi, ſic & in caſtigandi ſui ſtudio,vſque pœnarum, doctorum,atque experientium virorum conſilijs inhærere; à quibus earum rationem certam, modumque docebuntur, pro ipſorum neceſſitatibus, ac viribus corporis, animique; pro illarum æſtimatione etiam, & amore.

Quintò. Extima pœnitentiæ ac miſericordiæ opera vtilia eſſe, atque, pro legum imperio, quandoque alligantia; adeòque diligentiſſimè commendanda: ea verò, precandi nomine, neutiquam omittenda, ſiquidem illa vel caritas poſtulat, vel obedientia præcipit.

§. IV.

De Obedientia.

PRimò, deberi hanc Dei & Eccleſiæ præceptis, atque ijs omnibus, quibus aliquis, lege, ac vitæ ſuæ ratione ſubijcitur; eiuſmodi ſunt Præpoſiti ſacri, atque profani, parentes, viri &c. quorum imperatis obſequi, ac ſuo, quo quiſque fungitur, muneri non deeſſe, certo precum, ac prolixo cum primis tempori præhabendum eſt.

Deinde: vtile, vſitatumque vniuersè, & comprobatum ab Eccleſia eſſe, alios ab alijs ſapientioribus, atque experientioribus regi: at verò ijs, qui ſe in religioſæ vitæ vincula non induêre, vt voto ad id obſtringant ſeſe, vt vt quandoque tectum,tutumque ſit, ferè tamen non niſi perquàm prudenti, maturoque conſilio permit-

mittendum . Id tamen non illud esse , quod sacrum Fidei tribunal anathemate perculit ; sed longè ab hoc aliud, ex quo plurima scatent mala : aliquorum nempe impostorum technas, qui vt liberius in pœnitentium res , & corpora dominentur , illos consilio , aut etiam vi adigunt , cum primùm peccatorum conscientiam apud ipsos deponunt , vt voto nectant sese , magnum, paruumque nihil agendi , sit illud licet in diuinis præceptis , mandetque Deus , nisi edixerint ipsi , vel iusserint . Hinc adeò religiosis Societatis nostræ viris , quintadecima Sacerdotum regula momēti plurimi perpendenda , & explananda diligenter est , ne obedientiæ erga ipsos vota permittant pœnitentibus , aut admittant : quanquam ea lege aliud quippiam rectum item , sanctumque spectatum est , quàm id,quo sacrum Fidei tribunal adductum est, vt decretum illud conderet,ac vulgaret.

§. V.

De sacra Confessione, & Communione.

PRimò . Cum ,vbi necessitas sit , generalis peccatorum confessio suadetur , cauendum admodum esse ne cogatur quis eam obire apud hunc , quàm illum potius Sacerdotem ; multòque secius apud sese : quanquam delectus commendandus est docti , expertiq; viri. Liquidò itaque exponatur vbi rerum,ac loci, siue vtilis modò futura sit ea confessio, ac tum liberum,integrumque esse cuique sinatur illam obire, nec ne , apud hunc, aut illum; siue vtique necessaria, eaque tunc omni depositâ religione suadeatur; cautè tamen ac prudenter , vt diximus . Docendum est etiam , ex ea quandoque percipi plus damni posse , quàm lucri ; ab ijs nempe , quorum animi cruciantur à scrupulis ; seu qui semel, aut sæpius , prudentis Confessarij iudicio , diligenter satis in eam animum intendêre .

Secundò. Dispiciendā seriò suasionem illam, vt Confessarij eligantur ex nostris: cum primis verò cauendum ne asserat quisquā, eos sibi ex alijs adsciscere , rem esse intutam ; quin immò adire alios pœnitentibus facilè per Confessarios liceat: quòd si ij,non petitâ veniâ , sponte illos adierint , id probari sibi argumentis ostendant: magnoque , in eo , ac forti sint animo ; ea licet commutatio videatur ipsis ex pœnitentium imbecillitate aliqua proficisci . Vt verò Confessarijs minus accidat noua hæc conniuendi facilitas,legant sanctissimam Synodū Trid.sess.25.c.11.& nostram

Sa-

Sacerdotum regulam vigesimam. Atque hæc eadem ipsa fortasse ratio est, cur Tridentina Synodus veniam aliquoties in anno religiosam vitam profitentibus dari voluerit cōscientiæ apud alium à consueto Confessarium expiandæ.

Tertiò Dandam operam esse, vt Pœnitentis in Confessarium, & contrà, affectus euitetur immodicus: id effectu si careat, ad alium Confessarium prudenti studio Pœnitentem dimittere tanti est: dum personæ tamen, ac circumstantiarum ratio habeatur; quemadmodum tertiadecima Sacerdotum regula monet.

Quartò. Ne morosè ac nimium Confessarius velit, vt omnia pœnitentes agant ex suo ipsius consilio, ductuque: multòque minus sese in res eorum commutandas intruserit; eas ipsis gerendas vltrò relinquat: eleemosynas etiam per se distributas nolit: vbi præsertim suspicio subeat, ne earum aliquæ in propria ab ipso commoda traducantur.

Quintò. Perputandum seriò, quibus potestas fiat cælesti epulo accumbendi quotidie, quod nobis ab nostro Generali Præposito diligentissimè commendatur: curandum verò, vt huic diuini cibi cupiditati nimiæ temperetur: illius etiam vsum formulæ, *Fames Dei*, examinandum; præcipuè verò si de mouente sensum fame sit sermo. Quanquam illud inficiari nemo potest, ab amoris affectu cupiditatem hanc irritari, quam appellare liceat, *famem*: quod & rationi constat, & causa est diuini cibi sumendi, quo decet tempore, ac modò; minimè verò desultoriè, aut sæpiùs in die: cætera in erroribus, ac ludibrijs numerentur.

Sextò. In Eucharistia sumenda superstitiosos abstinendos esse ritus, sumendi vnicam, seu plures simul sacras particulas; huius potius, aut illius figuræ, tantæ molis, aut certè alterius, quàm vsus ferat; claudendi oculos, cùm os Eucharistiæ apponitur, aut cùm hæc ab Sacerdote populo ostentatur in sacro; aliaque horum similia.

Septimò. Eam aliquorum dicendi formulam abolendam esse; Eucharistiam hodie fac pro me sumas, quandoquidem mihi non vacat: vices deinde tibi alio die reponam: Synaxim istam Deo liba pro me, &c. Conijci nempe potest illinc, eos existimare, fieri per alium æquè satis, atque per se, sacræ Communioni, quam ipse vel præcepto, vel pietati deberet: neque ab ipsis, quod ad hoc attinet, Eucharistiæ sumptionem ab Sacro secerni. Eadem est ratio de re diuina obeunda; si quis alterum roget, diuinæ rei pro me hodie interesto, alio die pro te ego vicissim interero; quod perinde est, ac si idem diceret, tuas noxias apud Sacerdotem expia nunc pro me, pro te ipse postmodum expiabo.

Quo

Quo tamen poteſtas non adimitur referendi ab ſe in alios piorum operum fructus ad impetrandum, & ſatisfaciendum.

§. VI.

De Matrimonio, Caſtitate, ac Religioſis Ordinibus.

MOnendum id primò eſt, ne quis auctor ſit fœminis vouendæ Caſtitatis: neque votum hoc ferè, niſi cautè, prudenterque probetur: multòque caueat magis ab ſuadendo cœlibatùs voto, vt eædem ſuopte iure, ac more liberam exigant vitam. Adeāt ad hæc noſtri Sacerdotum regulam vigeſimam tertiam: is autem de caſtitate ſit ſermo, vt illinc anſa non detur ſuſpicandi, aut affirmandi nexam coniugio vitam improbari.

Secundò. Ne quis ſuadeat, neq; vulgò probet, Beatarum, quas vocant, veſtes perpetuò retinendas à fœminis ſumi, citra religioſæ vitæ, familiæque complexum. Regula etiam Confeſſariorum vigeſima quinta perpendatur de veſtis certæ, cuiuſuis formæ, aut coloris vſu ijs neutiquam conſtituendo: multòque magis caueant leges ijs ſingulatim ad res domeſticas dicere, quemadmodum indicatum eſt nuper. Mulieres item, quibus cuſtodire caſtitatem, ac religioſæ vitæ ipſis conſentaneæ dare nomen arriſerit, ab eo deſiderio ne auocent, propoſita veſte, vitaque in priuata domo cœlibum fœminarum; niſi id perquàm raró, atque cum præcipuis quibuſdam fiat, pro vt earum ætas, ſecuritas, & adiuncta cætera ferent.

Tertiò. De religioſis familijs, ipſarumque muneribus, vitæ ratione, atque inſtitutis, primò, ſermones ſemper cum honore ſerantur: de mulierum maximè Parthenonibus, ne verba ſpargantur eiuſmodi, vt ab adiungendo ſe ijs puellarum animi auocentur.

Quartò. De Societate noſtra vniuersè, de eius domibus, nobiſque præſertim ipſis ſine fuco quiſque ſentiat, ac ſubmiſsè: colloquia de his ſunto rara, domi foriſque: multòque magis noſtris de rebus abſit verbo iactantia, qua nimirum religioſis aliis Inſtitutis, viriſque præhabere ipſi nos velle videamur. Cauendum id primò inter extrarios homines, & communes, ne opinionem illi ab noſtro ſermone vnde vnde ſuſcipiant, velle nos nobis vnicè virtutem, ac ſpiritum vindicare; ac ſupra cæteros ſanctimoniā, eiuſque magiſterio exultare. Cauendum id etiam eſt, cum de his, quæ ſubijciam ſermo erit; De bonis, dotibuſque animi, quibus prædita Societas eſt: de eorum numero ac prærogatiuis, qui nomen

nomen illi dant: de claris Concionatoribus, Operarijſque præſignibus: de Præſulibus, atque Optimatibus, qui nos amant: de accepto, atque honorifico, quo apud populum ſumus, loco: de fructu, qui ex Indis tum ad Orientem, tum ad Occidentem Solem percipitur, &c.

Atque hęc monita ſunt, quibus Socios Magiſter hic perprudens inſtruxit, tempori, quo data ſunt, magnoperè conſentanea, & opportuna maximè vniuerſis.

CAPVT TRIGESIMVM QVARTVM.

Studium eius ardens remotos litteris adiuuandi: prudentia in ijs, & vis. Eorum aliqua plena pietatis exempla.

CVm in veteri Caſtella peruagata longè, latèque eſſet fama Baltaſaris, multumque ibi ſpiritualium filiorum, aliorumq; mortalium haberet, qui res cum ipſo ſuas communicare percuperent; caritas ipſius, ac ſtudium non præſentibus modò, ſeu propinquis arctabatur, ſed vbi ſemel iuuandos aliquos in Chriſto receperat, remotis etiam, longèque poſitis conſulebat; litteris ad eos datis, ex Collegio præſertim Salmanticenſi, vbi earum, quas proferam, exaratæ ſunt plures ipſius prudentiæ indices, & ardoris. Neque verò minus ijs, quàm verbo valebat: quibus eorum, ad quos ſcriberet, animos perinde inibat, ac ſi coram adeſſet; atque eorundem neceſſitates intimas vti ſubiectas oculis procul etiam conſpicabatur. Quare poterat iure vſurpare illud Apoſtoli, *Quales ſumus verbo per epiſtolas, abſentes, tales & præſentes in facto ſumus*: vim adeò ſpiritus, qua pollebat in verbis, exhibebat & ſcripto: & ſcripta rurſus argumento erant, quanta ſpiritus vis eidem eſſet in verbis. Has verò litteras multiplici, vt idem Apoſtolus, nomine dabat, ſiue vt eos qui deſciuerant, reuocaret ad frugem, ſiue vt foueret in ijs ardorem, aut tepentes incenderet; animos puſillis, ſolatia ægris ab animi, corporiſue rebus adiungeret; vt gratularetur etiam ob læta, fauſtaque; ſeu denique vt difficultates piarum animi rerum, ſuper quibus conſulebatur ab aliis, enodaret. Quarum etſi permultæ mihi deuenerunt in manus, quia tamen earum omnium recenſio modum exiret, præter adſcriptas ſuperioribus capitibus, nonnullas hîc tantùm proferam perquàm pias, indices eius in hoc ſanctiſſimo viro magiſterii ſingularis,

2. Cor. 10. 11.

ſpiritus,ac ſtudij, quo numeris abſolutam omnibus omnium perſectionem ardentiſſimè cupiebat.

§. I.

DEſciuerat ab ea, cui ſe prius adiecerat, virtute vir nobilis: eius verò ad ſigna redire metuebat ille ſcilicet, & cunctababatur in dies. Reſcijt id Baltaſar, atque hominem miſeratus, has illi eodem, quo Galatis Paulus in re perſimili, ſpiritu litteras dedit.

„ Quam ineam,ad tuum animum adeundum, viam, belli ne, an „ pacis,ſilentij, an ſermonis, ignoro. Septa enim vndique om- „ nia video,neque mollibus, quæ oblectent, herbis, ſed ſcrupis,ac „ ſentibus,qui calcantium pedes fodiunt,& cruentant.Quid agam? „ aut quid conſilij capiam?mei tamen animi ægritudinem demul- „ cere, aperiendo,conſtituo; ex quo & aliquod ipſe ſolatium, & „ plurimam tu commiſerationem ſuſcipias.Per ego te IESV Chri- „ ſti ſanguinem obſecro, te tandem aliquando reſpice,ac reſipiſce: „ cognoſce tuam iſtam animi obſtinationem, pertinacemque cōtu- „ maciam aduerſus vocātem Deum.Ne te ab illo procul habueris, „ qui nec funus tibi,nec exitium cōmolitur. Flagella ſentis & ver- „ bera,quibus ab ea præpotenti manu corrriperis; quî te illa non „ mitigāt? quî te illa nō molliunt?Vnde,rogo,eliciendæ ſunt aquæ? „ ſi qui ipſius verba non audiunt, illos auerſatur Deus, qui eiuſ- „ dem flagra non ſentiunt, quanto eos horrore deteſtabitur? Hęc „ me, quandiù viuam, ægritudo conficiet: ab hoc cruciatu Dei „ tribunal contentiſſima voce teſtari compellar. Ingrati animi „ crimen hoc eſt, atque inhumanitas ab liberali homine aliena. „ Huic enim gratia, comitaſque ſunt comites. *Quis te faſcinauit,* „ *Frater, non obedire veritati?* ambulabas benè, *currebas benè: quis* „ *te impediuit veritati non obedire?* vbi vel loci vel temporis, ſan- „ guinem tui cauſâ ſtygius hoſtis effudit, quamobrem illum „ tanto amore complecteris? Si, cui debentur omnia, ille à furto „ reculæ vnius offenditur, quid erit porrò, ſi quis eundem rebus „ omnibus ſpoliarit? Quid ſi Dei beneficijs quiſpiam abutatur in „ Deum? Aduerte iam animum, & intellige; à fuga te recipe, „ contumaciam exue;præpotētis Dei manum noli aut vincere, aut „ vincire: quæ piè verecundantē, ſubmiſſum te ſibi mauult, quàm „ calcitronem,& profugum.Quòd ſi eunti per deuia toties tibi ta- „ men occurrit; ſi ipſius in te caritatem expertus es,& pacem ipſe „ rogauit te erronem, & transfugam; ſi laceſſitus offenſis tuum „ & adiuit oſtium, & expetiuit amplexum, cur tu nunc tergiuer- „ ſaris,

Galat.3.1.
Ibid. 5. 7.

„ ſaris; ac reſilis? An quòd in oculis tibi occluſum iri fores exi-
„ ſtimas? noli, per ego te tua iſta lumina, teque ipſum obteſtor,
„ noli nouâ hâc iniuriâ ipſum afficere. Noui equidem eum te ne-
„ quaqam eſſe, quem ſuorum conſiliorum pœniteat, aut qui ex-
„ petita diù multumque, per teporem deinde retellat Non is es,
„ non, inquam, is es. An verò aliud tempus eſſe nūc reris, quàm
„ cum amares, eò, quia in alium abijſti? At verò Deus idem ſem-
„ per eſt, *Ego Dominus, & non mutor.* Id tibi perſuaſum eſt fide; in-
„ timoſque expertus es ſtimulos, quibus te reſidem, ac refracta-
„ rium admonebat: illud igitur etiam credas, velis, nolis, oportet, ſi
„ diuina tu feceris imperata, Deum quoq; ſua promiſſa facturum.
„ Hoc tandem aliquando habeas perſuaſum: ſi minus tui, at cer-
„ tè mei dolor te tangat, ſimulque perplurium, quos tu angore
„ iugi diſcrucias: execrare nequitiam; cibum euome pernicia-
„ lem. Ecquis erit peccandi finis? Deum certè nimis citò non no-
„ ſces: neque te immatura mors auferet: nihil pœnitendum com-
„ mittes: te enim tuum ad animum non reuocaſti magis, quàm
„ ille, qui dixit, *Serò te cognoui, bonitas infinita*; nulloque modo,
„ ac fine dolebis, quòd effluxerint tibi fruſtra tot anni, quòd obla-
„ ta tibi à Deo lucra in detrimenta conuerteris. Sponſor ipſe
„ tuus ero: tuorum criminum pœnas in me ipſe recipiam; tuas
„ ipſe pro iis lacrymas adiuuabo. Ades huc; Deique interpres
„ diuinam tibi clementiam pronam offero, & paratam. Paucos
„ dies ſecede; ſacrum perfuge in aſylum; illic tibi erit animo, cor-
„ porique, immo & tuis delicijs, ac dignitati ſecuritas. Atque hic
„ verba mihi dolori explicando cum deſint, deſinam plura ſcribe-
„ bere: ſed tu quoque miſeris modis excruciare me aliquando fac
„ deſinas. Vtinam te ſimul, ac me tibi Deus oſtenderet! quàm
„ impar ferendæ fores tantæ malorum moli! Ille tibi lux, & vis
„ eſto, vt in geminum hoc barathrum altè peruideas. Amen.

Quænam imago ex vero, viuoque magis, quàm hæc epiſtola Euangelicum adminiſtrum, veluti Paulum alienæ ſalutis cupidiſſimum repræſentet? Quæ genitrix ab interitu filij maiora edat argumenta doloris, quàm ſingularis hic vir ab vnius animi iactura prætetulit? Quænam luculentiora proferri queant pignora ardentiſſimæ caritatis in proximos, quàm hic adeò iugis dolor, hæ lacrymæ, hi gemitus, hæc voluntas, hoc ſtudium, hoc ipſum referre mala aliorum in ſua? Dei profectò amor amantiſſimi ſui famuli calamum dirigebat; eique vim cæleſtis eloquentiæ inſtillabat, vt ſilicem animi obſtinati perrumperet.

Similem aliàs in re conſimili epiſtolam alteri eodem ſpiritu dedit his verbis.

Salmanticæ 3. Ian. 1576.

„ Litteras abs te officiosissimas accepi; maluissem sanctiores. „ Si quem vnquam pertinacem noui, tu ille es. Et verò quandiu „ cum diuino Spiritu bellum geres? atquî aduersus illum rem tibi „ fore duram affirmo. Adeòne dulce peccare est, vt eâ velis causâ „ diuinis carere delicijs, Deique infensi odium sustinere? Inauspi- „ catum certè, ac miserum inisti consilium; quamobrem tui mi- „ sertus sum plurimum. Cum enim improbus animus ex Dei cō- „ stituto ipsesibi sit pœna(quod & fiat oportet eā profectò inuitus „ coactusq; feres,ab eo nempe veneno,quod hauris in præsentia, & „ dulce reris: angores aio, quibus tuus animus diriter, iugiterq; „ torquebitur: contra verò tentator gestiet (vt maiori,veluti pro- „ meritus es, cruciatu rumparis) de sua agens victoria, prædaque „ triumphum; cum tui derisu, sannisque, qui te tam properè in „ ipsius laqueos, atque in tuam cladem indueris. Tunc senties, „ quid lucri, immò quantum damni perceperis, cum te illi per- „ misisti. Quòd si ab hac inferorum imagine redire ad frugem „ potes, ceù prodigus ille Euangelicus adolescens, fame simul, „ infamiâq; compulsus,vt decorem,opulentiamque domus Dei di- „ ligas, ab ea deinceps neutiquam desciturus,deuoranda sint tibi „ licet asperrima omnia; & ego tibi, eo, quo suo filio Parens il- „ le, gaudio lætabundus occurram. Sin autem consultò me su- „ spendis, ac tenes, constituto scilicet apud te, pergere, quà cę- „ pisti, errorem hunc exue; meum enim ego tempus, vt ipse tuum, „ frustra non conteram, sine vlla spe fructus, vel certè cum mini- „ ma, iugi cura quotidie cruciandus. Te sibi Deus, vti valet, ad- „ scribat. Amen. Has ego litteras exaro quartanæ accessionem „ opperiens, vt me tui memoriam minimè abiecisse cognoscas.

Et hîc viri huius sanctissimi caritas prodit sese, cui quartanæ vis, corporis, animique vires suo in exorsu tantoperè excrucian- tis, perditæ ouis requirendæ curam excutere non potuit: siquidem arrepto calamo ponderis tanti scripsit epistolam,vt errantem illam Christi ouili restitueret. At enim id genus homines suis in morbis aliorum non incuriam, sed commiserationem sumunt;corporisque sui commoda respuunt,vt saluti,quod diximus, consulant proximorum.

§. II.

Salmanticæ 1. Aug. 1574. D. Casilda.

CLarissimi etiam sanguinis fœminam aliam, quæ teneris ab annis valere Mundum iusserat, nomenque Virginum Discalceatarum Ordini dederat,his ad eam datis litteris rationem edocuit, qua posset ex eo vitæ instituto proficere.

Quem

„ Quem Mundo nuncium remisisti, affectionibus etiam, cupi-
„ ditatibus, atque illustrium appellationum amori abs te remissum
„ puto. Gaudere nunc verò te magis existimo ijs nominibus,
„ quæ domus Dei sunt splendidiora vtique, ac dulciora. Quam-
„ obrem magnam ego te minimè nuncupauero, tu enim tibi pu-
„ silla tuis in oculis es: neque nomen reuerentiæ vsurpauero; si
„ enim liquidò perspexeris, deberi potiùs tibi contemptum in-
„ telliges: dicam te verò felicem; quippe quæ eam apud Deum
„ gratiam inieris, vt vota demum, deliciasque tuas ab eo exora-
„ ueris: eius in te voluntatis accepto pignore, quando te ille ab
„ humanarum rerum strepitu, ac tricis auulsit, quæ te ab ipsius
„ vsu iugi, fructuque dulcissimo distraxissent: id verò sic propa-
„ lam, inque oculis omnium, vt beneficij tanti vbique præstò sint
„ testes. Superest nunc, Domina, vt quandoquidem tibi suppe-
„ tit otium, quorsum etiam fuerit id tibi suppeditatum agnoscas:
„ vt studeas, & connitaris, ne tuo in animo inaniter gratia otie-
„ tur. Quòd si, in quo maximè præstare debeas, rogas, in te, in-
„ quam, etiam atque etiam vt cum maximè submittenda. Nihil
„ te profecisse putaueris, nisi te minimam omnium arbitreris.
„ Nihil enim spectabilius est in homine, cuius menti Christus in-
„ notuit, quàm in re aliqua eius in se simulacrum effingere: neque
„ verò res tibi occurret, quæ illum magis, quàm hæc oblectet;
„ quæque consentanea magis sit amplitudinis tuæ abdicatæ reli-
„ quijs, teque ipsa sit dignior. Quamobrem Christus, vt qui & no-
„ stram imbecillitatem, & ad interitum nostrum viam, simulq; ad-
„ minicula euadendi probè norat, voluit maximè, vt Augustinus
„ aduertit, nos ab ipso condiscere, *Quia mitis est, & humilis corde.*
„ Submissio verò officiosa verborum, qua oculis humanis impon-
„ tur, facilis est paratu: altera tamen, quæ intima cordi est, non
„ nisi serò, studioque serio obtinetur. Iam verò tu gratificatura
„ Deo religiosæ vitæ rationem voluisti suscipere: facies rem sanè
„ illi gratissimam, cum hoc margaritum omni cura, & studio
„ quæsiueris, neque vnquam, dum illo potiare, quieueris. Mitto
„ plura; Dei enim alloquio perfruenti, humana verba desipiunt.

Scripsit hæc verò prudens hic vir eò, quia intelligebat claros sanguine; ac potentia, cùm militiæ religiosæ dant nomen, nisi cupiditatem excellentiæ contundant, in ea, quam profitentur perfectione, quæ tota fundamento humilitatis innititur, nullum habituros esse processum. Quoniam verò quibus propositum est, precibus indulgere, eos sæpe ariditates, atque animi euagationes morantur, & figunt; & voluptatum animi vrunt cupiditates immodicæ, litteris hisce ad religiosam, eumque grauissimum vi-

rum

rum datis, hanc in eo intemperantiam scitè, prudenterque redarguit.

Salmanticæ 28 Ian. 1574. Ioanni Castrio Ord. S. Augustini Eldanæ degenti.

„ Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, tecum sit R.P. quo „ fræno Deus ventorum compescit impetus exurgentes in Iustos, „ qui sese cum Christo mari committunt; nunc verò tuum in ani- „ mum debacchantur, ac persurunt. Te tamen idem ille non de- „ seret, *Qui fecit pondus ventis*. Nolim te tui processus, ac deli- „ ciarum animi adeò cupidum, vt eapropter perturberis, iactu- „ ramque facias intimæ tranquillitatis, & pacis: docemur enim, „ *Dimitte cupiditatem & inuenies requiem*. Desine concupiscere, si „ cruciari non vis. Quod nisi feceris, tua ipsa desideria tui car- „ nifices, & instrumenta erunt, quibus veterator stygius nume- „ rosiores atomis in te molestiarum, angorumque acies irritabit. „ Valere Mundum iussisti, valere illum prorsus, ac æternùm iube. „ Humana dimisisti; eorum etiam cupiditatem abijcito. Stipen- „ dia meres in Christi castris, ad pugnam te compara, *& propo- „ sito tibi gaudio, sustine crucem, confusione contempta*. Proficere „ admodum, & quàm perfectè precari expetis, Deo gratus vt sis; „ tui curam illi permitte: tuumque in eum approbare amorem „ hinc incipe; quòd, quà te cumque ducere collibitum illi sit, pe- „ rinde acquiescas, seu tibi plurimum largiri velit, seù parum, „ aut nihil; teque illi gratiorem sic fore ne dubites, si tua pau- „ pertate gaudeas, quandiu ex ea te ille non eximet, quàm eâ, „ quam tibi animo confingis, opulentiâ. Diuinum hactenus ob- „ sequium ea secutus es ratione, qua libuit; iam nunc primo, vno- „ que tandem die Deo, velut ipse mauult, incipe famulari. Quis- „ quamne est, qui mihi gratis seruire velit? auctor inquit libelli, „ cui à Contemptu Mũdi nomen est. Et ipse per Malachiam Deus, „ hac de culpa cum familia sua expostulans, ait, *Quis est in vobis, „ qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuitò?* Ne desis inti- „ mæ morum instaurationi: arcanoque Magistro, quæ consecte- „ ris, quæ etiam perferas, suggerenti integrè fac auscultes; atque „ in vniuersum, tuæ volũtatis extinctæ triumphum ama: tuumque „ processum sine Deus accuret; dulcesque sensus, vt mauult, an- „ nuat, vel abnuat; hoc enim tibi consulto nunc opus est: neque „ porrò vereare, ne tibi præsentes animi labes officiant; quando „ huic bono, quo nunc frueris, obtinendo grauiores olim mi- „ nimè obfuere.

Malach. 10.

„ De altero verò, quod te inquietum habet, vt dicam; destinati „ ab Obedientia tibi loci mutationem quærere, quandiu alium „ illa tibi non attribuerit, id instigationis malæ compertum esse „ indubitanter affirmo. Memineris quæ Iosepho cælestis Legatus

„ edixit,

„ edixit, cum, Dei nomine, iussit illum, *accipere puerum & ma-* Matth. 2.
„ *trem eius, & fugere in Aegyptum*, adiecit enim, *& esto ibi, vsque* 13.
„ *dum dicam tibi*. Et verò paruit ille, ac perquietè commoratus
„ est ibi, donec ipsi reditum Angelus imperauit. Tua tibi pax,
„ tuum solatium esto *IESVS* & *MARIA*: neq; enim melior tu illis
„ es, neq; ciues illi sunt certè deteriores Ægyptijs. Et adhuc ten-
„ tationis nequitia magis inde se prodit, quòd molestiam confi-
„ teris obeundi vicos, & castella, à quibus, & quo à munere
„ exorsus est Christus. Ne animorum fructum paruo tibi statu-
„ rum esse putaueris, qui nimirum sanguine stetit Christo: neque
„ à te quicquam agi posse præstantiùs, quàm tibi te ipsum emori:
„ mortuo enim frumenti grano promissio stat diuina mediocris,
„ largiue fructus. At enim quia Christi Domini obsequium pro-
„ fessi Mundo, nobisque ipsis mortui verè non sumus, nostrorum
„ inde laborum exiguam frugem, nullamue percipimus.

Hæc Baltasar precationi, ac proximorum saluti studentibus ad rem adeò scripsit, vt, quæ præcipua sunt ad habendos in re vtraque processus, perpaucis luculenter edoceat. Aliam verò cuidam è Societate Patri spiritu ac pietate plenam dedit epistolam, ariditatem, ac mentis euagationes in precibus conquerenti. Ea porrò sic habet.

Non equidem video, Pater, quam ariditatem queraris, quam profectò non ostendis in verbis, sed copiam potius, vbertatemque
„ perplurimam. Quòd si eam tibi Deus occulit, non ipsam, sed Methymnæ
„ eius amittendæ occasionem tibi subtrahit. Propositis à te ca- 21. Iulij
„ pitibus esset sanè cur possem non dare responsum: tuum enim 1567.
„ habes istic Moysen, quem tam arcta consuetudine nunc Deus Ioanni Se-
„ alloquitur: neque verò bellum, sed pacem ipsi loquitur, ipsius cio.
„ causâ, ac multorũ; eorum in modum, de quibus Regius Psaltes
„ inquit, *Suscipiant montes pacem populo*. Immortales illi sint laudes, Ps. 71. 3.
„ qui vim in eum tantam cælestium thesaurorum effudit. Verùm
„ enixè adeò efflagitanti, ea tibi, quæ mihi occurrent, solatii cau-
„ sâ, non necessitatis exponam. Ad primum igitur, ac molestum
„ in primis, de cogitationum turba, atque tumultu, fieri posse aio,
„ vt qui proficiscitur inde amaror intimus, is ex infirmo fluat cũ
„ diuina voluntate consensu: cuius è manibus bellum iuxta, & pax,
„ patienter, litatisque gratiis sunt habenda. Quòd si crucis amor
„ intersit, gratior pugna eueniet. Id verò Parisiensis Magistri
„ confirmat effatum, aientis, si quisquam suo muneri in hac pu-
„ gna non deerit, eum plus lucri facturum esse, quàm si ex animo
„ votisque Deo perfruatur. Stimulos ad Deum illud idem fac ti-
„ bi subijciat, quod ab eo nos auocare connititur; eumque aman-
tibus

Ps. 43. 24. „ tibus, ac dulcibus querelis ità compella: *Cur obliuisceris inopiæ*
Ps. 18. 1. „ *nostræ, & tribulationis nostræ? Vsquequò Domine, obliuisceris me in*
„ *finem? Vsquequò auertis faciem tuam à me? quandiù ponam consilia*
„ *in anima mea, dolorem in corde meo per diem?* Memineris nostræ
„ prauitatem naturæ calcaribus indigere, quibus incitetur ad
„ Deum: ea verò subijci nobis diuini voluntate, permissuue con-
„ silij, vt ad ostia nos sua contineat, ac pulsationes ibi nostras, &
„ clamores adurgeat; non in annos, menses, diesque, sed in
„ singula vitæ momenta: quæ si rectè præstiteris, coram Deo in-
„ grediens, vt expetis; quanquam non ea, qua tu, sed qua Deus
„ ratione mauult. Quòd si diuinæ expetendæ præsentiæ causa, &
„ & nomen Deus est, non voluptas propria, æqui bonique con-
„ sules, vt vt ille constituet. In hoc verò iuuaberis, si, quantum
„ poteris, quæ tibi mandarit Obedientia, teque ipsum perdoma-
„ re non negliges. Crux enim haud sanè libenter, nisi Dei causâ
„ conspicitur; ac veluti sensus inde perurens, non alio melius re-
„ frigeratorio, quàm crucis memoria delinitur; ità, vbi iugis
„ tuimet frangendi sit amor, ipsemet amor tui hanc in te memo-
„ riam, tanquam vulneris, dolorisque ab animi cruciatu profecti
„ remedium excitabit. Atque hæc animis manum, artemque po-
„ scentibus expeditissima, vt equidem sentio, ac tutissima ratio
„ est diuinæ præsentiæ obtinendæ: ea enim nullo capitis labore
„ paratur, & capi etiam à rudioribus potest; quod in omni spe-
„ ctandum est exercitatione virtutum; vt commoda, facilisque sit:
„ eius verò fructum quàm mox vberrimum sentiet animus, qui
„ hanc ipsam rationem vsurpet. Hæc verò dicta sic explico; nisi
„ Deus præcipuas alias præstantioris fructus tibi vias ostenderit:
„ tunc enim ad eius vocem obsurdescere animo nefas esset. Ast
„ vbi locum Deus industrijs dat humanis, prudentis est consilij
„ eas arripere, quæ promptiùs nemorosas ipsas arbores, frutices,
„ ac radices, quibus se quisque obsitum, obrutumque nouit, ex-
„ pediunt. Atque hæc in vtrumque propositum caput dicta sint
„ satis. Precationis, cui studes, viam ingressus es optimam, ob-
„ secrandi nempe reuerenter Deum, vt eam ipse te doceat: quòd si
„ labori, tædioue non cesseris, voti compos actutum fies: id enim
„ diuinum munus est, eoque Deus humiles impertitur.

§. III.

VErùm, quòd ab humilitatis Christianæ studio in animi ege-
statem quandoque aliqui delabuntur, datas alij ex Societa-
te Patri litteras hîc attexam; à quo per epistolam condocefactus
fuerat

fuerat Baltasar, ipsum suis ab animi mendis plurimum perturbari: quarum causâ sibi à se Deum propellere videretur: quanquam illud adiecerat, se tamen persuadere sibi minimè posse, Deum ab se facessere, qui Deum ipsum tam anxiè quæreret, eò quia sibi erat auersus, sed vt imbecillitatis ipse suæ, & fidelitatis in ipso Deus experimentum caperet. Ab hoc igitur altero loco Baltasar exorsus est in hunc modum.

„ Prò quàm iucunda mihi hæc verba, atque horum appendix „ vniuersa fuere! Vbi ea perlegi, sic inquam: Benè profectò habet, „ qui sic habet: & qui tanto Deum honore afficit, medullā is offert „ in munere. Mihi sanè certo certius est, obsequio delectari Deum „ & tuo, & eorum omnium, qui pristinam exuti veterem vitam, „ nouam, quoad eius fieri potest, induêre diuino verè spiritui „ consentaneam; errores licet, ac lapsus capillis numerosiores sese „ illi commisceant. Id omnes profectò non norunt: & quanto à „ tellure cælum, tanto etiam spatio distat rei huius à possessione „ cognitio. De duobus ijs discipulis labefactis, ac lapsis, Emaus „ ipso resurgentis Christi die petentibus, Lucas ait, ingressos il„ los fuisse cum Christo, cùm interea *oculi eorum tenerentur, ne eum* „ *agnoscerent*. Comes illorum Christus ibat, eoque se carere illi „ putabant; atque illuc tandiu, ac tandem progressi sunt, vbi er„ rorem ex animo depulere. At ij, eorumque similes alij, præsen„ tis Christi, & ipsos alloquentis argumenta sumunt in via; si, „ quæ tunc intimè in ipsis fiunt, aduertant; ardore nimirum animi, „ diuinarum intelligentiâ scripturarum, atque instinctibus ad cor„ rigendam vitam arcanis. Age verò, doce nunc me, quid hoc „ ab eo charismate distat, quo Deus tuum animum, aliorumque „ tui similium imbuit, cùm illis intimè, ac singulatim, quæ agant, „ omnia, etiam tantula, minimaque commonstrat; eosque obiurgat, „ si tantulo vel vngue, vel puncto ab ipsius magisterio secretiore „ discesserint; digitum velut intendens in ea, quæ sequantur aut „ fugiant; perferant, aut inuadant. Atque super has omnes ani„ mi curas, & æstus, inde vehementer anguntur, quòd segniori, „ quàm par est, obsequio, & ab se, & ab alijs Deum coli conspi„ ciunt. Insitum ne feruorem ea cura non prodit? Prodit sanè. At „ is vndenam, si ignis absit, existit? Quòd si minus Deus hic est, „ ecquis illum diuino inflammat amore? Hæc illa facultas est, in „ qua *qui addit scientiam, addit dolorem*: id illud est, quod excru„ ciat omnes, qui seriam Deo seruiunt seruitutem; & quod dies, „ noctesque gemitus illis, & clamores ciet. In his aliquis, quod „ omnes sentiunt, explicatè dixit, *Tribulationem & dolorem inueni*, „ *& nomen Domini inuocaui*. Sed in hac tamen Deus illos haud de-

Salmanticæ 8. Apr. 1576.

Eccl. 1. 18.

Ps. 114.

 serit;

Psal 90. „ ſerit ; ait enim, *Cum ipſo ſum in tribulatione* . Immò ſe illis adiun-
„ git, arcanum ijs ſolatium, vireſque ſuppeditans, vt ne oneri,
„ laborique ſuccumbant: id verò norunt experti tandiu ſtare
„ ſe, nec vltrà, quandiu ſuſtinet ipſos Deus. Stant igitur ideò,
1.Pet. 5. „ quia ſuſtinentur à Deo: quod Petrus affirmat, *Qui in virtute*
„ *Dei cuſtodimini.* Ab eo rurſum excitantur in anguſtijs vt clamẽt;
„ vt adſit, quæ ipſos diuina vis eruat, & cuius ope proficiant; vt
„ in ore, atque honore Deus ab omnibus habeatur: ac neutiquam
„ ab ea, quam iniere, via, moleſtiæ præſentis causâ reſiliant. Quod
Pſ. 49. 15. „ Auguſtinus ſapienter obſeruat in illud Pſalmi, *Inuoca me in die*
„ *tribulationis, eruam te, & honorificabis me*. Veteri, quo antea in-
„ flati erant, Mundi ſpiritu, ad humana & inania eius ſulgura
„ ferebantur: at eo, quo afflati ſunt, nouo feruntur in Deum; eâq;
„ curâ coquuntur, quod illum parciùs, quàm ipſi velint, oblectāt.
„ Hęc verò immutatio vnde nā exiſtit, niſi ab nouo in ipſos illapſo
„ ſpiritu? ſpiritu nimirum Dei idẽin eorum cordibus peragente, in
„ ipſius Dei corde quod peragit, vt illa in Deũ ipſum inclinet? Hic
Rom. 5. 3. „ verò ſpiritus, diuinus ille ſpiritus eſt, de quo Paulus ait, *Caritas*
„ *Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum Sanctum, qui datus eſt*
Ioa 4. 13. „ *nobis.* Et Ioannes, *In hoc cognoſcimus, quoniam in eo manemus, & ipſe*
„ *in nobis, quoniam de ſpiritu ſuo dedit nobis.* Perſuaſum id habe, om-
„ ne omnino abeſſe periculum ab hoc chariſmate demiſsè ſuſce-
„ pto: remque à te Deo factum iri gratiſſimam, ſi id eo, quo Pe-
„ trus docet, modo praſtiteris: *Sperate in eam, quæ vobis offertur,*
1 Pet 13. „ *gratiam in reuelatione IESV Chriſti*. Quæſtum etiam à te factum
„ iri duplo cumulatiorem hac initâ fiduciæ viâ, quàm aliâ, quam
„ ingreſſus es hactenus, diffidentiæ. Quo tempore illud in te
„ etiam aptè cadere potuit, quod in eodẽ itinere Emaus Chriſtus
Luc. 24. 25. „ diſcipulis exprobrauit, *O ſtulti & tardi corde ad credendum*. Quo-
„ niam verò poſtremis verbis aditum diuinorum & oraculorum
„ fidei, & promiſſorum veritati pandebas, recreatus ijs miri-
„ ficè ſum. Ea te de te ipſo Deus voluptate permulceat, qua
„ ego de tua via, & Deus ipſe perfunditur; vt gaudium in te,
„ quemadmodum eſt in Deo, ſit plenum; ex illo eiuſdem ora-
Ioa. 15. 11. „ culo, *Hæc locutus ſum vobis, vt & gaudium veſtrum impleatur*.
„ Plenum ſuis in famulis gaudium eſſe vult Deus; hoc enim, ea vi-
„ rium alacritas eſt, qua ipſius mandatorum via percurritur. Neù
„ verò deſpondeas animum, quòd munus tantum abs te, tuaque
„ ſorte alienum putes, lege Auguſtinum in hunc locum: ac meæ
„ interim egeſtatis ne memoriā abieceris, quam ego tuæ retineo:
„ nec plura; ſatis enim, ac ſuper hæc ipſa cum eo, qui Dei cōgreſſu
„ perfruitur. Tecum ille, totuſque illius amor eſto. Amen.

CAPVT

CAPVT TRIGESIMVM QVINTVM.

Rector Villagartiensis Collegij renunciatur: ibique Fundatricem eius Magdalenam Vlloiam ad præclara, quæ molita est, diuinæ gloriæ facinora plurimum iuuat.

MVneris sui obiti triennio iam elapso Salmanticæ, exeunte prope sexto ac septuagesimo supra millesimum anno, iussus est Baltasar Villagartiensis Collegij Rector, atque eorum vnà Tyronum Institutor, qui illi domui addicebantur idcircò, quòd ea commodior ijs erat; & Nouitios eius omnes Methymnensis domus minimè capiebat: tum etiam quòd in tã ampla Castellæ Prouincia, Probationis domo gemina opus erat, vt ij in altera probarentur, qui non nisi incommodè probari possent in altera. Eò igitur profectus, curam Tyrocinio constituendo contulit, eo, quo illud Methymnæ constituerat, ardore spiritus, ac perfectionis exemplo, quod vndeuigesimo capite, & sequentibus expositum à nobis est: vbi quædam commemorata sunt in hac domo gesta, aliaque in caput quadragesimum septimum proferenda reijcimus.

Altera etiam causa, cur huius Collegij gubernacula delata fuere Baltasari, ea fuit, quòd id singulari studio contendit Magdalena Vlloia eius Collegij Fundatrix, vidua ab Ludouico Quyado Caroli V. Cæsaris Aulæ Profecto, Generalique peditum Hispanorum Magistro, Consilij Indiarum Præside, atque huius oppidi Villagartiæ, eique adiacentium Dynasta, mortalitate defuncto, salutis anno 1570. Odorata quippe fuerat spiritum, virtutemque Baltasaris per habitos cum ipso sermones, Vallisoletum, vbi tunc domicilium ipsi erat, traijciente. Quem tanti faciebat, vt ad eum Salmanticæ gubernacula tenentem litteras daret, in quibus illi suæ vitæ rationem exponebat, acceptis à Baltasare aptis semper, optatisque responsis. Consilium hoc fouit auctoritas ipsius germani Magistri Dominici de Vlloia, laudatissimi, grauissimique in Dominicana familia viri, Episcopi deinde Mechoacanensis in Indijs, quæ ad Occidentem sunt; qui Abulæ, Methymnæ, atque Salmanticæ consuetudine vsus erat multa Baltasaris; expertusque cognorat diuinam eius vim ad animos virtutum perfectione imbuendos. Isque vbi sororis mentem nouit de domo

illa Villagarticnsi fundanda, auctor illi fuit, vt Rectorem deposceret ibi Baltasarem; quem etiam sui animi moderatorem haberet. Postulauit illa, & verò cum successu tam prospero, vt, muneris tanti causâ, perpetuò grates Deo ageret immortales. Constituerat hæc ab ipso statim viri funere vitam Deo reliquam deuouere in celeberrimo Vallisoletano Parthenone, quem à Guelgis dicunt; cui tunc Antistita præerat sui viri soror. Verùm quòd illa de fratris sui bonis litem intendit, caruit effectu consilium. At enim etsi media in Vrbe, priuata vixit in domo, summum tamen coluit, non secus atque in Parthenone, secessum. Sacram exhomologesim in nostra Professorum æde apud Ioannem Bradanum obibat, quo vsa fuerat Confessario septem ferè & viginti annos: eamque is probè ad virtutem exercuit, dicto maximè audientem. Subinde verò Villagartiam illa petebat, vbi pias Societatis exercitationes per occasionem tradidit illi Baltasar; ac rationem precandi, agendique cum Deo intimè illam edocuit. Pia semper cum eadem colloquia miscebat; nec aliud nisi de diuinis argumentum. Quare affirmauit Vlloia, alium à se neminem compertum fuisse hactenus tam profundè de rebus animi disserentem; sermonesque de humanis ac futilibus rebus tam scitè præcidentem; inferentem verò, ac proferentem vtiliter de diuinis, nulla ad multas licèt horas, fatigatione, vel tædio. Et verò aberat sanè ab illa fastidium, quippe quæ eiusmodi rerum voluptate præcipua tenebatur; suasque res perinde cum Baltasare, atque suo cum Institutore Nouitiij, communicabat. In hunc porrò modum edocta, eleemosynas, quas erogabat ingentes, magno cœpit corroborare pietatis sensu, ijs à se triplicem in seriem distributis: conferebat enim earum alias, ad humanas ærumnas, ac difficultates pauperum sublcuandas: alias efferebat altiùs, vt eâ viâ animorum etiam afflictis rebus, atque indemnitati prospiceret: alijs deniq; aliquid aliud curabat adhuc excelsius; vt diuinum nempe cultum augeret; & honorem Deo, in ijs quæ sacra ipsi forent, efficeret ampliorem.

Quod primi generis erat, in eo largitate vtebatur effusâ, necessitatibus omnibus vniuersè succurrens. Lectulos duodecim ægrotis totidem suo sumptu curandis Vallisoleti constituit: annuis aureis sexcentis, duodeuicenis annis, pio huic operi attributis. Trecentos item aureos annuos per temporis ferè tantundem Xenodochio Christi resurgentis impertijt. Villagartiæ verò Nosocomium erexit, reditibus commodis ad subiectos viri sui ditioni ægrotos pauperes curandos. Vim pecuniæ plurimam conferebat & ad pupillas inopes commodè collocandas, & ad eos iuuandos, quos palam mendicare pudebat, & opem clam ab ipsâ petebant.

Qui-

Quibus vt cautiùs consuleret, ac largiùs, honestum piumq; cum primis virum aliquandiu præfecit, qui necessitates eiusmodi, & quid earũ gratiâ opus esset, facto cognosceret: atque is omnia in schedulam suo insignitam nomine referebat, eamque permittebat egenti, dicto die, quo Dominæ domum stipem illam accepturus adiret. At illa largiendi tenebatur cupiditate tam anxia, vt cum à somno mane per primum diluculum excitabatur, surgere domesticos iuberet, ac videre, num qui pauperes ventitassent, vt illos nullâ detentos morâ dimitteret. Cùm primùm ab strato se corripuerat, geminum præsumebat marsupium, nummis refertum, minutis alterum, alterum grandioribus, quibus ab Rege, Regalibus nomen est; ijs in vernaculos, his in verecundantes pauperes erogandis. Horum vbi quisquam accesserat, delatam ab eo schedulam recipiebat ipsa; eique descriptam in illa pecuniam numerabat, decretum ab se numerum non excuntem: vbi eius vi maiore opus esset, priuatim egentibus consulebat. Vniuersos prætetea, eosque permultos ipsius domûs ostia mendicatum adeuntes, pietatis affectu plusquam materno, eleemosynâ muniebat; nullo vnquam inani dimisso, bis terque in die licet accederet. Totum penè annum coëmendis dabat vestibus, & interulis, laneis, lineisque pannis, vt pauperes amiciret. Multa item aureorum millia per Canonicum quempiam Zamorensem in popularos, & subiecta viro suo loca distribuit, vt ad plures pluribus in locis ipsius pietas, & caritas pertinerent.

Largitatis tamen suæ in erogata necessitatibus animorum ope, qua nempe eorum saluti consuleret, maiora protulit argumenta. Eò ex nostra Societate duos, Ioannem Turrianum, & Gabrielem de Portu, Sacerdotes, alterum Algerium, alterum Marochium misit, vtrumque octo aureorum millibus instructum, quibus captiuos redimerent: atque his illud diligentissimè commendauit, vt propiores periculo desciscendi à Fide, eos primo loco in libertatem assererent. Perfecta ab Socijs res est; ac Turrianus in reditu rationes illi expensarum obtulit relatas in schedulam: quas illa pro habita in Deum, & Societatem fide, recognoscere recusauit. Pecuniam etiam permagnam in illud effudit, vt perditas mulierculas ab ruinoso loco reciperet in tutum; ijs domui Probationis hac in Vrbe inclusis; in qua de ineunda sibi ratione vitæ decernerent, ac piè interim viuere docerentur. Annuis etiam aureis mille, & pane ad centenas sarcinas, in hac eadem Vrbe pœnitentium mulierum domum auxit; in quam illæ admitterentur, quæ à corruptæ vitæ cœno emersæ possent, ac vellent in moniales adsciscì. Neu operis huius finis, perditas nimirum fœminas ad-

iuuandi, quod ad constitutum illi à se reditum pertinebat, ad irritum aliquando caderet, admissis eam in domum non pœnitentibus fœminis, sed collectis ad secessum claustri puellis, quibus Vallisoleti aliæ constitutæ sunt domus, formulâ suæ mentis indice, hoc extremo capite à nobis reddendâ in vniuersum cauit.

Et adhuc eius munifica caritas luculẽtiùs sese prodit in ijs,quę in vnam animarum salutem, earumque Conditoris cultum præstitit,largitate planè mirifica. Die Diuo Matthiæ sacro inter precandum, manè, iniecta illi à Deo est pia cupiditas, qua eius Apostolicæ sortis in partem expetebat admitti; sic vt & Catechesim, & Sacramenta etiam Confessionis & Eucharistiæ tradere cuperet in Ouetensi vrbe, vniuersoque Asturiensi Principatu. Votum hoc tempus omne precationis extraxit. Ea de re germanum suum Dominicum Vlloium in Dominicana Familia Vicarium Prouincialem eius Hispanicæ Prouinciæ extemplo consuluit. Atque is, si per se ipsa concionari, & confitentes audire vellet, id verò absurdum esse respondit. Negauit illa, sed per religiosos solùm viros, suis, in id, alendos sumptibus affirmauit. Cui frater; atquî hoc,inquit, probatissimum est,ex eoque Apostolorum in te præmium corriuabis. Quòd si popularibus hisce catechesim tradi, & administrari sacra mysteria cupis, viros adhibe ex Societate, plurima vi, ac ope in huiusmodi munera instructos à Deo. Secundum hæc, illa cogitatum opus firmiùs stabilire constituit; atq; Oueti Societatis Collegium ideò dumtaxat excitare, vt ibi Socij alerentur, qui populares in vniuerso illo Principatu Christianarum tunc rerum maximè rudes excolerent. Huic voto Baltasar etiam cum primis assensit: ad quod maturandum animos illi præsentes adiecit; vt nimirum & accederet eius merito cumulus ab impigra diuino instinctui obsequela; & eo ipsa oblectaretur fructu, quem inde percipi viuens aspiceret. Perfecta res ab ea confestim est, aureis mille coëmendæ domui, ac totidem in annuos reditus alendis Socijs attributis: quos millenis deinde alijs auxit; ac vim pecuniæ tantam subinde contulit, vt Ioannes Soarius Prouincialis cum eam referre in rationes vellet ad Generalem Præpositum per occasionem oblatam sibi mittendam, de illius summa ex ipsa Vlloia quæsierit. Verùm hæc (quod argumentum fuit regij simul animi, ac submissi) Equidem, inquit, ignoro: Dei causâ elargita sum: id illius in rationibus erit. Ab D. Matthia nomen esse Templo voluit, quòd sacro ipsi die huius condendi operis iniecta sibi mens è cælo fuerat: quacũ admissa videri sibi dictitabat,ditionem illam omnem suæ curæ fuisse commendatam; siue, Dei munere, auctam se fuisse illius accuratione prouinciæ.

Et

Et verò assentiebat amor, quo, quæ illi proficerent, accurabat. Fructus porrò amplissimus legi à Patribus Societatis, binis oram illam lustrantibus, cœptus est, ex obitis sacrarum confessionum, concionumque muneribus; innumeris planè mortalibus ex alto errorum, vitiorumque diù inolitorum cœno ereptis. At illa per hos edocta, in eius ditionis compluribus oppidis sanctissimam Eucharistiam minus decorè, pro eorum inopia, custodiri, argenteas pyxides quingentas conflari iussit, ædiculasque complures ligneas auro illuminatas; perque oppidanos distribui, vt honor Panis diuini custodiæ haberetur. Eodem etiam spiritu, eademque mente de alio Societatis Collegio Santanderi excitando constituit; vt ibi daretur opera iuuandis, atque erudiendis circumiectis in ea vicinitate monticolis. Eratque illi ea cupiditas infixa tam altè, vt affirmarit Confessarius illam ab hac cogitati one neque per somnum, neque per cibatum posse vnquam vbiuis rerum, locorumque vacare: Dei enim amor, ac studium animorum eos illi stimulos subijciebant. Mox illi Collegio annuos reditus aureorum mille attribuit: ac mox alios mille rursum adiecit. Cuius vt mentis integritas in geminis hisce Collegijs fundandis appareat, quamuis ea, vti demonstratum est, prouentu satis instruxit, sibique consueta Societatis pro nostrarum domuum fundatoribus apud Deum, sacrorum, ac precationum suffragia recepit, Patronatus tamen ius, nomenque ipsi debitum recusauit, vt si quis alius dignitate, aut opibus potens reditus amplificare vellet, Patroni nomine, aut Fundatoris assumpto, id illi annueretur à Patribus. Per ea enim opera præclara hæc Matrona honori studebat non suo, sed Dei: neque sui immortalitatem nominis aucupabatur in terris; sed diuinam vbique propagari gloriam admirabili quodam studio cupiebat.

§. I.

IN excitando tamen Villagartiensi Collegio Vlloiæ cura eius primis exarsit: id enim inter cætera, quæ præstitit, præcipuum habuit opus, idemque sibi carissimum; vbi nimirum Dei obsequium, ac proximorum salutem omnibus curare vijs expeteret. Omnes proinde pueros ex vniuersa vicinia ibi doceri voluit legere, conformare elementa, & supputare: tum alios perplures eò confluentes latino sermone imbui, ingenti cum processu virtutis atque doctrinæ. Eam præterea domum probandis destinauit Societatis Tyronibus, in Orbem vniuersum inde fundendis, ad eam tradendam Christi doctrinam, perfectionemque virtutem, quam illic

sitic ipsi prius hausissent. Et siquidem pro Oppiduli loco, seposita ea domus erat, atque ab externiorum consuetudine auulsa, illam sanctioris otij, ac relaxationis suburbanum esse rus voluit; quò adirent ex vniuersa Prouincia Socij, leuamenti causâ, per maiorem secessum, vsumque cum Deo, ad auram Tyrocinij odoratam: quo vires plurimum instaurantur, ad munera alacriter repetenda cum proximis. His rationibus ad molitionem operis tam perfecti huic Matronæ cupidæ per se satis animos etiam Baltasar addebat: constituerat enim suas opes cum viri sui bonis Ludouici Quadi Villagarciensis Dynastæ coniungere: qui sacellum inibi, ac sepulcrum tenui prouentu ad sacra ibidem celebranda constitui sibi iusserat; nisi coniux communibus vtriusque fortunis nobile aliquod ibidem condi religiosorum hominum domicilium mallet. Vtrumque tamen Vlloia præstitit, Templo nimirum perelegantì extructo, quod & Societatis Patribus, ac bis senis Sacerdotibus ab sacellis cũ eorum Præfecto vsui foret: quod & fundauit, & reditibus satis instruxit, duplo nempe amplioribus, quàm coniux ante decreuerat: vt statæ preces Ecclesiæ, & solemnia sacra ibi quotidie canerentur: diebus verò festis musico etiam organi concentu, solemni, quo in primario Templo consueuit, ritu. Quamobrem, ex numero Sacerdotum ab sacellis, octo scientes musicæ designauit, vnum in his Modulatorem cantus; præterea Organicum; Administros odæi sex, ÆditIuum etiam cum seorsim adiecto Sacrario sacra supellectile luculenter instructo. Earum rerum curæ, ac regimini vniuerso præfectis Patribus Societatis; atque ijs omnibus ad certum, æternumque robur Pontificio, quod impetrauit, diplomate communitis. Sacellum eodem in Templo seorsim extruxit, in quo sacra Sanctorum lipsana plurima, insigniaque, thecis perornatis inclusa collocauit: suadente, ac studente simul Baltasare, vt ibi Eucharistiæ sacra poneretur ædicula; quò ad preces fundendas, & conscientiam excutiendam coirent maiori cum pietate Tyrones. Elegantissimam humana magnitudine Christi Seruatoris imaginem supra sacras reliquias graduum ordine distributas ibi mediam collocauit. Eam picturæ scientissimus Ioannes de Rupe Baltasaris iussu effinxit. Is ex Salmanticensi Portionario dato Societati nomine, Tyrocinium tunc ibi ponebat. Et verò ad excitandam pietatem, cæterorum Tyronum ope, operâque apud Deum collatâ, aptissima euenit imago. Sacelli frontem hac insigniri iussit epigraphe: *Ego sum vitis, vos palmites*: vti nempe doceret, Ædem illam simul veræ Viti Seruatori Christo, simul ipsius palmitibus, hoc est, Sanctis esse dicatam.

Absoluto iam Templo, Ianuario mense anni millesimi quin-

gen-

gentefimi octogefimi, folemnis indicta fupplicatio eft ad fanctiffimam Euchariftiam, atq; humatorum vetere in Templo cineres illò deportandos. Eam in celebritatem hæc Matrona cum geminis fratribus, Roderico Vlloio Marchione de Mota, & Dominico Vlloio ex Dominicana familia, alijfque præcipuis Matronis contulit fefe, vt, quàm benè ipfa fortunas collocaret in Societate, oculati cognofcerent. Conuenerunt ex noftris etiam Iacobus Auellaneus huius Prouinciæ Vifitator, & Ioannes Soarius Prouinciæ Præpofitus: Patrefque perplures alij graues. Eos Baltafar Collegij Rector humaniter, amanterque omnes, commodo cum primis excepit hofpitio. Peractum plurima cum pompa, ac celebritate folemne eft, omnium animis voluptate liquidiffima delibutis: quæ poftridie temperata tamen eft rei cuiufpiam euentu, in qua & heroicæ obfequelæ Baltafar, & Vlloia Chriftianæ virtutis, ac pietatis infigne protulit argumentum. Teftem eius ipfe me profero, vt qui tertio tunc ibi anno probabar. Mirum in modum expetebat Vlloia noftris valedictura, fub difceffum, eo die cum fratria, fratribus, neptibufque ea, quæ in Collegio ædificata erãt, infpicere: qua de re tranfactum ante iam fuerat. Id verò haud illi fas effe cenfuit Vifitator: Pontificiæ nimirum feueritatis aduerfus holce ingreffus iam tum inde confcius, cum fuerat Romæ; id quod proprio motu editum Pij V. diploma vigens adhuc confirmabat. Quanquam verò Prouincialis, ac Rector fecurum illum doctiffimorum virorum tum ex noftra, tum ex alijs religiofis familijs iudicio faciebant, quòd & illa Fundatrix erat, eique tot etiam alia nomina fuffragabantur; præ animi tamen religione, metuque illam ab aditu abftinere conftituit. Harum tamen illa rerum ignara, fuo cum propinquorum comitatu, poft folemne facrum, ingreffa domum eft. Id verò refciuit fortè Vifitator, illis adhuc ambulationem imam obeuntibus; atque ab fcrupulo anxius Baltafarem accerfit; eique feriò mandat, vt exire confeftim Vlloiam iubeat. Expofuit hic fubmifsè grauia, quæ inde imminerent, incommoda; fecus verò, fi conniueretur, vel leuia, vel nulla; cum in ea re nulla ipforum interueniffet auctoritas. Sed ille mandauit iterum, omiffis omnibus, imperata facefferet. Baltafar, quanquam à re tam graui maximè angebatur (Matronæ enim tantæ nimium quantum debebat & Collegium illud, & Societas vniuerfa) fuum tamen fubiecit imperanti iudicium, & fuam fregit obfequio voluntatem: eoque verum fe Obedientiæ filium approbauit. Etenim quàm fcitè, humaniterque potuit mandata extemplo detulit ad Vlloiam; quæ fcilicet illam altiùs transfixere. Et cæteri quidem omnes perturbati; atque in ijs maximè

Germanus Marchio, ijs sororis sumptibus iam olim parum assentiens. Quare hic, abiectis præ ira chirothecis, Gestio ab hoc, inquit, euentu magis, quàm si Castellæ Regnum mihi obuenisset; vt discas, Domina, quibus, & quàm gratis hominibus te addicas, & tua. Quibus tam altè ictus est Baltasaris animus, vt nihil in omni vita æquè acerbum deuorasse se affirmarit; quia nempe suo aduersatus erat ingenio, quo perhumano erat imbutus, gratoque in primis erga benemerentes omnes, atque in tam munificam præcipuè Matronam, inque re tam opportuna, tam leui. Verùm & illa Christianæ suæ virtutis, ac roboris egregium specimen dedit; quippe cui sensus ille peracerbus neque amorem, neq; beneficam vim in Societatem excussit; neque confessiones sacras obire destitit apud nostros; neque quicquam de beneuolentia, cultuque remisit erga Baltasarem. Quin immo, vbi primùm domum reuertit, suum interpretem ad illum solatij causâ misit,qui, mandante ipsa,iuberet illum animo esse tranquillo: sibi namque testatam esse ipsius in se voluntatem. Cordata enim, ac pia fœmina Visitatoris animum in eo peruidit diuinam metuentis offensam ab legis Pontificiæ violatione; neutiquam verò ipsi iniuriam molientis. At enim plurima obuenere deinceps, quibus, vti par erat, Societas illi gratificari studuit diligenter: quæ & ipsa libentissimè item, ac humanissimè admittebat. Eius enim litterariæ palæstræ pueri, ferè ducenti, illi aduenienti ludibundi cum saltibus sanè concinnis obuiam ibant. Quibus & lycei eiusdē Scholastici plures quadringentis id temporis florentissimi iungebantur. At illa gaudebat admodum eo fructu, quem ex tanta,ac tam honesta iuuentute cofluente illuc Zamorâ, Tauro, Vallisoleto, atque è finitimis oppidis, immò & ab remotioribus vrbibus percipi cognoscebat: ibi enim perattentè, ac plurimo cum secessu bonis artibus Scholastici imbuuntur. Delectabatur etiam solemni ritu, quo Sacerdotes ab sacellis diuina peragebant, curâ,studioque nostrorum: Tyronum recreabatur modestiâ, quos præclaris Dei muneribus sciebat ornatos: multòque magis lætabatur & ea spe, qua in bona complurium alebantur, & eo ardore, quo cætera omnia cum oppidanis ibi, ac finitimis munera obibantur. Quare procul ab ea semper fuit, vt ipsam eorum, quæ molita fuerat,pœniteret. Etenim præter quàm quòd ea illi mens iniecta erat à Deo, non Confessarium modò suis super votis, sed & viros doctissimos, atque grauissimos de ijs, quæ perpetua conderet, consulebat. De præcipuis verò bonis inSocietatē collatis cum viris extrarijs, quibus credebat plurimum, consultauit: cum laureato præcipuè Ferdinando Villafannio, viro pergraui, ac prudenti,

scien-

ſcientiſſimo pariter & conſultiſſimo: atque is noſtrorum ab vſu remotus & ea illi probauit, & ad ea illi animum erexit: vt ea Deo mouente fieri liquidò appareret. Quibus etiam vt perpetuitatem adiungeret, diligenter communita ab Romano Pontifice diplomata impetrauit. Rectorem denique Villagartienſis ſui Collegij, ſuorum omnium piorum operum Patronum, ac Tutorem ſcripto nuncupauit; cogniturum ſcilicet, quàm integrè imperata ijs onera, muneraque implerentur. Quibus ſi qui deforent, quod erat prouentuum, id Villagartienſi Collegio addicebat.

Atque hæc præcipua extimorum fuere operum huiuſce *fortis* verè *mulieris*, cuius *pretium procul, ac de vltimis finibus*, vti rerum pretioſiſſimarum, fuit. Sed maior adhuc multò apparet in intimis animi rebus, à quibus, extimis, per quæ ſe ipſa perficeret, accedebat decor. De quibus capite mox ſequenti.

CAPVT TRIGESIMVM SEXTVM.

Magdalenam eandem Vlloiam litteris Baltaſar iuuat: illa à Deo ad perfectionem ſummam euehitur.

CVm Magdalenæ domicilium Valliſoleti, Baltaſari verò in Villagartienſi Collegio foret, hic illam inde plurimùm litteris adiuuabat: ſtimulis ad perfectionem ſubiectis, atque ad ſui maximè abnegationem; illuſtribus fœminis ſanè perarduam, quòd indulgere genio, eique aduerſantia auerſari maximè conſueuere. Experimenti verò, & animi excitandi causâ, ſub natalitias Chriſti ferias hanc illi dedit epiſtolam.

§. I.

„ EDitus Bethlem diuinus Infans, tuo, Domina, exoriatur in corde. Is enim dumtaxat ſolemnes illius dies ritè, ſanctè„ que recolit, cuius in animo idem intus agitur, quod extimè „ exhibetur. Abſtinere meditabar à litteris, quibus ad tui te ab„ negationem exſtimulantibus, vt quæ hunc peregrè callem inſi„ ſtis, læderis potius, quàm lætaris. Eius tibi ardentiſſimam „ Deus cupiditatem maiorem in modum inijciat. Amen, Amen, „ Amen. Celebrandi mox natalis diuini diuitiæ, & parcitas, „ qua abs tua paupertate illum exceptum iri intelligo, perſuaſere

„ mihi harum litterarum molestiam, monitaque oblectationi fo-
„ re potius tibi, quàm cruciatui.
„ Reputasti tecum, opinor, Domina, per elapsos Aduentus sa-
„ cri dies, beneficium, quo Christus nos ornat eximium, dum
„ esse, ac versari nobiscum amat: eiusque simul animi felicitatem,
„ qui suæ illum domi diuersantem aspiciet. Quoniam verò ea
„ mihi de illius pietate summa spes est, fore vt tuus animus ita
„ illum excipiat, vt eius cum eo delicijs perfruatur, illud te ve-
„ lim admonitam, tuarum esse partium (modò placere illi pluri-
„ mum velis) cum primùm editum terris Infantem noris, illum
„ adire (nam & in cæteris, quos suæ præsentiæ honore, muneri-
„ busque afficiet, tu etiam numeraris) omnique studio ita te in
„ eã sanctissimam imaginẽ effingere, quam tuos ante oculos Fidei
„ cernes obtutu; veluti Iacobi grex in colorem induit sese propo-
„ sitarum sibi virgarum. Ecquod enim spectaculum admirabilius,
„ quàm fieri Deum Infantem, stipatum Angelis, & pannis inuo-
„ lutum? Ex ipsius magisterio (cuius nimirum exemplum, nostra
„ lux est) scientiam hauri salutarem tui submittendæ, ac profli-
„ gandæ æstimationis tuæ; præsentia, ac peritura omnia exuen-
„ di; quibus vereor ne malè te inuoluas, & implices: tui demum
„ ad eius exemplar ita fingendæ, quò arctiùs illum tibi coniun-
„ gas, quasi nulla sit apud quenquam tui memoria, omnibus in-
„ uisa sis, & contempta: neque verò id ipsum in cogitationem
„ admittas, nisi vt gestias, ac triumphes, quòd tui te Domini or-
„ natam cernis insignibus. Reputa tecum, quemadmodum post
„ tot, ac tanta, quæ nostri causâ ille præstitit, studia adhuc in
„ eum nostra languescunt; quin etiam à nobis ipse mœrore & cru-
„ ciatu conficitur, ad lacrymas vsque, quibus sese in præsepi per-
„ fundit. Prô nefas omnium odio execrandum, quòd lacrymas
„ tibi, IESV, ciemus! ducimusque id ipsi tam nihili, vt de re
„ tanta meditari nobis nec sit otium, nec voluptas. Duo hæc mi-
„ rabatur plurimùm Cyprianus, tanta nimirum, quæ hominibus
„ de seipso Deus impertijt, & tantula, quæ de se homines Deo re-
„ ponunt: quàm multum in conditis rebus bonitatis suæ Deus ex-
„ hibuit, & quàm minimum ex ea in nobis imbibitur: tædium,
„ moramque, qua Christum, quem scimus adesse nobis, adimus;
„ & celerem alacritatem, qua ad nos conueniendos viam ingressus
„ est Deus. Nostram, Domina, duritatem, cæcitatemque plo-
„ remus: diuinumque obtestemur Parentem, vt, qui suum nobis
„ dedit Filium, suum etiam Spiritum nobis impertiat; quò illi ob-
„ sequi, placere, cultumque, vti par est, impendere doceamur.
„ Cumque hic ille sit ignis, quem ipse misit in mundum, suo vt
amore

„ amore terras accenderet, noſtra illum immittat in corda; vt eo
„ ſcilicet nos inflammet. Nihil enim veniſſe illum in terras pro-
„ derit, niſi illabatur in corda. Vitam deinceps in ægritudine
„ exigamus, ac luctu; quòd cùm tanto ab Rege tantum nos ama-
„ ri videamus, eius adhuc igne non vrimur. Exhorreamus
„ hanc vitam, quæ ſuis partibus, munerique ſic deeſt. Quis opem
„ nobis afferet, Domina, quis medelam? Redeamus eodem cum
„ poſtulatu diuinum ad Genitorem, eundemque ſexcenties repe-
„ tamus. Adeamus IESVM, vt qui Seruator hominum ad nos
„ venit, ſuo nobiſcum munere defungatur. Adeamus diuinum
„ Spiritum, eum vt in nobis illuſtret: rudes adeamus Paſtores, vt
„ nos erudiant; Genitricem ipſius Sanctiſſimam, & Ioſephum, vt
„ nos pudore ſuffundant. Quid illos in paleis, ac præſepi collo-
„ cato ipſorum Rege, tunc egiſſe, quid ſpectaſſe oculis, quid
„ mente verſaſſe putamus? Pretioſa Cyprianus, inquit, non erat
„ ibi ſupellex; quæ etſi fuiſſet, ſpectatores tamen minimè habuiſ-
„ ſet. Puer enim in præſepi reclinis eorum oculos pertrahebat, &
„ corda; ſic vt palantes conditis è rebus diuiſa nollent mendicare
„ ſolatia, quæ in Conditore nacti eſſent meliora pariter, & con-
„ iuncta. Nudi parietes erant, ſed ij animis fulgebant diuinis mu-
„ neribus conueſtiti: carnis, nihil, ſed animi oculis omnia ibi
„ diuina apparebant: nullus pauperior natalis, nulluſque opu-
„ lentior: nullus, qui magis ſolatio & careret humano, & abun-
„ daret diuino. Palam erat homo, clam Deus: inter alios extra,
„ ſupra omnes intra. Rerum admirare complexum, pannos, &
„ Angelos, lacrymas, & concentus. Adeamus, Domina, Angelos,
„ qui nobis illum oſtendant, atque (quod præſtitere ipſi, vbi il-
„ lum terris editum aſpexere) ſuo exemplo eum æſtimare, colere,
„ ac celebrare nos doceant. Atqui id nobis vnum eſt hîc nego-
„ tium; cætera ſanè nullo habenda ſunt loco. Hanc tibi, Domi-
„ na, IESVS ſui æſtimationem impertiat, vt neque tua, neque rei
„ cuiuſpiam, ſed ipſius tantummodò ſis deinceps. Amen, Amen,
„ Amen.

Ex his litteris tenerrima ſimul pietas, ſimul dexteritas ſanctiſſimi hujus viri apparet in eius animo excolendo, quam ſuam in curam adeò ſtudioſè receperat: cui auctor erat, vt ſuis cupiditatibus vſquequaque aduerſaretur: quo gradu in virtutis perfectæ culmen euaditur. Etenim, vt idem aliâ hoc anno datâ eidem epiſtolâ ſcripſit, tantus apex abnegatione ſuæ vniuerſæ voluntatis attingitur. Inibi etiam eiuſdem in exponenda vitæ ſuæ ratione breuitatem expoſtulat; quaſi, de quibus diceret, animi progreſſus, regreſſuſue deeſſent. Atque illinc apparet, eam per epiſtolas ar-

cana suæ mentis consueuisse aperire Baltasari; eumque de ijs, quæ ageret, subinde consulere. Is verò commendabat illi cum primis, Deum in omni re vnicè spectaret, ac quæreret; animumque ve-lut ab opibus, itá & á cæteris rebus omnibus omninò conuelleret. Hac doctrina sic illa profecit, operamque dedit illi tam seriam, vt ex propinquis etiam, affinibusque quàm arctissimis nemo animum illi deuinxerit, aut ab eo, quod intelligeret esse diuinæ voluntatis, abduxerit. Quare in eum processit cum Deo consensum, vt nihil eam vspiam perturbaret, nihil eius patientiam frangeret, nihil sanctissimum hoc consilium, atque ardorem excuteret, quo dicebat, *Fiat voluntas tua*. Gestiebat vt filia, Deum, Patrem appellans; neque gratias illi desinebat vnquam agere immortales, quód eo á nobis nomine compellari voluerit: neque cibi vnquam parum, multumúe sumebat, quin illi Dominica precatione lentè præiret; vocem, Pater, tenera cogitatione perpendens. Interque cibos diuinam hanc indulgentiam apud circumfusos sibi plurimùm dilaudabat; prandio etiam sæpe, præ sermonis eius voluptate liquidissima, intermisso. Tertio quoque die cælesti epulo, pietate plurima, perfusaque lacrymis accumbebat: tenerrimo eo sensu nihil ex frequentia remittente; quamobrem, dum per valetudinem licuit, nostram Professorum domum, pedibus, cum matrona dumtaxat vna, vnicoque famulo adibat: neque vehi curru voluit, neque sella gestari: magno sanè atque heroico paupertatis spiritu, veraque humilitatis Christianæ in tanta opum affluentia argumento. At enim in cæteros omnes adeò locuples ac profusa, vni erat sibi pauper, ac tenuis in vestitu, cibatu, cubili, domestica supellectile, & comitatu seruorum: ijs vsa, quæ necessaria modò forent, atque ab his etiam nonnihil detrahens, non paruitatis animi causâ, sed amore virtutis; tum vt plura ipsi suppeterent, quæ erogaret in pauperes; tùm etiam vt se ipsa comprimeret, atque ad Christi exemplum, quod suadebat illi Baltasar, in eius paupertate, atque contemptu totam effingeret.

Idem illi solatij non parum attulit mœrentissimæ ob Ioannis Austriaci Caroli V. filij funus, ab se cum Coniuge Ludouico Quyado suæ domi à puero educati: quem porrò ipsa vti gnatum, & quam ille vti Genitricem, caritate sese mutua complectebantur: cui etiam is ab Hispania profecturus in Belgium, sensu amoris tenerrimo valedixit. Visum Deo est in ætatis, rerumq; flore illum terris eripere, salutis anno sequimillesimo septuagesimo octauo. Prouinciam tunc Aragoniæ (vti exponam deinde) lustrabat Baltasar. Nuncius perlatus est illi Valentiæ, vnde has illi consolatorias litteras dedit.

Con-

§. II.

„ COnſolator Deus ſolatio tibi, & leuamento ſit, Domina:
„ is enim huius anni condendæ frugi tam vberi erit ſanè
„ perneceſſarius. Litteras ad te non dedi ſtatim atque certior fa- 11. Decembr. 1578.
„ ctus ſum de Ioannis Auſtriaci ab hac ad immortalem vitam di-
„ ſceſſu: tunc enim ſolatio non minus egebam ipſe, quàm tu.
„ Ratus tamen eò altiùs in te deſcendiſſe vulnus, quò quaſi geni-
„ trix eras illi coniunctior, quem tu in rebus mortalibus vnicè
„ æſtimabas, id officij nequaquam diutius protrahendum putaui.
„ Initium hinc ducatur. Quod, per hæc acerba, Ioanni, tibique
„ debebam, id ego ſedulò perſolui; & vtrique fructuoſum eſſe
„ percupij: noſtræque Prouinciæ Moderatori ſtudio quàm potui
„ maximo commendaui, vt in ea vniuerſa idem omnibus impera-
„ ret. Quòd ſi, vti libet, ſic etiam liceret mihi per regimen, adijſ-
„ ſem te prius ipſe, quàm hæ litteræ; vt mei ſenſum animi tibi co-
„ ram exponerem. Sedenim rerum terminos Deus ità conſtituit,
„ vt eos aliquis cum tranſilire maximè velit, minimè valeat; quos
„ adeò tunc reuereri, id factu ſit optimum. Laudes Deo ſint ab
„ hac ipſa re geſta immortales; quæ cum vtiliſſima extincto fuerit,
„ nobis ſuperſtitibus argumentum dedit opportunum perputandi
„ rem ſimul, ac flendi: vt & nobis frugifera illa ſit, vtpote Dei
„ opus, quo ille vno, & præmio vigilantem affecit, & ſomnicu-
„ loſos ſimul monet, ac plectit; non ſine ſolatio tamen; ineſt enim
„ vita ipſius diſciplinæ; modò ſapienter eius opera perpendantur;
„ non in extima ſolum fronte, ſed intimis etiam in fibris, in qui-
„ bus medulla deliteſcit. *Si ſic viuitur, & in talibus vita ſpiritus*
„ *mei, corripies me, & viuificabis me*, Deo aiebat Ezechias in ſuis Iſa. 38. 16.
„ olim rebus afflictis, ac Dei eruditione conſimili, eâque pergra-
„ ui: ſi ſic, inquit, in hac peregrinatione viuitur, meique ſpiritus
„ ſemita his vrgetur anguſtijs, tua, Deus, conſilia, teque in ijs
„ omnes adorent, qui calamitatum hoc magiſterio corripis me-
„ ſimul, & animas. Eâ Deus prælectione, Domina, nos inſtru-
„ xit, vt, ſi eius vti fructu nouerimus, vniuerſæ vitæ ſit ſatis: tibi
„ verò ſolatium intimum admiſcuit, intelligenti nimirum ſuauiſ-
„ ſimum Dominum properaſſe, vt illum aleæ periculoſæ ſubduce-
„ ret, quem tu, & ipſe caritate tenerrima complectebamini, ipſe
„ verò ſuæ olim Regiæ æterno conſilio deſtinarat: morte illi etiam
„ decreta, quam obiret in caſtris; ſuoque amplius exemplo, vt
„ Parentis tueretur honorem; illum in communi ſuæ tantæ gloriæ
„ re efficiens ſibi conſimilem; tum & in animi cordiſque integri-

tate,

„ tate, de qua tam multi eorum, qui aut cominus nouere illum, „ aut eminus, eique deferenti mortalia interfuere, locuples testi- „ monium dicunt. Cadit profectò in te, atque illum aptissimè, „ quod Apostolis effatus est Christus, ab suo, cuius admoniti

Io. 14. 28. „ erant, discessu perægris, *Si diligeretis me, gauderetis vtique,* „ *quia vado ad Patrem*: bonum quippe meum gaudio vestrò plus „ proficit (licet aliquid inde vobis submolestum eueniat) quàm „ absentia mea (vt fortasse suspicamini) possit vobis officere ad „ mœrorem: eòque maximè, quod indubitatum est hoc alterum, „ quod ipse nimirum molior vester vtique Deus, ac Vindex: quā-

Io. 16. 7. „ obrem illud vobis erit cum primis aptum & vtile; *Expedit vobis* „ *vt ego vadam*. Quoniam verò docenti eorum fides accessit, rem „ experimento; post diuini Spiritûs illapsum, edocti, facta infe- „ cta nullo vtique vel mundi totius pretio, voluissent: seque „ ipsi sensere tam alios, & animi robore, & processu virtutum, „ & vnius, vniuersique sui boni, Christi æstimatione, vt experti „ cognorint hoc vnum sapere demum esse, omnia Deo in partem „ vtramque agenda permittere, nullâ nostrâ cum libentiâ, vel de- „ lectu; venerarique silentio quicquid in arcanis Dei consilijs im- „ becillam mentis humanæ vim fugit: id enim etsi occultum, „ prauum tamen esse non potest.

His litteris huic Matronæ plurimum adiunctum est solatij; quā- quam illam multa Deus sua ope ante munierat; cui ipsa se, sua- que omnia carissima licet, atque pretiosissima liberè, liberaliter- que dediderat.

Coronam nunc Matronæ huius virtutibus imponat submissio ipsius animi prorsus heroica: quippe quæ minimi, ac nihili du- ceret quicquid Dei causâ largiretur, & ageret. Id verò miratus in illa sum maximè quoties illam, & quidem non rarò, allocutus sum. Agenti enim mihi quandoque gratias pro ijs, quæ in nos conferebat, plurimis, maximisque beneficijs, verborum ità sub- missâ, synceràque formulâ respondebat, quasi nos de ipsa potiùs benè mereremur, accipiendo, quàm de nobis ipsa, donando. Idē illi sensus erat de pijs alijs eleemosynis, quas in pauperes eroga- bat. Et verò sic habet. Quisquis enim intenta mentis acie Chri- stum aspicit in egenis, intelligit non tantum à se conferri bonum in pauperem, cui stipem impertit, quantum sibi ab inope ipso illam accipiendo tribuitur; non quò ille is hominum est, sed quòd in illo is, qui accipit, Christus est ipse; eam porrò bonorum animi centuplo in hac mortalitate, ac deinde perennium in cælesti bea- titate compensans.


Hinc etiam in suarum distributione fortunarum personam non

Do-

Dominæ,sed dispensatricis agebat; quasi ab eleemosynis ipsa esset Dei, vt aliqui sunt Regum, qui nimirum stipem ex eorum bonis erogant: eâ verò cum animi pietate, vt communis esse videretur egenorum omniũ parens, ac perfugium calamitosorum. Pluribus illam annis præiuit ad immortalitatem Baltasar: eaque interim suæ vitæ constantiam cum virtutum omnium increméto retinuit: cursumque vitæ cum omni laude tandiù cucurrit, donec illum denique annorum,meritorumque plena confecit. Suorum redituum non fructus modò in eleemosynis exposuerat;sed ipsius etiam sortis partes plurimas viuens adhuc obstrinxerat; ijs ab se abalienatis, vt firmiùs, quæ perpetua condiderat, opera stabiliret. Quicquid verò reliquum illi sub vitæ diem supremum fuit, id etiam in Christi pauperes testamento distribuit; hærede scripto carissimo sibi Villagartiensi Collegio. Lateris icta dolore decubuit; quem vbi periculosum sensit, ipso primo statim die, atque iterum vltimo, qui septimus ab illo fuit, diuinæ Eucharistiæ ferculum sumpsit. Dies hi omnes eius corpori sanè permolesti, at verò animo periucundi fuere: illos enim iugibus ferè precibus extraxit, Deo se etiam,etiamque commendans;seque visentibus minimùm quàm poterat indulgens; curis eo maximè conuersis, vt stipe iuuarentur egeni. Astitere illi dies noctesque Patres Societatis: Deique benignitate factum est, vt Vallisoletum coirent tunc ex Patribus, qui notissimi erant illi, atque carissimi. Ioannes verò de Monte-Maiori eius tum Collegij Rector Romam profectus cum illius Prouinciæ procuratione, biduo ante ab suo itinere reuersus est; eique ad discessum ex hac vita solatij, opisque multum impertijt. Negotij tamen minimum erat cum ea omnibus; quam Deus nempe secum ipse largiter occuparat. In postremis ferè verbis ea fuere, post aliquid leuamenti ex gelidæ haustu perceptum, oculis in imaginem pendentis è Cruce Christi defixis; Hac, inquit gelidâ, Domine, tibi, vt mihi nunc est, in supremis laboranti,minimè subuentum est, sed felle & aceto: miserere pauperculæ huius & ancillulæ miserandæ. Die Iouis D.Barnabæ sacro, quintâ noctis horâ, salutis 1598., ætatis verò suæ tertio supra septuagesimum anno, vitam Deo reddidit. Ex ea erepta, acerbissimo dolore, luctuque affecti sunt pauperes: eoque die diuisi in ipsos sunt nummi argentei quadringenti. Societas tam benè de se meritæ grati sui animi monumentum exhibuit. Eius corpus, in conclaui, exiguo tunc feretro impositum est. Socij omnes ex tribus ipsorum in hac vrbe domicilijs conuenere ad psalmodiam funebrem exequendam. In ijs duodecim ad eius cadauer ea nocte egerunt excubias. Postridie manè Sociorum omnium cœtu

facto in Templo Domus Professæ honorarius excitatus est tumulus, plurimâ facum vi collucens; atque illi, qua Societas celebritate potest, pijs exequijs parentatum est: accuratumque vt Vallisoleti sacris eo die omnibus ipsius animus expiaretur. Solemne funus institutum est deinde sub vesperam, quod Templi maximi Collegium suis cum Clericis vniuersum, religiosique Ordines omnes, quibus mos est pijs hisce muneribus defugi, suâ præsentiâ cohonestarunt: piâ, quæ inter hæc solet, eleemosynâ in eos largiter erogatâ. Nobilitas item omnis, quæ tunc degebat Vallisoleti, confluxit: pompâque hac, & comitatu, grauissimi ex Societate Patres impositum feretro corpus trans Pontem vsque Vrbis aduexere: inde verò, comitantibus Socijs triginta cum facibus, lecticâ auectum est in ipsius Villagartiense Collegium, quò Prouinciæ vniuersæ grauissimi Patres cum Prouinciali conuenerant: ibique omni honore celebratum funus, & concio habita est ab Antonio Padillio eloquentiæ suæ grauitati, & argumenti amplitudini par. Perseuerant & nunc pia apud Deum suffragia: & quæ imperata testamento fuere, integrè persoluuntur.

Simul ac primùm de illius obitu Salmanticæ, vbi tunc ipse degebam, rescitum est, conscij nempe, quantum illi Societas vniuersa deberet, non satis habuimus ea illi, quæ constituta sunt in Societate vniuersim impendere; sacris nimirum nouem Sacerdotes omnes æternæ illius requieti litare; verùm de insigni etiam honore illi habendo consultum est; concitis ex Vniuersitate, atque Vrbe vniuersa primoribus, qui & perlibenter conuenere. Dixit è suggestu Iosephus de Acosta sacrâ eloquentiâ laudatissimus, à quo tunc illud Collegium regebatur: dixit verò perquàm egregiè de præclaris defunctæ operibus, quæ illam ad vsque cælestem gloriam prosecuta sunt. Peractum idem est in cæteris Prouinciæ Collegijs, eodem grati in eam animi argumento: atque idcircò etiam hoc loco stylum effudi, vt in terris memoria in posteros omnes perseueret illius, quæ tam præclara molita est, quibus diuino Regi gratificaretur; quicum in præcelso gloriæ solio regnare illam habeo persuasum.



CAPVT

CAPVT TRIGESIMVM SEPTIMVM.

De fructu id temporis in primoribus alijs: deque gemino de diuina Prouidentia Commentationis argumento, quod horum cuipiam Baltasar multa cum pietate proposuit.

HIc etiam Villagartiæ, modico licet in oppido, locus Baltasari fuit exhibendæ suæ & caritatis in proximos, & facultatis ad eos Christo Domino adiungendos. Quanquam verò optimatium consuetudine vtebatur, sese gregalibus tamen, ac plebeijs etiam permittebat. Illos proinde accedentes ad sese excipere humaniter, & quasi vacaret integrè, audire illos cum voluptate per otium: indeque & plurimus in ipsum eorum amor, & honor; & illud ipse implebat Apostoli; *Græcis & Barbaris, sapientibus, & insipientibus debitor sum*, ad Euangelium promulgandum omnibus, & docendum. Frequentior tamen vsus illi fuit cum optimatibus tum cõmunibus, tum sacris, Religiosisque variorum Ordinum illud in oppidulum aduentantibus, vt ipsum de animi sui rebus consulerent, atque hebdomadam vnam, aut alteram apud ipsum exigerent, per secessum ad preces, aliasque pias exercitationes, docente, ac ducente Baltasare. Præstantiores in his, frequentioresque fuere Franciscus Reinosus Abbas tunc Vsiliensis, qui & in Palentino Templo primo honoris gradu fulgebat, Cordubensi deinde infulâ insignitus; de quo sexto decimo capite commemoratum est: eiusque fratris filius Hieronymus Reinosus eiusdem Templi Canonicus, vir exempli sanè optimi, virtutisque studiosus in paucis; qui adiunctos sibi alios ex Canonicis, ac Beneficiarijs, nunc hos, nunc illos deducebat, vt pijs his exercitationibus, tantique Institutoris doctrinâ fruerentur. Mos hic in plures deinde annos perseuerauit; excitante illos Palentiæ Societatis nostræ Patre præferuido, cui nomen Andreæ Assensio fuit: isque de precandi studio diu multumque cum Baltasare contulerat. Narrabat verò, laborantem aliquando sese animi angustijs, quarum causâ diuini spiritûs impulsibus obsequi non auderet, à quo ad maiora scilicet vocari se cognosceret, ea de re ad Baltasarem retulisse; ab eoque sibi ademptum esse errorem, additumque animum ad sequendum; quòd eam vim spiritus diuini esse liquidò appareret. Deinceps verò tantos in se, alijsque processus effecit,

Rom. 1. 14.

vt cum tenuibus instructus esset naturæ bonis, quòd amplissimis præditus erat diuinæ gratiæ muneribus, plurimam sibi apud eius Vrbis, ac Templi præcipuos viros auctoritatem conciliarit. Eoq; animi candore, vti ab nonnemine illorum accepi, aliorum corda obtinebat: ijque salutaribus ipsius consiliis obtemperabant: commodo etiam tempore, Villagartiam cum ijs adibat; ibique pijs commentationibus & illos exercebat, & sese.

Alij etiam extrarij prænobiles Villagartiam confluebant, in quibus laudatus supra Marchio Veladius, Ignatius Fernandus Velazquius Castellæ Comestabilis, eiusque gener Franciscus Borgia, Lombaij Marchio, ac deinde Gandiæ Dux: quibus domicilium Villalpandi tunc erat: quo ab oppido tribus leucis Villagartia disiungitur. Eò Baltasar itabat, petente Anna Aragonia Duce Friasensi, nostrique Ordinis amantissima; cuius & virum suum Comestabilem studiosum esse, eumque conscientiam expiare, resque suas apud aliquem ex nostra Societate virum exponere plurimum exoptabat. Et verò, cum primùm nouit ille Baltasarem, tanto amore complexus est hominem, vt sua illi omnia, ac sese integrè, penitusque crediderit. Confessione sacra suam illi à principio vitam omnem retexuit, atque ab eo illius deinceps instituendæ rationem accepit. Exinde Villagartiam itare, cum eo solus vt ageret, tantum illi honorem attribuens, vt coram ipso in sermonem vocare mortalia nō auderet; gauderet verò plurimùm illum audire colloquia de Deo serentem. Marchio item Lombaij ad animum ijsdem exercitationibus ope Baltasaris excolendum secessit eòdem. Quem Baltasar ad pias allocutiones, collationesque cum Tyronibus admittebat; eiusque sententiam, vti cæterorum, ordine rogabat. Ab ijs exercitationibus cum præ luce illinc hausta, nebulam errorum omnem Baltasar ab eius animo depulsam esse cognosceret, hortatorem publica in Aula illum adhibuit, qui de Mundi imposturis, ac sycophantijs dispiciendis coram Tyronibus verba faceret. Idem aliàs Villagartiam redijt, suas vt res cum Baltasare communicans, eius in ijs consilio vteretur.

§. I.

FRuctum tamen Baltasar Villalpandi, quoties eò profectus est, longè vberiorem edidit in Duce Friasensi, eiusque prole gemina, Ioanna Velazquia Lombaij Marchionissa, Gandiensi postmodum Duce, & Agnete Velazquia, Comite deinde Montis Regij; inque alijs matronarum harum Principum fœminis; quibus omnibus amorem, ardoremque plurimum virtutis iniecit. Dux

ipsa

ipsa dudum pietatis, precum, cæterarumque virtutum studio tenebatur: illam in eo tamen prouexit, perfecitque Baltasar, indicato nempe, quò ea omnia, suarum rerum compendium factura, dirigeret: hoc est ad integrum, absolutumque in omni re cum diuina voluntate consensum; sic vt vellet, probaretque quicquid vult Deus, & probat: anxitudine immodica, tristitiaque depulsis, quæ, vbi consensus hic deest, solent ab improsperis euenire. Quoniam verò diuini huius consensus Matrona hæc cupiditate flagrabat ingenti, multisque curarum æstibus, sibi nempe infestissimis iactabatur; geminam illi de diuina Prouidentia commentationem, in qua ipsa se exerceret, illi scripto dedit; ibique non eius modò, quo imbutus erat, spiritus, sed eorum, quos suam in curam ipse reciperet, cognitionis simul, ac studij documentum exhibuit. Eà propter libuit hic vtramque proferre.

Meditatio prima sic habet. Christi Domini, eiusque cælestis aulæ conspectui ipsa te sistens, coram cuius numine, quæcumque eueniunt, fiunt, quique fideles suos multò magis, quàm ipsi se, amat, hæc tria perpendes.

„ Primum ex D. Dorotheo, fide credes indubiâ, nihil ingra-„ tum, asperum, & molestum sine Dei prouidentia nobis posse „ contingere: vbi verò diuina prouidentia adsit, ibi vniuersum „ bonum esse, omniaque in bonum referri animi, & salutis. Quā-„ obrem in re quauis aduersa tibi sic dicito; Egestas, ac rerum „ angustiæ homini, pro suo gradu, & amplitudine, præstare „ multa debenti, oneri, molestiæque sunt plurimæ; sed pauper-„ tati cum Dei prouidentia coniunctæ, ingens profectò inest vitæ „ præsidium. Obliuioni, & contemptui apud alios esse, ac sua „ concuti, turbarique, id certè animum vehementer excruciat; „ sub diuinæ tamen prouidentiæ instituto, atque consilio id, „ ipsum amplissimi thesauri loco est, si quis recipere se norit in „ tutum.

Alterum est: eo posito, in rebus, quibus premi nos maximè in hac mortalitate possumus, eas esse, quæ ad animum, ipsiusq; processum referuntur, & quæ ad humanam hanc vitam, eiusque præsidia spectant; de his ea Christi verba pensitata diligenter, ac persuasa suum apud animum habenda esse, quæ immortalis sui Genitoris prouidentiam erga nos disertè docent; ijs altè cordibus nostris infixis, tanquam certissimis argumentis, ex quibus planè intelligamus, quid nobis facto sit opus, vbi hæc, aut illa desint. Christus igitur apud Matthæum hæc inquit, *Orantes* (in ijs nimirum quæ animi sunt) *nolite multum loqui sicut Ethnici: putant enim, quòd in multiloquio suo exaudiantur*, quasi suis argumentis, ac ratio- *Matth. 6. n. 7. & 8.*

tio-

tionibus victuri sint Deum, *Nolite ergo assimilari eis. Scit enim Pater vester, quid opus sit vobis antequam petatis eum. Nec solliciti sitis dicentes, quid manducabimus, aut bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia gentes inquirunt: scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis.* Hæc perputans verba, in te ipsa descende: atque ex ea, qua premeris tuorum liberorum cura, eorum maximè, quibus prouisum minimè adhuc fuit, hanc veritatem elicito, ex qua, cura hæc ipsa reijcietur in Dei studium erga suos: quo illos accurante, poterunt & ipsi sollicitudinem sui omnem abijcere, eamque in Deum conferre, auctore Petro, *Omnem sollicitudinem vestram proijcite in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.*

Tertium erit perpendere, eum, qui diuini Parentis prouidentiam hanc certò nobis affirmat, non aliquem hominum esse, sed verum ipsius Filium, nostrumque Assertorem, ac Dominum Christum IESVM, qui omnia nouit, quæ in illius pectore sunt arcana; eaque nobis ad solatium nempe nostrum aperit, & exponit, ex eo veritatis oraculo, *Vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris,*
Ioa. 1, 18.
„ *ipse enarrauit.* Hæc elocutus est ipse: ad quem colloquium in-
„ stitues, cumque rogabis, vt, quando ipse fidei nostræ dat in-
„ tellectum, tibi etiã illum, circa ipsius prouidentiæ fidem imper-
„ tiat, quo tempore, ac modo conducibilius tibi fuerit: vt quem-
„ admodum per eam tua omnia bona, opesque digerit, ac diri-
„ git, ità ex quocunque rerum euentu solatium capere, diuinam
„ prouidentiam æstimare, ex eaque proficere condiscas. Finem
„ impones, dictâ semel precatione Dominicâ, in qua dulcis hæc
„ & paterna prouidentia continetur.

Hanc primam meditandi materiem præbuit huic Matronæ Baltasar. Libet verò sanctissimi huius viri submissionis exemplum exponere; in excipiẽdo ab alijs licet minoribus documenta, vel cõsilia, vbi vbi sese daret occasio. Hæc enim illo scribente, cubiculum eius ipse inij, meæ vitæ rationem illi expositurus, sub quo Institutore tertium Tyrocinij annum tunc ponebam: isque mihi scribere se tunc tria capita significauit, de diuina prouidentia, quæ ad Matronam hanc peræ grani animo mitteret. Cui ego alia etiam à me tria peropportuna perlecta fuisse subieci in Dialogo Diuæ Catharinæ Senensis de Perfectione; quæ illa, Deo ipso dictante, conscripserat. Pro sui demissione animi, cuius exemplum in me mirificè valuit, ea in loco à me petijt; ad eamque hoc planè modo transmisit.

Altera

§. II.

Altera, inquit, meditatio tria capita complectitur; Diuæ Catharinæ Senensi ab Seruatore Christo ei aliquando apparente proposita, vt disceret in bonitate sentire de varijs in re quauis euentibus, tanquam ex ipsius prouidentiæ nutu profectis, è quibus solatium simul, fructumque perciperet.

„ Primum caput ab ipsius Omnipotentia ducitur. Animaduer-„ te, filia, me tuum immensæ gloriæ Deum, qui te ideo condidi, „ vt mea felicitate perfruaris, potentiâ præditum tantâ esse, vt ni-„ hil in rerum omnium vniuersitate, nisi ex meo iussu, aut permis-„ su contingat. Alterum ab Sapientia: Ego Deus tuus Sapientiæ „ sum profundæ: quare nihil me latet, aut extra prouidentiam „ meam est: itá vt nec astu falli, nec errore valeam perturbari. „ Atque, vt aliquid de meæ Sapientiæ vi intelligas, noueris ex „ malo tum culpæ, tum pœnæ, plus à me boni elici, quàm ipsum „ malum extiterit. Tertium caput à Bonitate, & Sanctitate desu-„ mitur. Velim habeas persuasum me Deum tuum nihilò minus „ Bonitate, quàm Sapientia, Potentiaque præstare: adeòque „ velle haud possum, nisi quod tibi, cæterisque melius, conduci-„ bilius, atque salubrius est: neque malum ex me proficisci vllum „ potest. Et quemadmodum liberè homines condo, itá illos amo-„ re summo complector. Illud hinc porrò conficies, ærumnas, „ opprobria, cruciatus, cæteraq; aduersa omnia, ex nulla vnquam „ alia causa, meo annutu, euenire, nisi vt rationibus vestris ex-„ pediant. Per ea igitur, quæ speciem vobis mali præseferunt, „ vestris ex animis euelluntur vitia, virtutesque in ijs inseruntur: „ qua via in verum, summumque bonum ignotum vobis euadi-„ tis. Hinc etiam intelliges, me Deum tuum scire, posse, ac vel-„ le magis tuum bonum, quàm tu ipsa scias, possis, ac velis. „ Hæc diuinus Præceptor Catharinam, teque in illa, & mortales „ vniuersos edocuit.

Commentationibus hisce, harumque similibus, vt res ferebant, ac mentes capiebant eorum, quorum consuetudine vtebatur, animos omnibus, vti huic nominatim Matronæ ad virtutem adiungebat: cuius in Baltasarem tam multa erat cum amore tanto reuerentia, vt coram illo vultum, habitumque præ se ferret infantulæ. Dictitabat & illud, alijs ex Societate Patribus, plurimæ licet auctoritatis, Villalpandum adeuntibus, sermonemque de diuinis rebus inferentibus, eos etiam, qui audirent, sua cum ijs immiscere posse colloquia; suisque in ea consuetudine partibus defungi:

gi; loquente verò Baltasare (tanta erat eius excelsitas, & amplitudo) obmutescere omnes, pendentes ex illo, ceu pueros. Litteras verò cum ad illum dabat, inscribebat fronti; Domino meo P. Magistro Baltasari Aluarez Societatis IESV, Parenti meo.

Æquè illum amabant, colebantque Dominæ eiusdem filiæ; quibus ipse auctor fuit, vt aliquid temporis piæ commentationi darent, seque in ipsis se coërcendis sedulò exercerent; sua etiam manu statam quotidie stipem egentibus impertirent. Eæque linteo vestibus præposito parata ijs iuscula hauriebant ex ollis; tradente illis interim Baltasare catechesim; eduliaque deinde in ollulis, scutulisque distribuente. Semel, pridie solemnis memoriæ, pompæque Institutionis Eucharisticæ, sub vesperam, eius honorandæ causâ ad ornandũ Templum conuenere omnes; scopis illud purgare e duæ; alia lampadi nitorem induxit; aliaq; instruxit aras; custodientibus interim fores ex famulatu nonnullis, & aliquo ex Societate Religioso, ne se quispiam in Templum immitteret, dum eæ illo pietatis munere fungebantur. Submittere præterea illas scitè, prudenterq; consueuit verbis in rem aptissimis. Ex ijs verò altera natu minor affirmabat, à nemine fuisse se vnquam acceptam acerbiùs, quàm à Baltasare: cui aduersum se verba quædam exciderẽt quidem, sed quibus animum sibi altè confoderet. At enim, quòd suo bono id ab illo fieri sentiebat, quanquam id ipsi permolestum erat, non committebat propterea vt illum minus amaret, & coleret; tantumque eius auctoritati tribuebat, vt cum in angustias coniectam sese aliquando conspiceret, Baltasaris, quas habebat, epistolas admoueret confestim pectori, ex ijsque illico recrearetur.

Aliud etiam memoratu dignissimum nobilibus hisce puellis accidit, Villalpando Vallisoletum sua cum Genitrice petentibus. In Gynecæi curru, quadrima Comitula de Haro vehebatur. In decliui iugo Villanubiensi, qui currum trahebant, equi efferati sunt adeò, vt cæteras Dominorum rhedas, lecticasque anteuerterint, & aurigam amplius ipsum excusserint; sic vt accedere auderet nemo. Pedites famuli periculum, cui subueniri non posset, intuiti, consternati nempe sunt animo. Propter currum eodem itinere ingrediebatur tunc fortè Baltasar: isque conspecta re, precibus apud Deum institit, vt ne comitum cœtus ille periret. Et verò annuit perbenignè oranti Deus: atque ruituri iam iam in ipsa montis prærupti crepidine, cum certo, immanique omnium excidio, equi protinus substitere. Ad hæc ab iactatione currus, vti facilè potest intelligi, tam enormi, nulli earum, quæ vehebantur, quicquã euenit incõmodi. Miraculi loco habitum id iure fuit ab

omni-

omnibus, precibusq; Baltasaris attributum, à quo, tanti beneficij causâ, gratiæ in loco actæ Deo sunt optimæ, maximęque.

CAPVT TRIGESIMVM OCTAVVM.

Burgos id temporis proficiscitur: pijsque duabus fœminis sibi propinquis vitæ disciplinam perquàm ordinatè constituit.

QVanquam Baltasar amorem in propinquos sub imperio sic habebat, vt eos nullo nomine, quod diximus, vellet inuisere, obedientiam tamen, ex sacrarum litterarum oraculo, pluris faciebat, quàm victimam; parendo enim suum iudicium, suaque voluntas mactatur; quæ hostia gratior Deo est, quàm consanguineorum aspectum sibi negare, arbitratu nempe, consilioque suo; iustis de causis secus Præpositis imperantibus. Id igitur temporis Obedientiæ iussu profectus est Burgos, postulante Doctore Ioanne Diez Moralio Salsedio, Archidiacono Larano, sanctæque illius Ædis Canonico, & Cardinalis Pacechi Archiepiscopi sui Vicario; Vallisolitano deinde aduersus hæreticam prauitatem Quęsitore. Isque suas domi contubernales habebat, Eudigam Aluarez sororem Baltasaris, orbatam viro fratre suo; sororemque suam, religiosam domi fœminam; vtramque exemplum virtutis egregium, studioque orandi, & contundendi sese affatim exercitas. Earum tamen preces, consuetudinemque cum Deo, ac virtutes souendas seriò proposuit sibi Baltasar. Sedenim, ne præceptiones, quibus illas instituebat, laberentur ex animo, agenda quotidie, suo illis ordine, scripto proposuit; tam profectò piè, atque ad hoc hominum genus accommodè, vt pretium operæ facturum esse me duxerim ea hîc legenda proferre; ex quibus & pares aliæ fructum capere, & Confessarij simul addiscere possint, quo magisterio illas instituant, quas perfecta virtute velint imbutas.

Verùm, vt, quæ hoc loco traduntur, planiùs intelligantur, ponendum primò illud est, Baltasarem, vti capite quarto docuimus, ijs omnibus, quos cum studio precandi coniungeret, post commentationes de peccatis, & ijs, quæ homini postrema contingunt, auctorem fuisse, vt diù multumque in meditandis Christi cruciatibus versarentur; eò nempe, quia plurimum opis inde percipitur ad crimina largiùs, perfectiùsque deflenda; ad vincendum, triumphandumque sese; ad amorem Dei, ac proximi excitandum; ad

virtutes demum omnes multò præstantissimè obtinendas. Iis proinde affirmabat; Nihil vos egisse putate, donec affixum cruci Christum vestro in corde gestetis; eo, quo ibi explicatum est, modo; iugi nempe memoriâ, intelligentiâ, amore, imitationeque diuini hominum Assertoris, excellarumque virtutum, quas ille in palæstra crucis exercuit. His positis, orandi, viuendique ratio hæc est.

Cùm primùm excitaris à somno, meditandæ rei argumentum in memoriam reuocato, ne aliæ te cogitationes anteuertant, animumque dissipent, ac distrahant in precando. Oratorium ingressa, sacrâ te aquâ lustrato; & horæ vnius horologium statuito, precandi mensuram; vnoque aut altero passu prope ab loco, in quo positura es genua, perputato tecum ipsa paulisper, quicum actura tunc sis: ac tum ceruicem pronè submittito, quò intimam erga Deum animi reuerentiam eo etiam argumento foris ostendas: tum flexis genibus opem ab eo deposcito, tuos vt cogitatus, verba, operaque in sui vnius obsequium paret, ac regat: illud hîc reputans, quantum suo ab Auctore pendere vnumquemque oporteat, si rem assequi certò velit. Nihil enim sine eius ope, ne bonam quidem cogitationem tantulam suscipere quiuis potest.

Rem deinde ipsam tuos ante oculos ità proponito, atque si coram ipso in oratorio agatur. Quoniam verò ea fermè à Christi acerbitatibus, pœnisq; petenda erit, ratio erit eiusmodi. Petes à Deo, vt, quandoquidem sua merita, suorumque cruciatuum fructum tecum ipse participat, suis etiam te cogitatibus, sensisque bonis impertiat; vt de ipsius mysterijs ea tutò mediteris, ac sentias, quæ magis & placitura ipsi, & profutura sint tibi. *Primò* deinde perpendito, quis ille sit, qui ea perpetitur, nimirum Deus. *Secundò*; quænam illa sint, quæ perpetitur: idque non tam mentis commentatione ratiocinans, quàm velut internis animæ oculis planè conspiciens, quos contemptus, quæ opprobria, quos cruciatus exorbet, ac deuorat. *Tertiò*, animaduerte, qua patientiâ cruciatus, qua submissione contemptus, qua caritate odia excipit aliorum: eumq; tam indignè acceptum demirata, ex ipso sic quæres; Maiestatis summæ Imperator, quo impulsus metu, vel commodo, tam deformia, tam immania perpeteris? Atque, audiente animo, responsum confestim accipies; Neque metu impulsus hæc perfero, omnipotens enim sum; neque commodo ductus, sum etenim Deus, rei extra me nullius egens; sed vno tantùm adactus, quo te complector, amore: atque in hoc amoris verbo, sensu defixa tandiu hærebis, dum animus pellici se, perpellique sentiat ad amorem erga Deum, ijsdem, quibus ipse suum

suum nobis ostendit, argumentis illi approbandum; perpessione contemptuum, ærumnarum, offensionum, & eorum hominum, qui nostris suis ipsi moribus aduersantur. Vt enim fructuosa sit meditatio, dirigenda simul mens est ad perpendenda mysteria, simul ad meliorem formam moribus inducendam; spectando nempe, quid quo perpeti modo possis, ijs consentaneum, quæ perpessus est Christus. Summa enim orandi, proficiendique scientia in tolerantia, suique submissione magis, quàm in liquidis animi voluptatibus, delicijsque consistit.

At verò festis, quibus præcipuus habetur honor, diebus, peti ex ijs poterunt argumenta precandi: quòd si sumenda sit Eucharistia, ea ipsa erit meditandi materia. Sub vesperam verò, aut ab sacra mensa, in ipsa gratiarum actione, de solemni eius diei memoria commentari consentaneum erit.

In ariditate, nebulis, stupore ac cæteris animi impedimentis, ea tuis è noxijs fruticare fac credas. Quæ si minus ea parte cognoueris, quâ Deo iniuriam intulere, intellige tamen satis ex relictis tuo in animo socordiâ, & torpore. Submitte in loco te, Deoque sic dicito, Hæc Domine meæ sementis est fruges, hic tot meorum annorum est fructus: eoque nomine, quòd hæc impedimenta meis è culpis existunt (quod quidem neque tu promeritus certè es, neque ipsa tibi debueram) doleo, sensuque, & lacrymis eorum velim affluere, qui tibi maximè placuere: at verò, qua parte pœna hæc, tuo nutu, meis est irrogata criminibus, gaudeo me talia luere, quæ talia peccarim. Perstent verò quæ à te constituta sunt in æuum vitæ omne; & hoc in mille vsque annos extrahatur. Atqui, cum Deus conditis à se rebus adsit, & insit, his suo se loco continentibus, si te, vt debes, probè submiseris, animoque libenti inflictam tibi pœnam admiseris, influet tibi solatium & voluptas. Quòd si voti compos fies, quà te ducet Deus ipse, subsequere: sin minus, viam hanc submissionis, atque fiduciæ cum primis tutam insistito.

Quartam minimùm horæ partem lectioni opusculi de Contemptu mundi, aut cuiuspiam alterius pij libri quotidie dato. Aliarursum quarta horæ parte antequàm cubitum eas, in tuæ vitæ rationem inquirito: certumque tempus cubando, surgendoque constituito: deque vespertinis negotijs resecato; quò tibi tempestiuè te reddas. Sacræ Confessionis, diuinæque Eucharistiæ Sacramenta octiduo semel semper obito: quandoque etiam per hebdomadam, Confessario annuente; cuius sententiæ tum in hoc, tum in pœnis, quas quotidie tibi irroges, acquiescito; idq; pluris facito, quàm quidquid pium, asperumque proprio arbitratu susce-

ſceperis. Sic enim rem Deo facies gratiorem, & tutiores tuæ tibi res erunt. Me verò de his, quomodo tecum agantur, ſingulis menſibus tuis litteris fac doceas: primò de corporis tui valetudine: tum de interno animi ſeceſſu: tertiò de lectione: quartò de piaculari confeſſione, diuinæque menſæ vſu: quintò, an recenti, vel moleſtia quapiam exercearis, vel aliquo Cæli munere exciteris.

Atque hæc vitæ ratio eſt, quam ſorori ſuæ, eiuſque ſociæ non membrana modò exaratam, ſed & ipſarum animis inſculptam dedit. Eas enim tanto ardore ſpiritus alloquebatur, vt quandiu illum audiebant, à pio, quo vrebantur igne, vberrimas in lachrymas colliqueſcerent. Quæſitoris ſororem diù in hac vrbe verſatam affatus ipſe ſum aliquoties; &, quem adepta erat, cumulum virtutis agnoui. Præſtitit ſanè in ſui afflictatione, flagellis, cilicijs, ieiunijs quatuor in ſingulas hebdomadas diebus, & pane perſæpe tantùm, ac gelida. Somnum haud vnquam capiebat in lecto: complures verò noctes in precibus conſumebat. Nihil in libro D. Catharinæ Senenſis, quam colebat impensè, de afflictationibus, pœniſque legebat, quod & ipſa præſtare nollet. Vndecim ante vitæ exitum annis voto ſe obſtrinxit, in ferream catenam, diu, noctuque latera perpetuò induendi: factumque propterea inde vlcus balſamo mitigabat. Cumque morbus, quo extincta eſt, quartum in menſem productus fuiſſet, non niſi altero ante obitum die eam ab ſe catenam reiecit; ne deprehenderetur ſcilicet ab ijs, qui funebrem ſuo corpori amictum inducerent. Tolerantiam ſummam tum in morbo tam diuturno retinuit, cum in doloribus, maximèque dentium, quibus complures annos vexata eſt; nullâ eius ob id, aut cuiuſpiam rei deſiderium querimoniâ ab vllo vnquam auditâ: vultu ſereno ſemper, & hilari; vt eius, quæ mentem haberet diuinarum rerum iugi contemplatione defixam. Atque in hunc modum actum illa egit vitæ ſupremum; præmium adepta ſuæ perintegræ erga Baltaſaris conſilia obſequelæ.

CAPVT TRIGESIMVM NONVM.

Baltaſaris demiſſio inter honorifica & ſecunda: et quid ipſe de hac virtute ſentiret.

QVæ de Baltaſare dicta ſunt hactenus, ſecunda fauſtaque fuere omnia tum in muneribus, quibus defunctus eſt, tum etiam in

in vſu proximorum: euentibus, Deo dante, felicibus adeò, ac mirandis, vt plurimam ſibi auctoritatem, exiſtimationemque ſanctimoniæ, prudentiæ, ſpiritus, atque abſolutæ ex omni parte virtutis, tam apud Societatis noſtræ Religioſos viros, quàm apud communes alios, ac Dynaſtas prænobiles conciliarit. Antequam verò dicere aggrediar de coorta in Baltaſarem per id temporis tempeſtate, ex qua ipſius virtus clariùs elucceret, è re fuerit de altiſſima ipſius animi ſubmiſſione præloqui inter hæc ipſa ſplendida, feliciaque effulgente; Bernardo enim auctore, Magna, & rara virtus profectò eſt, magna licet operantem, magnum te neſcire: & manifeſtam omnibus, tuam te ſolum latere „ ſanctitatem: Mirabilem te alijs apparere, & contemptibilem „ te ipſum reputare. Hoc ego cæteris virtutibus mirabilius iudi- „ co. Et alibi: Non eſt res magna humilem eſſe, cum quis parui „ fit: magna tamen virtus eſt humilitas honorata. Rara auis in „ terris, aut ſanctitatem non perdere, aut humilitatem ſanctimo- „ niâ non excludi: Et; Difficile valde eſt in loco eſſe excelſo, & „ altum non ſapere: res quidem inuſitata, ſed quò minus vſi- „ tata, eò glorioſior. Quare Baltaſar gloria fuit ingenti digniſſimus, quia illud aſſecutus eſt, quod in virtute rarum eſt adeò, & excelſum, ſubmiſſione animi cuſtoditâ, indemni ſanctimoniâ: & rurſum inter delatos ſibi ſanctitatis honores, ſuperbiâ non admiſsâ. *Serm. 13. in Cant.* *Ser. 45. in Cant. & Ep 42. circa med.*

Tres gradus, vt auctor eſt Bonauentura, hæc virtus amplectitur: putare ſe vilem; optare ſe haberi talem ab alijs; & à diuinis, ſummis licet muneribus non extolli. In his verò omnibus, vt ſenſim explicabimus, Baltaſar in paucis excelluit. *Proceſſu 6. relig. c. 21.*

§. I.

PRimò, veluti plurimo colluſtratus erat ipſe lumine ad Deum, eiuſque amplitudinem pernoſcēdam, ità eodem imbutus erat, vt ſe ipſum, ſuumque nihilum peruideret. Quæ duo ſimul ferè iunguntur; & quædam veritatis effata docent, quibus Chriſtiana humilitas innititur. Horum vnum illud eſt: Plurimæ ſunt miſeriæ, & ærumnæ, quibus ſuapte natura obnoxij homines ſunt, niſi Deus aut illos ab ijs eruat, aut ab ijs illa prohibeat. Id in multa vidit luce Baltaſar: de quo ſuo in autographo ſenſus profert egregios: *Menſe Oct. 1574.*
„ Diluculò, inquit, aliquando excitatus ſuauiter ſum à ſomno, „ cogitatu nimirum, ac ſenſu tali, qualis in omni antea vita mihi „ nunquam obuenerat: eoque noui, quid ſit animus coniunctus „ cum Deo, & quid ab illo diſiunctus; vt ab illo auulſus pura fœ-

ditas

„ ditas, & mera nox, & ſola mutabilitas eſt, aceruus eſt pulueris „ ad ventum acriter flantem, magnetica acus polo auerſa; denique „animus ſine Deo, ſtultus ac ſtupidus eſt; cum Deo contrà, eſt ve- „luti Deus. Hæc verò qui ſtatim à ſomno commentabatur, eum de his diu meditatum fuiſſe vigilantem apparet: Nec fruſtra ſenſum hunc illi Deus multa ſuauitate perfudit: namque, etſi quippiam videtur inſulſum, intelligi à quoquam ſuorum criminum deformitatem, inſcitiæ ſuæ noctem, ſuorum mutabilitatem conſiliorum, pulueris ſui aduerſus tentationum incitata flamina leuitatem; & inquietem, qua is agitur, qui à Deo diſiungitur, ab eaq; diuina cynoſura auertitur, huic tamen cogitationi ſaporem Deus nouit aſpergere, eâ, quâ perfunditur animus voluptate, dum ſimul miſeriarum barathrum videt, ſimul eius immunem ſe fore Deo coniunctum intelligit.

Ingenti etiam lumine Baltaſarem Deus colluſtrauit, vt errata ſua quanquam leuiſſima, & quantum vileſceret inde, dignoſceret: cum primis verò, quòd, eorum permixtu, diuina munera corrumpebat. Quod ex his eiuſdem ipſius autographi verbis intelligi liquidò poteſt. Cum à Deo peterem, inquit, vt ſuam in gloriam „ cogitatus meos omnes, verba, operaque dirigeret, euigilanti „ manè, & adhuc ſemiſopito, vno ſtatim momento id meo ſe ob- „ tulit animo quod nunquam aliàs comminiſci, nedum petere po- „ tuiſſem. Nihil enim tale ſuſpicanti hic meæ menti ſenſus altè „ iniectus eſt: Noſtram hanc in ſpiritu vitam telæ inſtar eſſe At- „ talicæ, obrizo auro luculenter intextæ: & quemadmodum non „ deforme parum eſt, vnicum illi de ſtamine rudiori filum inſer- „ tum; aut tenuiſſimo amictui fruſtulum panni craſſioris aſſutum; „ ità non parum officere cogitatus noſtros, verba, operaque ijs ad- „ miſcere, quæ nobis diuinum Numen immittit: Vni nempe au- „ reæ cogitationi à Deo nobis iniectæ, duodecim ex noſtris tene- „ bricoſas adiûgere; vni eiuſdem verbo, quo nos excitat, viginti no- „ ſtra inania, quibus euagamur, quò & quorſum ignari; vni operi, „ quod ille nobis imperat, quatuor, ſex, aut alia cõplura ſubmittere, „ quæ ipſi ſpõte ſuſcipimus. Vt enim pretiũ tela ferat, Dei texenda „ eſt cogitatibus, verbis, & operibus; & ijs, quæ bona in nobis „ ipſe contexuit, alia debemus & nos bona ſubtexere, vt tela in- „ crementum accipiat. Scrutis hiſce tamen noſtris, atque cen- „ tonibus ea non parum inficitur: namque in extimis, atque ma- „ teriatis ſenſus quidem noſter oculatiſſimus eſt; eiuſdem acies ad „ ſpiritualia hebeſcit. Doceamur hoc ab rebus hiſce corporatis. „ Non leuiter auerſamur, in appoſitis pomis, malas cum bonis „ ſingulatim bucceas alternare: in vuæ racemo corruptum ſemper

16 Nou. 1568.

aci-

„ acinum syncero succedere: quòd si fercula cœnæ omnia instru-
„ cta sic essent, ab illa nemo non nauseabundus abiret. Itá etiam
„ in consito lactucis horto, innoxias in ijs nō plures haberi, quàm
„ sex; in conferta pyris arbore, duodecim integra numerari, non
„ plura: in æde lateritia, duodenos tantùm laterum ordines ostēdi
„ non malè compactos: in imagine, quæ vitiò tantùm vno fœdatur,
„ vnum modò laudari graphicè pictum in ore: candidæ membra-
„ næ ad singula verba lituras induci. Hæc verò non leuiter ob-
„ sunt; resque adducunt vtique in contemptum. Atquî id peccat
„ animus, quem Deus expetit ex omni parte mundissimum, sor-
„ des admiscens suorum cogitatuum, verborum, & operum, sobo-
„ lem propriæ voluntatis, quam oportet esse diuinæ. Hoc verò
„ haud sanè imaginariū, sed verissimum est effatum Dei compro-
„ batū oraculo, nobisq; ijs verbis expressum, *Vniuersæ iustitiæ nostræ*
„ *quasi pannus menstruatæ: & abscondit faciem suam à nobis*. Neque Isa. 64. 6.
„ verò nostrorum hæc est malorum summa, sed & illud accedit,
„ quòd hæc viuendi; agendique ratio, qua parentes, maioresque
„ nostri, Dauide affirmante, animos posuere, minimè nos sub-
„ mittit; neque nos coram Deo pudore suffundit. Artifices, quos Ps. 105. 43.
„ dicebamus, cœmentarium, pictorem, & scribam, coram ver-
„ naculo ipsorùm errata intelligente puderet; at nos præsente
„ Deo, ac spectante non pudet. Stomachatur nos ille, nos verò
„ nobis placemus. *Facta est nobis frons mulieris meretricis: nolui-*
„ *mus erubescere*. Tertium his malum accedit: nos nimirum tot Isa 3. 3.
„ malis, misturâque vitiorum tam fœdâ non deijci; & ex tantulo
„ contra bono gloriolâ statim efferri: quo fiat, vt illud etiam tan-
„ tulum, si minus funditus interit, at certè corrumpatur. Au-
„ reum granulum immersum cœno, tantillus vnio inter sordes,
„ flosculus sentibus vndique septus, & obrutus, elegantia hæc cer-
„ tè sunt, sed immixta deformibus. Quid verò turpius, aut quod
„ animum in nobis altiùs iure, meritoque conuulneret? Hæc, do-
„ cente Deo, sentiebat ille de nostra hominum sorte miserrima:
„ à quibus submittebat ipse sese, ac se apud seipsum confundebat.
„ Eandem in sententiam, hanc etiam Deus illi sua errata reputan-
„ ti cogitationem iniecit, hoc simili: Quando tandem scribere
„ incipies sine lituris, & mundè? quando characteres ducere pa-
„ res, ac rectos? quando concinnè expeditèque litteras confor-
„ mare? quasi diceret; Adhuc inter pueros es, & in virtute noui-
„ tius; nihil didicisti hactenus absolutum efficere.

Ducente etiam Deo suum descendit in nihilum; vimque pertenuem nostrarum industriarum didicit ad Numinis diuini obsequium prouehendum; à nostræ nimirum habitudinis imbecillitate:

Rom.9.16. te; illud huc referens D.Pauli, *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis*. Diuinæ namque benignitatis vi nos erigimur, cui non minus infirmi, quàm qui fortiores videntur esse, sunt ,, apti. Quodam, inquit, die, animo habenti peræ gré, eaque ,, propter ad Deum aridæ instar telluris clamanti, ea mihi oblata ,, est cogitatio tenerrima, Quàm Sapienter constituerit Deus, ea

Bern. ep. 2. ad Carthus. ,, vt omnia, quæ quisquam habet, aut valet, ab ipsius suauissi- ,, ma manu proueniant; vt & bona sint quæ quis habet, & obti- ,, nere à Deo plurima, eaque tutò valeat retinere; eorumque lar- ,, gitore cognito in agendis illi gratijs immorari. Hinc illud erat, ,, quod ipse aiebat; In omni re, omni tui fiduciâ abs te procul ,, abiectâ, à Deo esse vniuersè, vnicèque pendendum. Fiduciæ ,, inquit alicubi de me meæ errorem mihi depulit Deus aliquan- ,, do, non secus, atque cum alicui spectrum obijcitur, isque ab ,, eius aspectu stupet. In euentibus itineris suscepti, liquidò mihi ,, prius ostenderat, integrum mihi esse de ipso in omni re vsque ,, confidere; at nunc de me prorsus in nulla, in scientia item, atq; ,, virtute. Verba me piis in cohortationibus destituebant, hære- ,, bamque suspensus: sensi insitam ijs vim, vitam esse ipsius: qua- ,, re deserto me, permittere me totum ipsi vni constitui. Diluci- ,, diùs luce ipsa vidi, meis in periculis securitatem mihi ab ipsius ,, fuisse tutela; meamque in loquendo scientiam, eam fuisse par- ,, tem, quam de sua sapientia mihi ipse bonus impertiit: hanc ve- ,, rò illam vnam esse, qua fructuosè res fiant. Atque inde intel- ,, lexi oportere nos in omni omninò re à Deo, eiusque summa in ,, nos benignitate pendere.

Denique vt primum hunc humilitatis gradum quàm perfectissimè obtineret, à Dei offensa, & boni, quo potiretur, iactura, neutiquam fortè recuperandi deinde, metuebat sibi persanctè: in eius proinde custodia fiebat ab hoc metu solertior. Cumque abesse prope ab nihilo possessum ab se bonum duceret, progredi nempe

Eccl.18.6. auidè cupiebat, Ecclesiastico de viro humili affirmante, *Cum consummatus fuerit, tunc incipiet*, quasi hactenus non cœpisset. Hinc ea illius erant vota peranxia, quibus à Deo petebat, vt ipsum ad sese aliquando conuerteret; quasi nondum conuersus esset. Suisque in aduersariis illud habet, Februario mense anni 1574., quo tempore in tantùm, vti vidimus, virtutis apicem prouectus erat illud sibi obuenisse dubitandum in precibus, Velletne conuertere ipsum Deus: acquieuisse verò se hoc adductum sensu, de clementiæ diuinæ fiducia; petito nimirum exemplo ab sese; in hunc mo- ,, dum. Si te quispiam læderet, suumque deinde crimen secum ,, reputans, ab illo hæreret exanimis, an non id tibi gratum acci-

„ cideret ? Etiam sanè. Quòd si perspicua eius offensæ cognitio
„ pudore,doloreque illum afficeret adeò, vt quamcumque pœnam
„ ea propter luere non detrectaret; consilio etiam, votoque certo,
„ deinceps talia non peccandi; an non, amabo te, id esset tibi iu-
„ cundius ? Nempe. Quòd si id per se ipse non posset, tu ne illi ad
„ cæcitatem sui animi dignoscendam, atque ad hæc vniuersa præ-
„ standa, saltem quod ad te, illatamque tibi iniuriam spectat,opi
„ non esses ? Esses profectò. Quòd si qui tibi fuit iniurius,is etiam
„ plurimum tibi deberet; ab eoque te diligi, amicitiamque tecum
„ redintegrari percuperes; optares id etiam ab eo fieri; atque ad
„ id duplici illum nomine adiuuares; altero quidem tuæ offensæ
„ causâ, altero ipsius exitij: eâ enim illius conuersione & tuæ fa-
„ ctum esset offensæ satis,& eius malo cõsultum. Atquî si hæc omnia cum illo tu quidem ageres, qui te affecisset iniuria, quis possit esse dubitandi locus, an idem velit agere tecum Deus; gauisurusque sit, quòd te ipse auertas à culpis, atque ad ipsum conuertas? quòd tuæ stultitiæ respectu obstupescas, eamque sic defleas, vt eius causâ subire acerba, quæ ipse velit omnia, sis paratus ? isque iam sis, vt ab ea tantùm cogitatione, ne fortè aut talia, aut similia rursum pecces, totis artubus contremiscas ? Quòd si tu iniurios tibi hac ope iuuares, cur animum despondes, eadem ratione adfore Deum suis ? resipiscentes auidè amplexurum, primò quidem sui causâ, tum ipsorum: nam ij & ad ipsum pertinent, quos vti parens amore complectitur, seque amari amat ab omnibus. In hunc modum seruus hic Dei humillimus erigebat sese;neque enim humilitas vera meticulosa est: neque animum abijcit, aut desperat: quin immò quantò minus suis viribus, tantò magis diuinæ opi confidit: cumque per se ipsa nihil se posse intelligat, sperat fore vt omnia possit in Deo.

§. II.

AB hoc primo humilitatis gradu progressus est Baltasar in alterum; vilem, despectumque ab alijs haberi cupiens,proque his meritis ab omnibus tractari se gaudens. Studebat porrò collata in sese Dei munera, cæteraque tum naturæ, tum gratiæ bona, quibus æstimari posset ab alijs, quàm diligenter occulere. Cumque ab hoc abhorreret initio, silentium hoc ratus rem esse perarduam, id illi venit in mentem: Plura ne, maioraque Dei Filius non celauit? Atque hîc protinus acquieuit, suique se perpuduit: ac diuinæ in se largitatis munera, & verò perplurima exinde diligentiùs occultauit: ac proinde rescita ex ijs fuere perpau-

ca. Contrà verò sua naturæ vitia studiosè semper exposuit; & neque oris dignitate, neque eruditione, ingenioque, aut re demum vlla, ob quam aliquo habendus esset loco, esse ornatum affirmãs. Quin immò sua idcirco vitia vltrò alijs detegebat; vti Ægidio Gonzalez Abulensi Castellanæ Prouinciæ Inspectori detexit, cùm gubernacula ipse teneret Collegij Methymnensis. Quem vbi primò per otium allocutus est, suam illi conscientiam extra piaculare Sacramentum pro more Societatis aperiens, peccata omnia, quæ in vniuersa vita ad eum diem admiserat, ei nequicquam repugnanti patefecit. Quæ res illum tanta admiratione perculit, tanto defixit exemplo virtutis, vt mox ad diuina mysteria peragenda se conferens, quid qua ratione ageret, præ submissione tam insigni stupens, dispicere planè non posset. Hæc verò narrauit ipse Gonzalez sanctissimi huius viri demissionem euulgans: neque deinceps obtrectata in ipsum vera esse, persuadere sibi vnquam potuit, quæ Deo permittente contigerint; vt appareret quàm verè, fortiterque despicatui haberi cuperet, qui nempe ipsis contemptibus maior esset.

Atque hęc submissio est longè præstantior. Quanquam enim præcellens ipsius actus est, diuina munera, declinandi causâ honoris, tecta habere; excelsior quoque est, sua exhibere arcana, crimina, ad contumeliam sibi parandam; præstat tamen his omnibus, collatis in se ab alijs ignominijs, probrisq; gaudere. Namque, vt probè Cassianus aduertit (quod & Monachi cuiuspiam exemplo confirmat, qui humilis, specie quidem tenus, re tamen ipsa non erat) De se, inquit, contumeliosè nonnulli loquuntur, quò ab alijs humiles habeantur; dictis ab se tamen dissentire alios, eaque referri ad Christianam humilitatem maximè cupientes: qui cum fortè carpuntur ab aliis, mœrent, dolentque, neque patientiam sciunt animo custodire, nec pacem. At verò Baltasari non iucundum erat modò sese contemnere; sed & probrosis, quæ ipsi euenirent, rebus maximè lætabatur; quod exempla, quæ mox subijciam, confirmabunt.

§. III.

AB his in tertium humilitatis gradum euasit, nullâ se gloriolâ efferens ob collata sibi à Deo charismata, muneraque. Etenim cum ea summâ essent æstimatione dignissima, habebantur ab ipso tam nihili, vt cohortationes suas in obsoleta papyro, aut epistolarum inuolucris exararet: affirmabatque se ab domesticis omnibus doceri pariter, & confundi: atque ab vniuersis, etiam sub-

ſubiectis ſibi Tyronibus gaudebat addiſcere. Eorum aliquis ipſo Pentecoſtes peruigilio, ſpecimen ſcientiæ, facultatiſque ſuæ daturus, pro eorum more qui Societatem ineunt, piam cohortationem habuit, in qua illud inter cætera effatus eſt; Diuinus ad nos è Cælo Spiritus aduenit: illi nos obuiam eius ornati inſignibus procedamus: atquì Spiritus ille diuinus eſt; ei nos igitur cum ſpiritu occurramus. Hæc illi ratio ſic arriſit, vt eam multo cum ſui animi fructu ſæpiùs repetere conſueuerit. Ex nouitijs aliquis, in pia aliquando, pro more Tyrocinij, collatione, ingenti ſe, inquit, pudore ſuffundi, quòd tantis viris eſſent impedimento res tantulæ. Id verbum Baltaſari hæſit tàm altè, vt plurimos de illo à Deo ſenſus acceperit: cuius dicti veritatem cùm ſæpius reputaret, non modò nihil tędij capiebat ex eo, ſed, tanquam nouum, ipſi ſemper gratiſſimum occurrebat.

Ex Patribus aliquem aliàs dicentem audiuit, adoleſcentulum quempiam rogatum, Quamobrem vir ipſe Princeps modico in pago degeret, reſpondiſſe, quia illic ſua haberet bona. Vir ſanctus, qui ex omni re pietatis ſenſus eliceret, hauſit hinc illud, Chriſtum Dominum inacceſsâ in cælo gloriâ perfruentem, morari nobiſcum in terris, quia hic ſua habet bona; animos nimirum, quos curet, atque cuſtodiat: idcirco in accubitu ſacræ menſæ illud vſurpatur, *Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti cuſtodiat animam tuam in vitam æternam*. Id poſtquam ſecum animo ſenſit, Patri hæc elocuto dixit, Ego verò is ſum, vt puerulus quiſque me doceat. Ij propterea, quibus Baltaſar præerat, aliqua pro rei opportunitate quandoque illi ſuggerebant, quòd fructum inde ab eo percipi perquàm ſubmiſsè viderent. Significauit illi nonnemo, ſe apud D.Thomam legiſſe, Primo Mundi æuo nullum fuiſſe idolorum cultum, quòd recens eſſet memoria Conditoris: id verò valere plurimùm ad precationis vim pernoſcendã; quæ cum memoriam renouet ſummi rerum Auctoris, immodicum erga res procreatas amorem à nobis abſtinet, & expungit. Quod in Baltaſaris animum ità deſcẽdit, vt ſuſpenſus diù ſubſtiterit: ac deinde D.Thomę locum indicari ſibi ab eo voluit, vt rem altiùs animo ſcrutaretur. Mecum verò id illi accidit, quod capite trigeſimo quarto commemini.

In tam multis, quos obijt, magiſtratibus, nihil in eo arrogans, tumidumque vnquam apparuit: vbique enim ſeſe cæteris adiungebat: in rebus verò humilibus anteibat: eratque in deferendo alijs, etiam ſibi ſubiectis, honore perdiligens. Tyrones Villagartiæ cum inſtitueret, Scholaſticos in abſolutis iam ſtudijs illuc ad ponendum tertium probationis annum adeuntes obſeruantiâ

tantâ colebat, vt ipſe, qui tunc in ijs eram, ab eius in me reuerentia maximoperè erubeſcerem. Domo verò egrediens, ſi ex grauioribus Patribus alicui comes iret, non committebat, vt ille ſibi niſi dexter incederet. Toletum verò cum eius Prouinciæ adminiſtratione profectus, ipſo in aditu, vti deinde docebimus, ſubiectorum ſibi manus flexis genibus exoſculatus eſt.

CAPVT QVADRAGESIMVM.

Tempeſtas id temporis in Baltaſarem coorta de ipſius ratione precandi. Heroica eiuſdem ſubmiſſio, ac tolerantia in contumelijs exorbendis.

QVanquam præclara humilitas eſt, quæ inter fauſta, & honorifica conſtat ſibi, non ea tamen explorata ſatis eſt, neque radices egit altas, aut ſummum attigit apicem, quandiù probra, & aduerſa non pertulit: quibus, vti ſuperiore capite cœptum eſt dici, verène quiſpiam de ſe ſubmiſsè ſentiat, contemnique amet ab alijs, approbatur. Ea enim vbi eueniunt, gaudet, quòd veluti ſe dignum putat, accipiatur ab alijs: & quæ veritati conſona erat ante ſubmiſſio, tunc & caritati conſentit; ſuas contumelias in amoribus habet, ijſque largiter oblectatur. Tunc & manſuetudo præfulget, indutâ in frænum irâ, quæ aduerſus ſui contemptores irritatur: patientia, mœrori temperans ab deſpectu ſcilicet erumpenti: caritas in infenſos, cum idem contumelioſos ſibi amat, humaniterque de ijs loquitur, à quibus ipſe proſcinditur: fiducia in Deum, quando, etſi calcari ſe conſpicit, animum non deſpondet: Dei denique amor, cui perinde inter præſentia hæc acerba, atque inter alia iucunda peramanter obſequitur. Idcircò verò (quod obſeruat Chryſoſtomus) ſalutis noſtræ Vindex, eorum quos elegit, vitam, ad ſui, ſuorumque Apoſtolorum ſimilitudinem, texi gaudet honorificis, ac probroſis, lætis, ac triſtibus; ijs vt omnibus ſint maiores: quòd ſi efferuntur proſperis, ſubmittantur aduerſis: rurſum ſi animum hæc affligunt, illa erigant; quibus, vti docet Paulus, Adminiſtri efficiantur Chriſti fideles, vtrâq; manu decertantes, *Per arma iuſtitiæ à dextris, & à ſiniſtris: per gloriam, & ignobilitatem; per infamiam & bonam famam; vt ſeductores, & veraces:* ſic vt aliquis, aduerſarum causâ rerum, muneri ſuo integrâ fide obeundo non deſit.

Hom. 8. in Matth.

1. Cor. 6. 8.

§. I.

IS verò Baltasar fuit, cuius periculum eiusmodi euentibus sumere collibitum est Deo, ibi eum fodicans,& exercens,vbi rei, quam ipse plurimi faciebat, dignitas nitebatur. In his enim suos exercere Deus assolet, vt, quò experimentum est acrius, eò etiam fidelitas in eo,atque submissio magis eluceat. Communes quidem homines ijs exercet, quæ honori atque delicijs,quibus ij gaudent maximè, aduersantur: Litterato, eruditionis opinione, quam amant: At verò sanctiores viros, qui virtutes, & ea, quæ pietatis sunt, rebus cæteris vniuersis anteferunt, ijs, quæ ad hæc referuntur, explorat. Hæc verò vna cum magni à Baltasare ducerentur, in his periculum eius sumpsit; constituitque illum non intimis modò exercere molestijs ariditatum, nebularum, stuporis animi, ac cæterorum,quæ supra meminimus; at extimæ etiam tempestatis fluctibus quatere, & iactare. Quæ procella exorta in illum est,quo tempore Methymnensi Collegio moderabatur; eundemque prosecuta est Villagartiæ degentem: factumq;Dei permissu fuit, vt minimæ litteraturæ homo, quique in errores & ipse inductus esset,& alios induceret,ab aliquibus haberetur. Ij enim,vt qui collatum à Deo Baltasari contēplationisdonū tam excelsę non nouerant, rem ad Satanam sese in lucis Angelum induentem scilicet referebant: eumque propterea vrgebant, vt ab eo premendo calle desisteret. Neque verò defuit, qui comminatus illi est,ipsius ab se nomen ad sacrum Fidei tribunal delatum iri; veritus fortè, ne Illuminatorum, quos appellabant, errorem aliquem animo imbibisset. Ea etiam suspicio fuit, ne precandi methodum, formāque ratiocinatione, ac meditatione, vti mos est in Societate, probaturque à viris sanctissimis, ipse contemneret: aliâ verò singulari, ac periculosâ formâ nostros vellet imbuere: quamobrem illi ex grauioribus Patribus aliqui pij studij ardore aduersabantur. Neque verò est cur id quisquam miretur: In Ecclesia enim, ac Religiosis Ordinibus haud sanè nouum illud est, dissidia quandoque,ac certamina laudabili studio suscipi inter iustos, qui pugnantes inuicem sententias tueantur; vnoquoque sibi veritatem adiudicāte: seu,si quisquam vera propugnet,ea verò putet ab alio impugnari; quanquam perperam ità reputat. Etenim si custodes hominum beatissimæCæli Mentes sibi quandoque in ijs aduersantur, in quibus de diuina ipsis voluntate, dum doceantur de illa, non liquet; quod apud Danielem legimus, nimirum *Angelum Principem Regni Persarum restitisse Angelo custodi Hebræorum*; mirā-

dum

dum nihil est dissensiones eiusmodi inter viros, probos licet, atque doctissimos euenire. Cum enim homines ij sint, multò sanè faciliùs eos aliqua veritas latet, aut falluntur etiam, rati eam ab illo impugnari, qui illam amat potius, ac tuetur. Id actum cum Baltasare est, de quo grauissimi, ac religiosissimi, optimèque sentientes viri suspicati ea fuere, quæ diximus: deque ijs omnibus Generalem Euerardum Mercurianum litteris docuere: cui cum Baltasar non perinde cognitus esset, atque ipsius Prædecessori Francisco Borgiæ; multum verò auctoritate valerent, communique bono studerent maximè ij, qui ea conscriberent, rem Generalis cognosci diligenter iussit: eaque prouincia demandata est misso ab se in Hispaniam Inspectori Iacobo Auellanedio. Is verò Collegium, cui tunc præerat Baltasar inspiciens, scripta sua omnia iussit illum extemplo deferre; velle se ea perlegere, ac pensitare: quæ ille Tyroni persimilis ad eum actutum detulit, verbo ne vno quidem edito, quandiu ea penes se ille habuit. Sermonemque hac super re viris alijs, litteris ac virtute perornatis cum ipso inferentibus, silentium custodire ipse, ac patienter ferre; seque aliorum examini, censuræ, contemptuique permittere; perraro tolerantiæ, atque submissionis exemplo. Per id tempus corrupti aliqui, falsique in ipsum testes prolati sunt; quibuscum perinde Baltasar agebat, atque si non vexaretur ab ijs: ipsa re præstans, quæ verbis docuerat, Veram neque humilitatem sine submissionis actibus, neque patientiam sine forti pugna consistere: summam verò virtutis in eo sitam esse, vt fructum quis norit ab hisce rebus opportunè percipere: fructum verò præcipuum illum esse, nosse ipsum se probè submittere, sustinere, ac tacere; priuatâ nominis famâ, Dei ergo, in discrimen oblatâ. Quæ confirmaturus, animosque cæteris in suo Collegio additurus, illud quandoque inter cohortandum asseruit; suam ab se aliquando famam in casum fuisse datam: exinde cœpta in se munera à Deo cumulatiora profundi. Rei locus hic fuit: In Prouincialibus comitiis grauius aliquid affirmatum de ipso est, eoque nomine obiurgatus est, palam in Patrum consessu: cumque an pro se satisfaceret, secum ipse perpenderet, pendebat nimirum animi: nonnemo enim ex grauioribus, sanctioribusque Patribus auctor illi erat, vt purgaret sese, quod tanto posset iure, tam verè: atque etsi vrgebatur ab eo, quòd plurimum esset momēti in ipsius existimatione virtutis apud nostros æquè, atque apud extrarios; reputans tamen id cōsilium naturæ ingenio adblandiri, illi porrò Baltasar haud credidit: aliumque præstantem virtute Patrem consuluit; à quo illud accepit; sacrificium Deo fore augustissimum, parcere verbis; neque

pro

pro se quicquam vel palam loqui, vel clam. Obsecutus Baltasar est: resque illi cessit cum Deo tàm prosperè (à quo nempe tam heroico silentio dona reposita fuere largissima) vt auctori consilii gratias egerit perfrequentes; ipse verò silentium vt in hisce, quæ nunc dicimus, sic etiam in cæteris omnibus custodiuit, quandiu se, suaque tueri ab Obedientia non cogebatur.

Illud interim vniuersè erat ipsi solatio, precibus, & sacrificijs ad Deum confugere; ex quo responsa referebat, quæ in arctis adeò rebus ipsius animum explicarent, ac permulcerent. Quod ea docent, quæ in ipsius autographo leguntur: in quo illud est, se per aliquid sibi aduersum magnis obstrictum angustijs die Dominico post Pentecosten nono, quatuor à Deo sensus hausisse, quibus sese ab ijs prorsus expedierit. Primus fuit, ex eius diei epistola: *Fidelis Deus est, qui non patitur tentari te supra id, quod potes.* Alter, antequam diuino epulo vesceretur, hæc ipsi suggerente Deo: Si religiosæ vitæ amarulenta hæc deessent, quid ferendum tibi mei causâ suppeteret? Illudque occurrebat animo, Nisi sum degener, horum similia, atque his acerbiora optanda mihi esse complura: Iustorum verò vitam ærumnis vacuam similem esse Christi serto vepribus spoliato; pretiosæque vesti, quam aureæ cuspidulæ non distinguant. Tertius: ipso in vsu diuinæ Frugis interiorem vocem sibi dicentem audiuit: Hoc age: quid porrò pro te agendum est tibi? quasi diceret: lita, vt facis, ac sume meum corpus, & sanguinem, quibus ad aduersa ferenda confirmaberis: boni verò tui ergo, quid vsquam est quod libenti animo agere te, patique non deceat? Quartus, post sumptam Eucharistiam inter agendas gratias, his secum verbis; Recipe animum, & cape solatium, illud tecum ipse reputans, te ærumnis hisce, spectante & cognoscente Deo, exerceri: cùmque à te illas possit auertere, non auertit tamen, maiore licet amore te ille, quàm tu te ipse, complectatur. Argumentis hisce tam solidis suo huic famulo animos, viresque Deus adiungebat, vt angustias, & ærumnas intimas, extimasque, perquàm patienter, ac submisse perferret.

Mense Iunio 1575.

1. Cor. 10. 13.

Quin & solitario affatu se ipse Baltasar excitabat, inquiens: Falsò existimas, initum iri Cælum à te vndique integro, aut leuiter tunso, scalptoque. Cæli namque Regnum aditur ab laceris, truncis, impulsis, expulsis, ab ijs denique, qui hæc, aliaque similia horum opprobria deuorarint. Qua verò fronte tantos inter Duces, & Heroas appareas tam ignauus, qui, si tuæ causæ cognitionem Deus tibi permiserit, tu te ipse condemnes? Illud Deus vult à nobis intelligi, Bonum à nobis ingens expeti, & expectari, cuius causâ tam multa perpetimur. Si auidus quispiam, multum

pecu-

pecuniæ, ac temporis in vinea colenda contriuerit, vbi verò casum, ac speciem vberrimi fructus ostendit, verberata grandine consternatur, quid ille secum animo sentiet? Quòd si aurea decideret grando, quantum inde gestiret? At enim iactura vinceretur à lucro. Atqui aurea, & quidem pretiosissima grando sunt, contumeliæ, quibus, qui eas perpeti probè nouerint, locupletantur.

Dictitabat etiam, per id rerum, ac temporum, illud à quoque spectandum esse, Cælitum in se omnium ora, & oculos esse conuersos; expectare illos, vt is, quidquid istud est ardui, superet, ex eoque lucri accessionem efficiat. Inculcare etiam Christum Dominum: *Discite à me quia mitis sum & humilis corde*: nostrumque ab eo animum hæc inter aspera obseruari, quemadmodum iram mansuetudine, contemptum submissione peruincimus: ne iustæ illi saltem in nos querelæ sit locus, quòd minimùm ipsius verba, & exempla curemus. Facilè ne, inquit, ferri à Præposito putas, cùm, munera ipso communia obeunte, non satis inde ad eadem sedulò peragenda cæteri excitantur? cùm, ipso ad purgandam domum, lancesque detergendas vltrò se submittente, non satis id valet, vt alij ad eadem præstanda conspirent? Cùm, eodem ipso ad matutinas preces surgente, diluculò, pigritant alij somniculosi sub stragulis? Atquî si homo, tantulus nimirum puluis, grauatè fert, quòd sua ipsius verba, & exempla sine fructu vanescunt, quis erit Christo Domino sensus, quòd ipsius & carent obsequio verba, & abeunt in obliuionem exempla?

Matth. 11. 29.

Ex D. Ber. serm. 3. de Natiu.

§. II.

HÆc, & similia perputans, confirmabat sese inter aduersa, & ex ijs oppidò proficiebat. Etenim non modò in contemptores obtrectatoresque suos, iram, aut indignationem nunquam euomuit, sed animum in eos æquè beneuolum, gratumque deprompsit, atque si ab ijs ingenti quopiam beneficio fuisset ornatus. Singularis certè virtutis argumento; eiusque Seruatoris Christi persimilis, qui venditorem, proditoremque suum peramanter excepit. Id verò Baltasar pluribus ostendit rebus, ac locis. Etenim Salmanticæ intimum sibi ex nostris fratribus aliquem, affirmantem ipsi iniquiùs agere nonnullos ex Patribus, qui perperam de ipsius rebus sentirent, ac dicerent, interpellauit aiens, Hos ego Patres veneror, & in oculis fero: ij enim sunt, quibus, mei animi causâ, plurimum debeo; & per quos multum lucri, boni-que percepi. Villagartiam verò cum Rectoris munere proficiscens,

vbi

vbi ex his Patribus aliquis morabatur, sub ipsius potestate futurus, eidem fratri suggerenti fortè, locum ibi fore docendi hominem, quàm malè de ipso meritus esset, respondit: Is erit, quem ibi maximè colam, & consulam. Quo in Collegio cùm Subministro diligentissimè commendasset, vt horum cuipiam benigniùs indulgeret; studeretque præcipuè ne quicquam ille desideraret; conscius is rerum, admirans ait: Quorsum tu mihi Pater aduersus illum indulgentiam hanc tantam imperas? Cui Baltasar amanter: Quò, inquit, hominem lucrifaciam: quòd si secus successerit, at ille me lucrifecerit. Alius etiam quispiam in eodem Collegio, quæ de ipso ferebantur, Baltasari retulit: subrisit Pater, editis lætitiæ plurimæ argumentis: eiq; quoniam gestiret nomine, percontanti, perquàm hilarè respondit; Quòd nunc à Deo amari me intelligo, cùm suorum me amicorum viâ deducit: qui sollicitus hactenus fui, quòd Deus mihi mei nimirum immemor videbatur.

Aliàs in re simili narranti quippiam, quod insignes in Patribus aliqui grauiùs in ipsum, bona tamen mente, consciuerant, Profectò, inquit, eorum deinceps memoriam apud Deum in ara quotidie vsurpabo. Præstitit quod dixit, Christi verbis obtemperans; *Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos, vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est*. Ità Baltasar vtebatur ad fructum opportunitatibus, quas illi Deus ideo offerebat, vt hac nimirum via eâ illum impertiret pace, qua potitus est; animo rebus omnibus prosperis iuxta, atque aduersis maiore; sic vt ipsius mentem perturbare, aut commouere nil posset.

Hinc ea illius erat vis, qua, inter cohortandum, de amore contemptuum disserebat; alios ad voluptatem ex ijs capiendam inflammans, quòd eos tam vtiles ac quæstuosos esse expertus ipse cognosceret: quandoque etiam, vti ex dictis apparet, se ipse, ad nos in re tam ardua confirmandos, proponebat exemplum. In hanc rem illum memorantem audiui pia in allocutione, quod ipsi ab Salmanticensis Collegij gubernaculis Villagartiam, ad capessendum ibi Rectoris munus, proficiscenti, in via fortè euenit. Viatorum namque, qui se illi comites addidere, nonnemo, percontatus est, vt fieri solet, socium, quis ille Pater esset? vnde & quò, & quorsum iret? Eo autem rem, vt erat, eloquente, perquàm seriò subiecit ipse; A gubernaculis celeberrimi Salmāticēsis Collegii Villagartiam, ad oppidulum tantulum descendere gubernatum, rem bonam id certè non olet: illud innuens, quod & ingressi sunt alij, exilii genus id esse, homini nempe alicuius culpæ nomine irrogati. Vir sanctissimus hæc vbi dicta resciit, gauisus

est à contemptu: affirmauitque nobis, despectus sine culpa, exosses videlicet esse buccellas: quarum plurimas illi Deus ingessit, vt maiora efficeret incrementa virtutum. At enim quæ commemorata sunt omnia, non ipsius modò culpa vacarunt, sed, quod præstantius est, sanctis adeò de causis, vt gloriam ob eas plurimam commereretur: crucem, non vti bonus latro, debitam suis flagitijs ascendens, sed, veluti Christus, innoxius; illi affixus ob illustria, heroicaque ipsius opera indignè ac perperam censa; quæ illi apud mortales vniuersos honorem, cultumque conciliare debuerant: Deiparæ etiam Virginis, cuius erat amantissimus, imitatus exemplum, quæ ab suo sponso Iosepho adulteræ suspicione perstricta est, illius causâ conceptus, ob quem digna erat gloria immortali. Sed & ab Iosepho eâ suspicante abfuit culpa, ignaro nempe arcani tam profundi, tam noui. Tunc verò lautiores sunt contumeliæ, cùm eæ sine vlla præuia noxa despecti, despicientisque prouenint, à bono nempe studio inscientis, quamobrem is culpâ vacat. Quanquam enim iusti gaudent contemptibus, lætitia tamen illa retunditur mœrore, quo illos afficit diuina iniuria, animique spiritalis iactura, quam contemptor nempe perpetitur: dulce porrò vndique est opprobrijs Dei causâ vexari, vbi nulla eam ob rem offensa eius interuenit: eiusmodi verò illa fuere, quæ de Baltasare commemorata sunt.

CAPVT QVADRAGESIMVM PRIMVM.

Tempestatis huius occasiones: Responsa, quibus obiecta sibi aduersus precandi formam silentio, & quiete Baltasar diluit: Rei denique totius euentus.

INfelix adeò mortalitatis nostræ sors est, veteratoris verò stygij, Deique munerum osoris versutia est tam improba, vt lucis se in Angelum induat, quò nos fallat; deque diuinis ipsis donis materiam tentationi struat, qua destruere illa molitur. Verùm vti nequam ille nequitiæ suæ specimen edit, dum exprimere malum ex bono connititur; ità potentiæ ac bonitatis suæ argumenta Deus exhibet, dum elicit ex malo bonum. Qui si inconsultos aliquos, ardore sed imprudenti virtutis, abuti nempe sinit Sacramentorum frequentiâ, precationis tacitæ & contemplationis vsu, eo permissu ingens aliquod spectat bonum aut eorum qui aberrant, ipsique se corrigunt, aut aliorum, qui alienis nimi-

mirum erroribus instruuntur: ac subinde, ad magistri etiam humilitatem, ac patientiam tentandam & exercendam, discipulorum errata permittit; quorum ignominia inter mortales in cōtumeliam redundat Præceptoris: quasi ipse imperiti discipuli approbet imprudentiam, & errata. Id verò Baltasari contigit aliquorum causâ discipulorum in plurimis, quos precationi studentes instituit ipse, sacros pariter, & profanos: qui contra Magistri sui mentem quædam factitabant, ac dictitabant, quibus ansam vtique dabant, vt apud viros studiosos, & graues malè audirent & ea precandi ratio, quam ipsi tenebant, & Institutor item ipsorum, quem ijdem illius dicebant auctorem; quasi hic eorum vocibus loqueretur. Aucta suspicio est, quòd imperiti quidam, aut minus prudentes precationis tacitæ formam, ratiocinatione, affectibus, petitionibus, & colloquijs institutam, quam in spiritualium exercitiorum libello sanctissimus Societatis nostræ Fundator Ignatius tradidit, contemnebant: affirmantes nempe ea infantium esse vehicula, nulli aliàs vsui, nisi quandiu illi pedibus incedere non norunt: id verò edocti, ea statim ab se repellunt, pedibusque suis ingredientes, quòlibet promptiùs gradiuntur: diuinum verò Spiritum nolle se orandi legibus, & præceptis includi: spirare illum vnde, & quò mauult: ab eius afflatu, cum spiritus libertate oportere nos duci. Ex his verò arrogantiores potius, quàm experti, minimæ quidem prudentiæ, experientiæque manifesti, alios eâdem post se viâ à communi tritaque deflexos connitebantur abducere. Qui error euidens vtique, alienus erat à mente Baltasaris, quemadmodum disertè sæpius ipse dixit, & docuit; quod & suo experimento condidicit. Vsitatæ namque precationis formæ, quam sexdecim annis institit, acceptum referre debuit alterius insuetæ munus, ad quam Deo dante euectus est: quæ, sicubi deerat, tanquam ad asylum confugiebat ad alteram. Hæc igitur cum sererentur, veritatis eruendæ causâ, purgare illum se, suamque precandi rationem apud Generalem Euerardum Mercurianū, ad quem perlatus erat hic rumor, Prouinciæ huius Præpositi iussere. Ille verò secessit confestim in domum, quam animi ergo Salmanticense Collegium habet, cui tunc ipse præerat; atque diebus quindecim in preces, & intimam sui, suique animi rerum cognitionem collatis, commentariolum scripsit, quod in tertium decimum caput nos idcircò retulimus, quia id temporis Baltasar à Deo cælesti hoc munere ornatus est.

Ad hæc, nonnullæ obiectæ sunt illi difficultates aduersus ipsius precandi rationem, profectæ, meâ quidem sententiâ, erutæque ex auditis, & visis, non tam in ipso Baltasare, quàm in ipsum

ſequentibus; & quæ in ipſius diſcipulis notabantur; eaſque ipſum iuſſere diluere. Quamobrem opuſculum condidit, in quo, quæ ad precationem quietis, & ſilentij pertinent, dilucidiùs explanauit. Quorum aliqua capitibus quarto decimo, & ſequentibus prolata à nobis ſunt, alia proferentur hoc loco; quibus præcipuæ, quas ſubijciam, difficultates efflantur.

§. I.

PRima difficultas ea eſt: In hac precatione quietis ac ſilentij, in qua animus ratiocinatione, ac meditatione non vtitur, videri ſcilicet nihil agi, immò fruſtra conteri tempus, quod fructuoſè poſſet in exercendis virtutum actibus collocari. Reſpondetur, hoc precandi modo nequaquam nihil agi, ſed ſanè permultum; & quemadmodum Bernardus ait, Officium hoc eſt negotium negotiorum, & rerum ſumma, de quo Pſaltes, *Vacate, & videte quoniam ſuauis eſt Dominus.* Et Auguſtinus, Otium Sanctum quærit caritas veritatis. Atque ex ijs, quos ibi exercet, actibus, animum eſſe minimè otioſum apparet; namque, etſi mentis ratiocinatio circa præcipua myſteria vacat, non vacant tamen voluntatis affectus coram Deo, quem Fidei oculis intuetur, nunc illi reuerentiam exhibens, nunc ea quæ ille de ſe, diuiniſque ſuis nominibus oſtendit ipſi, demirans; nunc eidem ſummæ Maieſtati ſe, ſuaque vota, ac cætera omnia deuouens; petenſque ab eo, primò quidem ipſum, deinde verò ipſius dona, non vt quieſcat in ijs, ſed vt per ea ad ipſum, tanquam per gradus aſcendat: nunc ſuum eidem animum perpaucis, immò nullis etiam vocibus præpandēs: Deus enim ſatis vocem egentis audit, eo dumtaxat quia diuinæ Maieſtati ille ſe ſiſtit, inſtar pauperculi adſtantis tacitè homini opulento: eloquitur enim pro eo neceſſitas: ac tum benignam Dei largitatem expectat, omnia omnimodè diuinæ voluntati permittens, quippe qui diuinæ viſitationis ſolatio indignum eſſe ſe reputat: nunc denique in eos induens ſeſe affectus, ac ſenſus, ad quos diuino à Spiritu, facultatis huiuſce auctore præcipuo excitatur: quemadmodum Timotheo Dionyſius, *Conuerte te*, inquit, *ad radium*; ex quo coniunctio illa promanat, quam idem appellat, *Ignoti cùm ignoto*: iſque in myſtica Theologia ſummus eſt apex; quem niſi qui eum obtinuerit, explicare ſatis haud poterit. Illum hîc tamen indicaſſe ſufficiat.

Ad Frat. de monte.
Pſal. 59.19
De Ciu. Dei c. 19.

Altera hinc tamen difficultas exoritur: Etenim tentatio quædam Dei eſſe videtur, ceſſare à meditando, & expectare Deum, dum aliqua loquatur ipſe, ſuggerat, aut oſtendat; quod eſſe videtur

detur in eundem errorem Illuminatorum impingere. Respondetur: preces sine ratiocinatione per vnos tantùm affectus, vtpote summum in hac exercitatione fastigium, nequaquam esse incipientium, ac nouorum, sed eorum, quos diuinum Numen ad eas præcipuo afflatu, impulsuque permoueat; & qui diù sese meditando exercuerint; atque inde ad hanc quietis precationem euadunt, eo ducti lumine, quo imbuti sunt, & imbuuntur à Deo. Quamobrem haud quaquam est tentare Deum, ratiocinationem interea suspendere circa præcipuas res diuinas, morumque nostrorum emendationem, quæ alio, non eo pensitanda sunt tempore: suum enim tempus cuique exercitationi debetur; quemadmodum inter precandum non petitur semper, neque grates semper aguntur. Atquî cum modus hic orandi non nisi præcipuo Dei vocatu ineatur, eum id temporis probat ipse, ac vult exerceri, non fame quidem, aut spe rerum diuinitùs ostensarum, sed diuinæ præsentiæ motione, sensuque; coram qua laudati affectus exerceantur. Neque verò id ex eo furfure Illuminatorum est, qui omnia per arrogãtiam factitabant, Deo scilicet non vocante, nulloque ad id præuio apparatu; qui & Deum sua precandi ratione tentabant. Nullam enim in rem animo erant intenti, sed huc illuc effusi penitus, ac distracti, nullum ad corrigendos mores fructum inde legebant. At verò modus hic orandi in diuersa planè, atque in his aduersa proclinat: quæ si absint, iniri ille non potest. Ineuntem verò, nec fructum ex ipso aliquem capientem Deus non patitur; sed à se reijcit, & obiurgat. Haud enim secura quiete, & sine iurgio astare Deo is potest, qui ipsius Spiritui, qui Spiritus nimirum est munditiæ, & sanctitatis, morum emendationis, & obsequelæ erga Deum integræ, aduersatur.

At hîc tertia illicò difficultas occurrit, quòd minimè liqueat, quandò viam hanc aliquis Dei vocatu init potius, quàm superbiolæ arcanæ suasu, gulâque cælestium deliciarum: in quo etiam suas habet latebras amor sui. Respondetur tamen, quemadmodum à fructibus arbor ostenditur, ita ex relictis ab hoc precandi modo vestigijs, ipsum, an sit ex Deo, dignosci. Qui vbi syncerus est, atque à spiritu bono proficiscitur, cor impellit ad Deum, mollitque, & eius subijcit imperatis: quæcumque de ipso, ipsiusque rebus, commodis, ac dignitate ab eodem ipso Deus expetit, ad ea liberè, liberaliterque largienda illi perpellit. Scit enim prouentibus eius multum accedere, quem Deus numerat in amicis. Qui si Deo sua omnia eroget, ea nempe cum quæstu amplissimo permutabit. Quisquis enim Deo petenti omnia elargitur, huic ab Deo petere licet omnia, quæ sint opus. Persuadet illi etiam, vt

per-

perfectæ virtutis exemplari Christo Domino, velit esse se similem, in contemptu cum primis sui, suarum appetitionum omnium occidione, ac diuinæ voluntatis in omni re, amore, atque complexu. Hæc, aliaque similia in se quicumque sentiat, pro certo is habeat à Deo illam esse precandi rationem, cuius impulsu animus in hæc fertur.

Quarta hîc tamen difficultas exurgit, quòd in oculis passim est, viam hanc ineuntes, tacitè, ac senti n sine sensu inflari, pluris æstimantes sese, quàm eos, qui communem orandi semitam, ratiocinando, terunt. Hinc suam precandi formam mordicùs tenent; & Præpositorum ac Ducum sententiæ, si secus sentiant, refragantur, quòd sese *spirituales* existimant, *qui iudicant omnia, &*
1.Cor.2.11 *ipsi à nemine iudicantur.* Sed respondetur facilè, hæc, atque huiuscemodi vitia in ijs deprehensa, qui hac precandi ratione vtuntur, haud quaquam ipsi rationi esse insita, ingenitaque; sed eius imbecillitatis, prauæque habitudinis, aut naturæ vtentis illa esse; qui se ipse castiget, & emendet oportet. Non ideò tamen improbanda ea ratio est, quando in eadem ipsa, & maiora etiam, vitia ij non rarò impingunt, qui ratiocinatione vtuntur in precibus: plus enim gloriolæ sese admiscet in ijs, quæ suo quis Marte comminiscitur. Quare non eò, quia aliqua precationis tacitæ ratione vnus quispiam, aut plures abutuntur, ea praua est, atque abolenda: alioquin meditationes etiam, & diuinæ Eucharistiæ frequentia confutandæ nimirum essent eorum causâ, qui ijs abutuntur; siue, vt dicam melius, in earum vsu culpas admittunt. Hinc verò fit, vt cum Præpositi, Ducesque ab hoc precandi modo abstinere illos iubent, nisi pareant, peccent. Quod, nisi experiundi gratia, religione salua agere Præpositi nequaquam possunt: tenentur enim animos eâ spiritus viâ prouehere, quâ ij ducuntur à Deo, & quâ efficiunt in virtute processus; quam etiam, vti commonstratum est, sanctissimi complures viri ingressi sunt, & ingrediuntur. Interim verò, dum eorum non obest imperium, culpæ immunes erunt, eo si modo vtantur, aut si de rebus animi iudicare posse se reputent, quas experientes nimirum ipsi melius quàm inexperti nouere. Quemadmodum vacat crimine vir sapiens, si de ijs quorum ipse scientia imbutus est, melius, quàm qui ex ea nihil delibarit, sententiam se posse ferre arbitretur. Neque id humilitati, caritatique Dei in ipsius cognitione munerum aduersatur, ex Apostoli effato; *Nos non spiritum huius Mundi accepi-*
1.Cor.2.2. *mus, sed spiritum, qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.*

Quinta hinc difficultas expungitur; Quòd in hanc precandi for-

formam tam altè aliqui se immergunt, vt stupentium similes, quę caritati, & obedientiæ, quæ victoriæ sui, solidarumque virtutum adeptioni debent, neque reputent, neque curent; ea precationis dulcedine tanquam nuptialibus delicijs contenti scilicet, ac beati: atque inde in vacuo quiescunt spiritualium nominę, sine ipsa re vitæ spiritualis. Hinc etiam illud est, quòd alij viam hanc ineuntes, vt precibus continenter vacent, à proximorum consuetudine, & animorum procuranda salute refugiunt: è quibus, vtpote qui ratiocinationibus non vtuntur, vera, quæ cum proximis communicent, effata non eruunt. Quæ omnia illi aduersantur Instituto, cui hæc consuetudo proposita est. Rursum corporis vires alijs infringuntur, ipsorum Ordini, munerique necessariæ. At enimuerò hæc vitia non ex hac fluunt precandi ratione, sed ab eorum, qui eâ vtuntur, intemperantia; qui corrigendi porrò sunt & docendi, si vno fuerint animorum secessu contenti, nulla frangendi sui, nullo aliarum virtutum studio, curâque, egregiè videlicet ipsos hallucinari: quòd si minimè resipiscant, illum ipsum eorum secessum posse in suspicionem adduci; neque verò diù perstiturum. Quanquam non est tantoperè mirandum, aliqua eos culpæ labe conspergi: nam & qui probè ingrediuntur, eâ non carent. Inde fit, vt sicubi caritas, & obedientia, aut ipsa sui muneris ratio eos ad proximorum consuetudinem euocat, ipsamet contemplatio ad id ipsos prouocet, & inducat. Quod Gregorius, & Bernardus affirmant: idque ipsa commonstrat experientia in iis, qui vsum hunc precandi sapienter insistunt. At verò vbi neque necessitas neque Præpositorum imperium id postulat; neque corporis viribus, ac saluti officit, hac precandi ratione vacare Deo, neutiquam culpanda res est, Augustini documento dicentis, *Otium Sanctum quærit caritas veritatis: negotium iustum suscipit necessitas caritatis. Quam sarcinam si nullus imponit, intuenti vacandum est veritati*. Quamobrem ad hoc orandi, & contemplandi studium conferre quisque se potest, vbi defunctus est caritatis, & obedientiæ muneribus, dũ id cum ipsius constet viribus, & salute: hæ namque si defluant ab vsus vel ignoratione, vel intemperantia, aut à capitis imbecillitate, vel morbo, cessandum interea est: quanquam hic modus imbecillitatem hanc per se ipse non gignit; quin immò ipsa ratiocinatione quietior est, atque commodior. Eamque ob rem viri sanctissimi, qui modum hunc precandi vsurpabant, poterant etiam orare prolixius. Ex qua precatione si minus legunt sententiarum, aut luminum, at certè plus virtutum eliciunt; Deumque magis oblectant; cuius opem, vbi ea opus est, sentiunt sibi præsentem. Quare nihil ipsis officit, quòd nobilibus tunc inuestigan-

In id Iob. 7. Si dormiero, dicam, quando consurgam?
Ser. 52. in Cant.
Lib. 19 de Ciu. c. 19.

gan-

gandis sensibus non vacarint; id quod in aliud tempus opportuniùs reijcitur: tantique est ex precibus haurire ardorem, ac spiritum, quò, quæ aliàs senserint, aptiùs eloquantur.

Sexta difficultas ea est: quòd hæc precandi ratio ità sibi animos addicit, & mancipat, vt affectus erga Cælites, precesque voce ab Ecclesia Superis allegatas vanescere videatur: neq; à Deo flagitentur, quæ pro Ecclesia vniuersa, rebusque ac personis priuatis alijs sunt petenda. Respondetur, Nequaquam ista contemni, immò pluris haberi, tanquam præsidia, quibus adepti ea sunt, & quibus affatim perfruuntur. Ac veluti aptiores nonnulli sunt recitandis voce precibus, quàm mentis commentationibus; quamobrem illas animorum Magistri suadent; ità alij sunt, quibus precandi voce vsus est rarior, qui veluti fomes est ad ignem animo excitandum. Docet proinde D. Thomas: Preces voce conceptas,
2.2 q. 83. art. 12. nisi recitandæ sint ex præcepto, abrumpendas esse, vbi animus sit incensus. At enim vbi potitus quisquam est voti, eo illum frui fas est, neque in eius adminiculis admodum occupari. Viros adeò prouectiores aspicimus minus incipientibus alijs, aut se ipsis, cum molirentur initia, huic studio precandi voce addictos; non ob illius aut vulgarem æstimationem scilicet, aut contemptum; sed eò, quia minus extimè debent impelli, vt animos ad Deum euehant. Deque sanctissimo Parente nostro Ignatio in eius vita le-
Lib. 5. c. 1. gimus, progredi illum subinde nequiisse in statis ab Ecclesia precibus persoluendis, præ nimia sui cum Deo animi coniunctione. Quapropter Socii earum immunitatem illi ab Summo Pontifice efflagitarunt: isque annuit, quòd ijs in precibus Ignatius diem totum extraheret, ad singula ferè verba subsistens, vt Deo vacaret sese in ipsius animum insinuanti. Quòd si pensum soluere teneretur, soluturus certè ille erat, integro licet eam in rem die consumpto: alioquin properanter absoluere, minus id & honorificum Deo fuisset, & gratum. Vt igitur Deum audiret, intimisque animi sensibus vacaret, illum à precibus voce, non tamen mente litandis venia iustæ potestatis exemit. Neque verò tempus omne consumebat orando, quippe cæteris etiam rebus pro suo munere defuncturus.

Rursum in hac ipsa ratione precandi petitiones neutiquam omittuntur: immò verò arcano quodam modo, non petendo, plus petitur: siquidem id intentè tunc agitur, quod Deus mauult: obtinenturque melius postulata; nam & largitoris Dei voluntas arctiùs obligatur. At verò Deus, qui sui famuli & necessitates nouit, & animum intuetur pronum quidem ad preces sibi pro ijs adhibendas, cessantem ab his tamen interea, quòd fiduciâ in se

conie-

coniectâ, ibi versatur, vbi illum ipse vult esse; studet nimirum ijs perinde, atque rebus fidei, curæque suæ concreditis. Non secus atque herus, qui famulo vtitur studioso sui scilicet, ac fideli; tacente illo, eum ipse tamen, resque illius omnes accurat: eòque magis, quòd ad petendum alia commodiora sunt tempora; tunc verò id fieret importunè. Atqui vulgò Institutores animorum affirmant, vbi nos Deus dulcitudinis suæ muneribus anteuertit, diuinos eos illapsus excipiendos esse submissè; neque animum ad cogitatus, affectusque alios, quanquam boni specie, auocandum. Versat enim fraudes veterator, & instat, vt ea nobis tunc oblata depereant; aut illa quidem nostra imperitia dissipet ac disperdat, nomine nimirum agendi tunc gratias, aut grandia quædam pro his, illisue petendi: quæ per se quidem proba licet, non eo tamen probanda sunt tempore, quo Deus ad alia ciet, ac permouet.

§. II.

SEptima difficultas id obijcit: quòd genus hoc precum ab eo videtur orandi modo auertere, quem Ignatius Parens noster sanctissimus tradidit, & cõmendant vulgò pietatis Christianæ Magistri. Quare communi vitæ societate coniunctos alios ab aliis distrahit, vtpote diuerso inter se itinere abeuntes. Parata tamen responsio est, qua dicitur, id communi studio potius suffragari. Cum enim præcipuo Deus instinctu non euocat, ab eo vsitato ducenda sunt initia, ex eoque ad alium hunc modum orãdi fit transitus. Ad quietem enim contemplationis, meditatio, via est. Ipse verò piarum exercitationum Auctor ab ijs ipsis in hunc modum præcipuo Dei munere prouectus est: memoriæ namque mandatum est, eum habuisse in precibus sese *passiuè* magis, oblatis sibi fruendo, quàm *actiuè*, ratiocinatione animum exercendo: iam tunc enim quiescebat, vt qui compos voti metam attigerat. Quanquam verò communis precandi ratio omnibus est tradenda vbi tamen quempiam Deus afflatu peculiari ad hanc quietis precationem vocet, is in ea est vtique adiuuandus. Quod approbare etiam iis fas est; qui aliquos iam annos sese meditando exercuere; atque inde satis admodum profecere; suntque ad hanc orandi formam per quietem intimam, coram Deo, contemplationis in modum idonei. Quibus suadendum est, non vt meditationes omninò dimittant, sed vt sensim minus ratiocinationem, plus verò affectus exerceant: iis contenti, quæ commenti antea fuerint, affectus modò laudatos interim excitando. Atque hæc cum ijs consentiunt, quæ in suarum exercitationum additamentis

hisce verbis docet Ignatius, *Quòd in puncto, in quo assecutus fuero quæsitam deuotionem, conquiescere debeo, sine transcurrendi anxietate, donec mihi satisfecero*. Id etiam auctores ijs esse possumus, qui vel imbecillitate, vel aliâ quacunque causâ, prolixa vti ratiocinatione non possunt: sic vt eius in hoc sententiæ acquiescant, qui iudicare de hac re possit: cuius opinio prudentiæ, notisque legum iam laudatis innixa haberi pro argumento potest, vocatûs ac voluntatis Dei; qui adesse his assolet, eosq; cùm id minimè cogitant, ad contemplationis quietem euehere. Neque verò id est in partes scindere societate vitæ coniunctos. Modus enim orandi per affectus, ratiocinationis vsu in vniuersum breui, est sanè complurium; quod verò in eo perfectissimum est, id est paucorum. Atqui perfectio paucorum est semper. Vtinam verò ea spargeretur in multos, à quibus excitarentur & tepidi. Hoc autem modo peculiarem viam insistere, absurdum nequaquam est: donis enim præcipuis nequaquam Deus illos impertit, qui contenti sunt viâ vitâque communi.

Atque hæc, re quidem ipsâ summa eorum est, quæ in Baltasaris opusculo habebantur: quo in extremo hæc subiecit verba Inspectori huius Prouinciæ, ad quem id operis mittebatur: Hæc habui, quæ de hoc orandi modo tuæ Reuerentiæ exponerem. Tu Pater pro tua in Deum caritate, cui placere cum maximè studes, ea perlege, ac perpende: mihique ac cæteris in hac tua Prouincia, à quibus petent illi consilium, qui Deo duce hanc viam inierint, edicito, quid retinendum ex ijs sit, quid resecandum. Spero enim ex immortali Dei bonitate fore vt hac via & nobis, & ijs, quænam certa sit eius voluntas, appareat.

Denique tempestas hæc, quod ad Baltasarem, ipsiusque precandi rationem attinet, cum faustitate detonuit. Causâ enim per Præpositos, virosque alios graues cognitâ, cum euehere humiles, eorumq; tueri dignitatem consueuerit Deus, qui perpeti, & silere, & nomen famamque suam exponere aleæ, Dei causâ, non dubitant, ipsius proinde innocentiam, reique veritatem omnibus voluit esse perspectam: non ob ea modò, quæ suo in opusculo protulit, sed ob heroicam maximè id loci exhibitam submissionem, atque patientiam: egregio sanè argumento, culpam ab eo, qui vexatur, abesse. Animus enim integer, suique coram Deo securus, plurimam vim, pacem, atque tranquillitatem ijs adiungit, quæ quis à mortalibus aduersa perpetitur. Ratio item ipsa, qua de se respondit, & docuit, tam plena humilitatis fuit, atque modestiæ, vt Præpositos admiratione summa defixerit. Quare Inspector Iacobus Auellanedius singularem animi submissionem

intuitus, qua ille sibi sua cognoscenda scripta transmiserat, & qua obiectis ipsi respondebat, nihil sibi maiori miraculo, aut sanctiori exemplo fuisse in hac Prouincia affirmauit, submissione Baltasaris. Generalis verò Euerardus Mercurianus, quanquam rationem hanc precum spargi adeò populariter non probabat, immò, vti mox dicemus, temperauit illam scilicet & coërcuit; de ipso tamen Baltasare magnificè sensit; eique duo nostri Ordinis munera, de quibus postea, honestissima, grauissimaque demandauit. Ex hoc rursum nimbo, ex quo Baltasar futurus esse videbatur obscurior, effulsit vtique clarior; suique stadii spatium futurum certè non longum cursu perniciore cucurrit, vt brauium gloriæ opulentius obtineret.

CAPVT QVADRAGESIMVM SECVNDVM.

Quantum momenti ac securitatis sit in precibus, quæ meditationibus, affectibus, colloquijsque cum Deo adhibentur. Modum hunc proponendum esse omnibus, & tradendum.

NE horum causâ, quæ superioribus capitibus exposita sunt, minoris fortasse fiat trita & tradita ab sanctissimis Viris meditandi via; neu quisquam suâ sponte, atque sententiâ eos transilire audeat, quos nobis antiqui Patres constituere, cancellos, pretium mihi visum est operæ, rationes præcipuas hîc proferre summatim; quibus confirmatur, commendaturque precandi ratio, meditatione diuinorum mysteriorum, per affectus, petitiones, colloquiaque cum Deo, ad quæ voluntas nostra ex ijs impellitur, ac mouetur.

Prima igitur, ac cæterarum fundamentum ratio est. Quemadmodum meditationis, quod mentis est nostræ opus diuino Fidei lumine collustratæ, proprius, proximusque finis est, summam eam cognitionem assequi, de qua immortali suo Genitori Christus inquit, *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum*; itâ neminem in hac mortalitate, æternæ vitæ, quam inchoatam beatitatem appellant, fieri posse perfectè participem, nisi per contemplationem perfectam; in qua hæc duo præstantissima conspiciuntur, Deus, quà Deus est, & Christus, Deus item verus & homo, eâ perspicuitate, quæ constat nempe cum Fide. Quanquam verò cognitionis huius magnitu-

nem & claritatem nullâ præuiâ hominis induſtriâ, largitatis ſuæ præcipuo munere menti Deus indit, temerarium tamen, & arrogans, ac tentare Deum eſt, id munus expectare vel petere, ijs poſtmiſsis induſtrijs, quas ad id tanquam adminicula Deus expetit,
2 2 q 180. a. 3. in cap. & ad 4. ac ſuadet: Hæ verò, auctore D. Thoma ex Auguſtino, & Bernardo in opuſculo, cui nomen eſt Scalæ ſpiritualis, ſunt, lectio, meditatio, & oratio: lectitando nimirum diuina volumina, quibus vita ineſt æterna; pioſque ſanctorum libros, qui nempe illam exponunt: meditando ſcrutandoque altè diuina myſteria, aliaque ab alijs percurrendo, quò melius omnia pernoſcantur: tum verò orando, petendoque à Deo lucem animo, qua ille nos doceat. Id Chriſtus inculcauit Apoſtolis, *Petite, & accipietis; quærite, &*
Matt. 7. Luc. 11. 9. *inuenietis: pulſate, & aperietur vobis*. Tepidus enim aut arrogans, qui petere nolit, indignus eſt qui accipiat; ſi verò quærere detrectet, non inueniet; & ſi minus pulſauerit, illi profectò non aperietur. Proinde Chriſtianum virum oportet, excitata fide, ſuas etiam conferre ad opus animi facultates; ſeſeque lectione, meditatione, ac precibus exercere, petendo, legendo, orando, pulſandoque quotidie, vt voti denique compos fiat.

Cum hac Dei, Chriſtique Domini cognitione, cognitio coniũgenda eſt ſui, ſuarumque miſeriarum & criminum; quantaque ea ſint, & quàm grauia: quæ proxima licet, intimaque nobis, non tamen aſſequimur, niſi in nos ipſi meditando deſcendimus; ac damna, pericula, ingentiaque, quibus obnoxij ſumus, & quæ noſtrarum culparum nomine promeremur, mala perpendimus. Mentis etiam acies dirigenda eſt in ea, quæ in morte nobis euenient, quæque in vtroque fient peculiari, generaliq; iudicio: tum quas impij ſcelerum pœnas luunt in tartaro; quibus contra beati fruuntur in cælo gaudijs, contemplandum. Hæc ſanè vulgò minimè obtinentur, niſi meditatione, quæ clauſa hæc volumina explicat & euoluit; latentiaque in ijs arcana perputat, ac perpendit. Et verò, licet Auguſtinus ad Dominum clamaret in precibus, *Nouerim te, nouerim me*; contentus eo tamen haud erat, duplici hac cognitione à Deo imbui ſuam mentem expectans; ſed ad eas obtinendas ſuum etiam laborem ac ſtudium conferebat: eaſque ſcripto etiam tradidit, vt qui meditari per ſe ipſi nequeunt aut ignorant, defectum hunc, eorum, quæ meditati ſunt alij, lectione ſuppleant; aliorumque commentationibus vtantur vt proprijs. Ad hæc, finis meditandi potiſſimus eſt, voluntatem permouere ad nobiliſſimos actus eliciendos, quos affectus dicimus amoris Dei, doloris ob noxas, conſenſus cum Dei voluntate, alioſque conſimiles. Etſi verò Deus voluntatis quippe noſtræ Dominus, præ-

po-

potenti sua vi eam momento potest impellere, ferè tamen ac vulgò vult ab homine mentis ratiocinatione, ac meditatione illam moueri, & affici erga ea, quæ perputat. Quisquis enim ad precandum modò se cōfert, curâ in Deum sui animi promouendi reiectâ, huic laruæ mentis illudent: sin verò nil animo versat, huc illuc euagabitur, atque abibit aridus & ieiunus; otioque inutili tēpus teret: ac veluti necesse est, aptè ligna construere, prunasque perflare, ad suscitandum ignem, flammamque ciendam, ita lectione ac meditatione veras congeri diuinorum mysteriorum cognitiones oportet; tum ignem ipsum piæ cupiditatis accendere, quæ nos impulit ad precandum, quò magnum diuinæ caritatis, doloris ob culpas, aliarumue virtutum excitetur incendium. Idcirco Basilius cum pium affectum situm esse docuisset in vehementi cupiditate placendi Deo firmiter, & constanter, affectum hunc, adiecit, cognitione ac meditatione gigni Dei perfectionum, ac munerum, quibus diuino à Numine largiter impertimur. *Reg 137. ex breuioribus.*

His illud accedit, orare, propriè quidem esse, Deum alloqui de rebus nostræ salutis. Et si verò Spiritus diuinus is est, qui docet nos *postulare gemitibus inenarrabilibus*; animi verò lingua, auctore Bernardo, est *ipsa deuotio*: sine qua cum diuino Verbo loqui aptè non possumus; hic tamen pietatis affectus, ex Diui Thomæ sententia, non nisi meditatione, seu contemplatione obtinetur. Siquidem verò contemplatio est paucorum, inde ea plerumque à meditatione progignitur: atque hæc, quæ, quibusque rationibus, ac nominibus postulemus à Deo, quæ illi etiam offeramus, ex proposito ipso ad meditandum argumento, docet & indicat. Adeòque aliquam etiam præire meditationem oportet, vt, quæ funditur voce precatio, pia fit & attenta: quòd si verborum sensa mens ineat, vberior ex eo fructus existet. *Rom: 8.26. Serm. 45. in Cant. 2.2.q 82. a. 3.*

Hinc rursum alia ducitur ratio robustior: Scopus enim meditandi præcipuus est, morum emendatio; vitiorum, atque cupiditatum triumphus, omnium denique exercitatio virtutum. Fructus hic verò apparatus est ad perfectam contemplationem, in qua mentis ratiocinatio vacat: legendusque est à precibus vsitatis, quę, vt diximus, meditationibus peraguntur. Morales enim virtutes, vti auctor est D. Thomas, quæ cupiditates cohibent, necessaria præparatio sunt ad contemplationem numeris omnibus absolutam. Cardinalis verò Caietanus in suis in D. Thomam Commentarijs id ipsum admirandis hisce verbis exponit: *Notet tamen qui alios in via Dei instruunt ad profectum spiritualem, & diligenter efficiant, vt prius in vita actiua exerceri faciant, quos edocent, seu instruunt, quàm ad contemplationis fastigium suadeant. Oportet siquidem* *2.2.q.180. a.2.*

prius

prius passiones domare, habitibus mansuetudinis, patientiæ &c. liberalitatis, humilitatis &c. & sedere. Et ob defectum huius multi non ambulantes, sed saltantes in via Dei, postquam multum temporis vitæ suæ contemplationi dederunt, vacui virtutibus inueniuntur, impatientes, iracundi, superbi, si in huiusmodi tanguntur. Et propterea tales nec actiuam, nec contemplatiuam, nec ex vtraq; compositam habuerunt; sed super arenam fabricarunt. Et vtinam non sit frequens defectus iste. Hæc ipsa Caietani sunt verba: maximéque cum Gregorij, Bernardi, Isidori, aliorumque sanctissimorum Patrum, animorumque Institutorum doctrinâ consentiunt.

L: 6. mor. c.27. serm. 48. in Cant. L. 3. de summo bono.

Quamobrem omnes oportet animum meditando conferre ad vitiorum suorum radices, eorumque remedia dispicienda; eaque perpendere, quæ animum ad ea adhibenda permoueant, quò ijs nos sedulò perpurgemus, è Dauidis oraculo, *Meditatus sum nocte cum corde meo; exercitabar, & scopebam spiritum meum.* Inde verò fit, vt ij, qui non hoc iacto prius fundamento, ac fine præcipuo Dei vocatu, precationi se dedunt quietis, atque silentij, falso instabilique solo innitantur; vitam infrugiferam agant; ipsorumque precatio dicenda potius sit, spiritus vacatio, atque remissio: quibus idem accidit, quod auiculis ab nido exeuntibus præmaturè; quæ neq; se volatu queunt in altum efferre, neq; referre ad nidum; adeòq; in humum cum vitæ iactura miserè deuoluuntur: ità & hi, neq; certam meditandi rationem, neq; vllam coram Deo quietem obtinent: sed futilibus perpetuò cogitationibus distrahuntur, quippe qui eniti in summum spiritus fastigium immaturè scilicet voluere.

Ps 76.7.

Id verò certum adeò, exploratumque est, vt & eos etiam ipsos, qui ad quietis precationem euasere, meditationis vsum, diuinorumq; mysteriorum commentationem aliquam minimè respuere oporteat. Cessant enim sæpe Dei munera, & impulsus, quibus ad quietem tantùm euehuntur. Quare necesse est, vt facultatibus ij tunc suis vtantur; neque nauigiorum sint instar, quæ ventorum modò aguntur impulsu; sed triremium similes, lintriumque minorum: qui, vbi cessant venti, remis vrgentur, quòd si venti vacent, ac remi, tanquàm in malacia hærebunt immoti: ità, vbi instinctus diuini flamen, ac nostrarum facultatum conatus, & industriæ desint, in via virtutis otium & quies erit ignaua.

Ad hæc, vti par est cum Ecclesiæ spiritu, meditando, consentire, diebus, quos ea recolit, festis Christi Domini, & Sanctorum; nisi quis mysterijs hisce meditandis assueuerit, neque præstantes inde sensus, neque materiam eliciet, vt sermonem cum ardore de ijs inferat, quæ in pia meditatione non senserit: sed

aridè

aridè tantùm dicet ac frigidè; litteratorum more hominum, vnâ dumtaxat ope scientiæ. Diuinum proinde Numen, quos hac precationis adeò excelsæ viâ deducit, eos suo collustrare lumine consueuit, ad hæc, pro tempore, ac loco mysteria meditanda: indicio non obscuro, gaudere Deum reliquos tritâ gradientes viâ, de illis perputare animo, ac meditari.

Præterea, momentum huius vitæ summum solidæ sunt virtutes, ac firmæ: diuturnæ scilicet, neque ad impulsus tentationum, aut interiorum euentuum varietatem instabiles: at ij, qui teneris modò affectibus, & quietæ, quam dicunt, precationis dulcedine innituntur, perparum sibi fermè constant, ac perstant: pietatis enim dulcis affectus, sensusque tenerior facilè commutantur. Ea propter Bernardus inquit Eugenio: *Noli nimis credere affectui tuo, qui nunc est*; is enim mox in alium vertitur: Quamobrem ea firmior, solidiorque virtus est, quæ robustis ac viuidis rationibus innititur; quibus mens vincitur, & vincitur: & quæ sua luce errores ab ea dispellunt, veramque virtutis æstimationem ingignunt. Quanquam verò rationes eiusmodi, errorumque depulsiones ab inusitata etiam, qua quis à Deo impertitur, precatione proueniunt, ferè tamen non nisi ex meditationibus, altisque mysteriorum Fidei cognitionibus, tanquam suis à fontibus hauriuntur.

Ij denique, qui sua studia conferunt ad precandum; ac virtutes, quibus Deus, & Euangelica perfectio colitur, spectant, animo sint oportet, quem cupiditates & consilia sua non teneant: qui beneficentiæ, ac visitationis suæ certum Deo locum, ac tempus minimè definiant. Suspectum porrò est vniuersim asserere, eos, qui hac vel illa industria tot annos, aut menses vtantur, hæc aut illa à Deo munera, aut certum aliquem virtutis gradum assecuturos. In quo suggillant aliqui Cassianum, qui, quos docet ipse, conatus adhibenti tempus perfectæ castimoniæ obtinendæ constituit. Id enim non industriæ opus primum est, artis, aut temporis, sed gratiæ, Deique prouidentiæ, qui *vnicuique diuidit prout vult, & quando vult*. Porrò aggredientium in precationis ac virtutum exercitamenta plurimum interest viam ingredi vsitatam ac tritam: suamque ardenter conferre manum ac operam communi Dei, diuinæque gratiæ instituto; impedimenta scilicet remouendo, definitaque præsidia adhibendo: depulsâ procul cupiditate, curâque efficiendi viâ non vsitatâ processus: re in Dei prouidentiam reiectâ, vt ea ipse peragat, quæ malit, & quæ congruant: suoque interea se loco contineant, dum audiant illud, *Amice ascende superius.*

Collat. 12. c. 15.

1. Cor. 12. 11.

Luc. 14. 10

Ex

Ex dictis illud fit, cuiuscumque generis homines communes item, ac religiosos, quod ad ipsos attinet, oportere illos initia, ac processus ab ratione hac meditandi vsitatâ capessere, donec eos diuinum Numen vocet; ac vocatu præcipuo ad aliam excelsiorem attollat: de quo vbi constiterit, illi vtique auscultandum. Extrema enim vtraque perniciosa sunt maximè; tum eorum, qui sine hoc vocatu temerè, quæ ipsorum viribus maiora sunt, postulant; cùm eorum, qui vocatui diuino repugnant, vbi in aperto sit; viam illis à Deo decerni præcipuam. Quod iudicio censendum est prudentis, experientisque animorum Institutoris; cuius est præcipuas, quibus diuinum Numen suos agit, vias diligenter obseruare, atque cognoscere; neque ab ijs illos auertere, sed regere potius ac iuuare, vt tutò fructuoséque res cadat. Plurima enim in ipsa meditandi via varietas est: aliosque Deus horridis, terrificisque meditationibus excit ac prouehit; alios commentatione Christi Seruatoris vitæ, necisque, ac diuinorum in homines beneficiorum; alios etiam alijs: animum verò cuiusque his afficit magis, quàm illis, in quibus adeò sunt iuuandi. Institutores enim in regendis animis non nisi adiutores Dei sunt. At verò Deus ipse Dux princeps est, quem, quo dictum est modo, cæteri sequantur oportet. Vbi verò munere aliquo præcipuo diuinâ gratia non anteuertit, communes, quæ habentur in Ecclesia, seruandæ sunt leges. Sed tamen tum hæ, tum aliæ præcipuæ, atque vniuersæ demum artes, & industriæ, ad cuiuscumque precationis bonæ finem illum, fructumque præcipuum dirigendæ sunt, qui ea, quæ exposita modò sunt, omnia complectitur.

CAPVT QVADRAGESIMVM TERTIVM.

Precandi formam nostris in Exercitijs traditam ab Socijs vsurpandam esse. Eius excelsitas explicatur: eorumque peragendorum ratio pia cum primis ac fructuosa profertur.

RAtiones superiore capite à nobis expositæ docent satis precandi modum ab Ignatio in pijs suis exercitationibus traditum, & in Societate nostra vulgò vsurpatum, esse cum primis tutum scilicet, ac præstantem; in quo illa habentur omnia, quæ necessaria sunt ad perfectam eam mentis precationem, quam expetere, ac spectare quiuis potest, vires, industriasque suas motibus adiun-

adiungens diuinæ gratiæ, quæ ad commoliendum cum ipsa præoccupat nos semper, & excitat. Ea porrò sunt, præparationes habendæ, argumenta, atque mysteria meditanda, affectus eliciendi, instituenda cum Deo colloquia, ratio conferendarum in hæc omnia animi facultatum; fructus, animique bona, quò hæc sunt dirigenda; animaduersiones item, & examina super his instituenda, quò fructus hic excolatur ad purum. Tum verò rationem docet Ignatius euadendi ad contemplationem, amoremque Dei perfectum: atque ijs, quæ meditatione perpendimus, intimis animi sensibus perfruendi. Quæ nos omnia in gemino libro, meditationum altero, altero spiritualis animi Ducis fusè, latèque explicauimus.

§. I.

PORrò aliquas hoc loco proferam rationes, quibus, qui vitam in Societate degunt, eum sequi debent, plurimique facere precandi modum, quem suis in exercitationibus tradidit nobis Ignatius. Prima est: quòd è Philosophorum sententia, res vniuersæ, quibus progenitæ primò fuerint causis, ijsdem conseruantur, & augentur. Quoniam verò hac precandi ratione Societas nostra condita primò est; qua, vti comprobat liquidò Ribadeneira in vita sanctissimi nostri Fundatoris lib. 1. c. 8. nostris in Parentibus primi vocati fuere, & in summum sanctimoniæ culmen connixi sunt; eâdem etiam viâ subsequi decet nos eorum natos, & posteros: quâ, nisi nostræ partes desiderentur, in idem, quò illi, perfectionis fastigium euademus.

Ad hæc, traditum nobis accepimus, exercitia hæc, vti mox planum fiet, data Ignatio fuisse à Deo. Neque verò dubitandum est, ea illi oblata esse, non ipsius modò gratiâ, sed vt per ea Societatem hanc nostram conderet, ad quam fundandam ipsum Deus elegerat; eaque cum suis filijs, ac posteris communicaret: quæ in armis essent potissimis, ac potentissimis, quibus in hostem tartareum bellum intenderent, salutemque animorum strenuè procurarent. Rem verò experientia confirmauit, perplurimis ordinis cuiuscumque mortalibus per ea in meliorem vitam perfectionemque traductis. Par igitur est hanc à nobis rationem iniri, veluti à Deo nostri boni causâ traditam. Et verò Societatis, qui nunc viuunt, homines proferre possum hîc testes, qui veluti manu contrectant innouationem spiritus, qua in meliora vertuntur, cum ad hæc exercitia quotannis secedunt dies octo, vel decem.

Quod vt confirmem, è re fuerit meminisse hoc loco aliquid

cuipiam indicatum aliquando diuinitùs, ex quo ſanè poſſint omnes plurimum recreari. In ijs, quibuſcum egi (neq; verò hi pauci ſunt, ex quo animis inſtituendis vaco) precationis præcelſæ munere perornatis, aliqua fuit, in quam Dei, ac Deiparæ effuſa præter morem largitas erat; de cuius affirmantis veritate certò mihi, quàm poſſit maximè inter homines, exploratum eſt. Ea verò hæc retulit mihi, quæ proferam. Conſcia hæc, Socios, pro noſtri Ordinis more, ad exercendos pijs commentationibus animos, ſalutis anno milleſimo ſexcenteſimo proximè ſeceſſuros, eidem & ipſa ſtudio vacare domi, qua poſſet ratione, conſtituit. Iamque in id aggreſſa, cum Deo matutinis in precibus agens, cæleſtem Iuuenem maieſtatis ſummæ ad ſeſe properantem, accedentemque propiùs mentis oculis intuita eſt: eius verò aſpectus admiratione defixæ, pendentique animis cæleſtis ait Accenſus, Gabrielem eſſe ſe, aliquid ipſi Virginis Deiparæ nomine nunciaturũ. Ad hæc illa Chriſtiana humilitate magis nimirum, ac magis obſtupuit: refugitque in ſeſe, ac diuinum rogauit Interpretem, liceret aliquandiu ſibi de re tanta, vti in alijs eiuſmodi rebus conſueuerat, cum Deo agere. At verò cæleſtis Apparitor, quippe qui humilitate, cautione, ſanctoque ſeceſſu gaudet, id ſibi pergratum fore reſpondit. Eo igitur non ſecus, atque ſi abeſſet inde, relicto, Deum vbique, vti docemur Fide, præſentem adijt; altoque ſenſu animi, & affectu, ſuam illi miſeram, abiectamque ſortem expoſuit: miſerari proinde ſe vellet exobſecrans, auerteretque ab ſe quicquid ipſius aduerſaretur ſanctiſſimæ voluntati. Cum nonnihil temporis his, alijſque petitionibus extraxiſſet, intimam Dei vocem ſibi dicentem accepit, Audiret, quæ ipſi diuinus Interpres ediceret. Tunc verò comperto ſuum apud animum diuinam ibi rem agi (vti ſuis cum aſſeclis ſolet, conſueuitque ſacris cum Vatibus olim Deus) de genu dicta diuini Oratoris excepit, ſummæ Cælitum Reginæ nomine indicantis, In pijs exercitationibus, quibus animum exercere conſtituerat, Dei amplitudinem immenſam, ac bona, quæ per Chriſtum Dominum collata ſunt nobis, mente, ac ratiocinatione, pro Societatis more, verſando, obſequium, ſi porrò pergeret, ac meditata perageret, Deiparæ quidem ab ipſa præſtitum iri gratiſſimum. Sciret enim, eâ ſic mandante, illarum Societatis exercitationum eſſe ipſam, ac fuiſſe Patronam ſcilicet, & Fundatricem: in ijs ea ratione inſtituendis Adiutricem ſe ac Magiſtram Ignatio præſtitiſſe: adeòque eo in opere initia poſita ab ipſa fuiſſe; quæ etiam Virgo Deipara ſuæ vitæ tempus aſſiduò eiuſmodi exercitamentis exegerit. Hęc diuina fuit ſignificatio, quam equidem, vt dixi, ſpectatis rerum

adiun-

adiunctis in dubi tationem haud voco. Quin etiam illud certò habeo persuasum, id ei, non tam ipsius gratiâ indicatum fuisse, quàm nostri: vt & Societatis nostræ Religiosi, itemque cæteri, qui sanctissimas hasce commentationes vsurpant, ac nonnihil temporis pijs Ignatij exercitamentis attribuunt, æstiment ea plurimi, seque ad constantiam in ijs exstimulent, quæ Deiparam Virginem tantam habent Adiutricem, Patronam, & Magistram: & quæ animum ad ea contulisse, quanquam præstantiùs multò, quàm nos, sua inter decora laudesque retulit: nobisque significatum id voluit, vt clarissimum sanctissimumque ipsius imitaremur exemplum.

Aliâ etiam ratione prçualidâ par est nos ad hunc precandi modum impelli: Precatio enim neq; Societatis, neque aliorũ Religiosorum Ordinum, qui cum proximis agunt, finis est proprius, qui proprius est Ascetarum; sed generale modò præsidium, quo cum cæteris etiam actibus vtimur ad obtinendas virtutes, salutemque procurandam animorum. Quamobrem ea precum tenenda ratio est, quam Deus nobis indicauit, veluti instrumentum ad Instituti nostri finem idoneum: ea nempe, quam nobis tradidit Societatis nostræ Fundator: quæ sanè ad hunc finem accommoda cum primis est, per eamque nos illum quàm perfectissimè assequemur.

Has, aliasque complures rationes breuiter, ac pulchrè Ioannes Soarius huius Prouinciæ Moderator in pia cohortatione collegit, loco scilicet tunc oblato. Generalis enim Euerardus Mercurianus peragrè tulit aliqua, quæ ad ipsum delata sunt scripto; ab nonnullis nempe spiritu minùs prudenti, rationem contemni precandi nostris in exercitationibus propositam, nouam aliam inuehere molientibus. Geminam proinde scripsit epistolam, alteram Baltasari Aluarez, alteram huius Prouinciæ Præposito, Martio mense datas anno millesimo quingentesimo septuagesimo septimo. Hanc ipse perlegi, ex eaque deprompsi rationum aliquas, à me proximis hisce duobus capitibus expositas. Idem verò hæ habebant litteræ, quod alteræ, commendato illi plurimum, vt nostros ex earum præscripto dirigeret, ac iuuaret; quò precum rationem ad nostrarum exercitationum normam plurimi facerent, ac tenerent. Prouincialis verò imperata facturus, me in hoc D. Ambrosij Collegio tunc degente, octauo & septuagesimo supra millesimum & quingentesimum anno, vltimo ipso, quem studiis Theologiæ dabam, cohortatione allocutus nos est documentis, ac sensibus ijs, qui precum studio vacant, accommodis adeò refertâ, vt illam ego in libellum illicò retulerim. Eam

verò, in rem quippe opportunè cadentem, operæ pretium duxi, ipsis ferè eius verbis hoc loco proferre; nonnullis, quibus ea, quæ dicuntur, clariora fiant, adiectis.

§. II.

Ioannis Soarij de precandi ratione nostris in exercitationibus tradita, quanti ea sit momenti, & quàm tuta, cohortatio:

EST profectò cur gaudeamus plurimum, plurimasque Deo gratias agamus, quòd agendi cum ipso certam nobis, tutamq; rationem ipse tradiderit; eam nempe, quam nostræ docent piæ animi exercitationes. *Primò* quidem; etenim si Patronus aut Iudex, & vnusquisque mortalium suo munere defungi tutò cupit ac studet, eò quia de existimatione ipsius ibi agitur, de fortunis, aut vita; quantò magis, qui religiosam vitam exequitur, securitatem fas est suo spectet in munere; hoc est in consuetudine cum Deo; vbi non de mortali vita, bonisque pereuntibus, sed de perpetuis agitur bonis, vitaquè perenni? *Deinde*, si plurimum cuiuspiam interest, scire se rectâ certâque ingredi viâ, periculi errorisque securum, quantò maiori solatio vacanti precibus illud erit, intelligere ab se viam insisti certam maximè, & securam? At enim peracerbum profectò foret post plurimos annos religiosæ vitæ, precibusque datos, delusum se scilicet, longèque deuium ingressum esse, cognoscere, quòd minimè certam, tutamque viam inierit.

Eiusmodi verò nostras exercitationes esse intelligimus, primò ex animorum fructu, qui earum ope percipitur; ex eaque vitæ, ac morum emendatione, quam exinde cuiuscunque generis homines suscepere: tum etiam, quòd, vti Generalis noster Mercurianus asseruit, traditum Romæ à Maioribus ferebatur, exercitationes illas Ignatio fuisse datas à Deo. Tertiò, quod maiori adhuc securitati est atque solatio, illud est, eas esse à Christi Domini Vicario comprobatas; quod ex diplomate constat Pauli III., in quo Societatis exercitationes approbat maximè, ac dilaudat; hortaturque fideles, vt fructum ex ijs suorum capiant animorum. Ea verò regula est, cui error inesse non potest: qua nos ratione tam probata si vti probè nouerimus, vltimo rerum mortalium die, supremo Iudici fidentes astare poterimus, & securi: sin verò error nos in hac vita seduxit, per Deum, ipsiusq; Vicarium seducti nos sumus. Atquî veluti fieri minimè potest vt imponat nobis Deus, ipsiusque Vicarius

carius in ijs, quæ Ecclesiæ vniuersæ proponit, ità nos hanc ineuntes viam nec decipimur, nec erramus.

Hinc verò illud consequitur, securitatem nequaquam in pijs sensibus, animique delicijs, ac suimet approbatione sitam esse, sed in vera Ecclesiæ, nostrique Ordinis obsequela: perplures enim vidimus liquidissimis animi illecebris delibutos, lachrymis affatim, sensibusque tenerrimis affluentes, & eos interim in errore versari; quòd suum, vti Saul, iudiciū, voluntarium Satanam, fraudum seminarium, ac fontem hæresum sequūntur. Quod Hispali ipsemet vidi, vbi Iulianus Villauerdius hæretica prauitate corruptus agebat; eò ab suis missus, vt cum hęreticis cōsuesceret, qui tunc Hispaniam obibant occulti. Coniectus is in custodiam est: &, Quæsitorum iussu, egi ipse cum illo; eiusque animum inij, ac deuinxi: mihiq; affirmāti me salutis ipsius esse percupidum, meam item salutem expeti ab se magnoperè, affirmabat: nisi quòd eam ego putarem per ea cōsecuturū esse me, quę doceret Ecclesia, ipse cōtra, per ea, quæ ipse sentiret. Diuinis de rebus sermonē magno cū animi sēsu miscebat; ac subinde aiebat illacrymans, *Benedictus Deus, qui consolatur nos in tribulatione nostra*; suâq; cōtentus viâ pronūciabat, *Ipse enim Spiritus testimoniū perhibet, &c.* Rebatur infelix, eam viā, auctore diuino Spiritu, exploratam esse sibi; isque spiritus ipsius erat proprius, obcęcatus, & contumax. Viuus igni traditus mortem oppetijt; teneritate tanta lacrymarum ac sensuum, vt miraculo vniuersos planè defixerit: prudentiores tamen Satanam induisse se in lucis Angelum intelligebant, ad errorem in illo cum pertinacia infigendum. Illud porrò inter nos, & illum intererat, quòd suâ ille, nos Obedientiæ, Ecclesiæq; quam diuinus regit Spiritus, sententiâ ducimur. Quare proprium cuiusque iudicium Dęmonium illud est, quod meridianum appellant. Pater etiam ipse Magister Auila, post cōplures in precatione positos annos, permultis in rebus perperam, in aliis verò probè opinatum se esse deprehendit: docebatq; de ijs me, aliosque Patres Montillæ degentes; auctorque nobis erat, vt gratias Deo litaremus ingentes, quòd ad vitam nos quàm tutissimam vocauerat, obsequelæ.

Vt verò precandi formā ex nostris exercitationibus aggrediar, pono illud primò; quāquam conditos ab se homines gratis quidē Cōditor ipse potest suo impertire solatio, ab illo tamen eos, recreari, ac prouehi qui excitāt, iuuantq; sese: quare dolorē, pœnasq; culparū ratione suscipientem tenero pietatis affectu permulcet Deus; tentationesq; & cupiditates animi peruincēti, māna donat absconditū.

Deinde, licet caritas ea sit, quæ nos ad virtutū iter capessendum, persequendum, consummandumq; debet impellere, ab ipsa tamen

cari-

caritate proclinari ad actus & opera, incipientes quidē, pœnitentiæ, suique victoriæ; proficientes, exempli cùm sibi, tum proximis fructuosi, imitatione virtutū in Christi vita, ac nece sacratissima effulgentium; perfectos deniq; amoris, & gaudij ob immensam Dei, Christique Domini perfectionem, ac sanctitatem, atque ob ea, quæ ipsius causâ laudabiliter quisquam egit, ac pertulit.

Tertiò: Etsi animus certa quapiam virtute præcellens, ex omni re ad eius incrementa vim elicit; quemadmodum, si quis primò Christianæ humilitatis, ac pœnitentiæ spiritu permouetur, is ex ipsa Christi Seruatoris anastasi, ex ipsis Dei nominibus elicit sui submittendi, castigandique materiam; Francisci Borgiæ exemplo, animo tam demissi, vt in ijs, quæ ageret, omnibus submitteret ipse sese, atque confunderet; culpâ tamen nostrâ id in præsentia rarò contingere: quare materiam deligi oportere, quæ animum suapte vi, ac natura pro re, ac præparatu iuuet.

Quartò; nostris in exercitijs lectissimam haberi materiem ad actus viæ triplicis, quam Purgatiuam, Illuminatiuam, & Vnitiuam vocant: quibus diuina ope animus perpurgatur, ornatur, atque perficitur. Primis opportunè, ac satis argumenta suppeditant hebdomadæ primæ exercitationes, de peccatis, morte, iudicio, & pœnis inferorum. Secundis, secundæ ac tertiæ hebdomadæ commentationes, de diuino Christi Domini conceptu, vita, cruciatibus, ac cæde. Tertijs, hebdomadæ quartæ mysteria, de Christo resurgente, ascendente, diuinoque amore nostris in animis excitando.

Ratio verò ac forma ea tenenda est: Primò, Præparatio, ex Sapientis oraculo, *Ante orationem præpara animam tuam*. Id porrò fiet, additionum obseruatione, eorumq; quæ ad benè precandum traduntur, præceptorū: tum etiam custodiâ cordis interdiu, indutis in frænum sensibus, vitiisque diligenter generatim iuxtà, ac singulatim excussis: quò expolitus animus agere possit liberè, castèque cum Deo. Deinde vires, conatusque nostros oportet adiungere, dum precamur, nostrarum vsu facultatum, memoriæ, intelligentiæ, voluntatis, ac sensuum interiorum; reuocato in mentem mysterio, arcanisque in eo latentibus diligenti ratiocinatione discussis, atque perpensis; voluntate ad amorem aut odium boni, maliue ibidem cogniti excitata: adiectis sensibus ad virtutis suauitatem, atque dulcedinem, contrà verò ad vitij horrorem, atque amaritiem degustandam. Tertiò in rem nostram referenda sunt, quæ meditati sumus, in precibus, vt fructum ex ijs aliquem capiamus. Id verò illud est, quod in exercitijs repetit sæpius sanctissimus Pater Ignatius, *Reflexione, seu applicatione quadam ad me-*

Eccl. 18, 23

ipsum

ipsum facta, studebo ex singulis nonnihil fructus decerpere. In quo quinque obseruanda sunt momenti sanè perplurimi.

Primò precum tempus nequaquam esse sensis quibusdam generalibus extrahendum, puta: Prò quàm bona est humilitas, caritas,&c. sed in me ipsum oportet aduertam, quàm ijs virtutibus sum cassus, ac nudus; meique corrigendi rationem perputem, diuinam in id opem implorans, meiq; in ijs emendationem distinctè proponens: alioquin ęquè voluptarii, incensiq; cupiditatibus erimus, atque ante nos fuimus: tormentis enim altum in aërem, vacuumq; directis, arcis munimēta non corruunt. Deinde, procedendum esse ferè ordine iam laudato: quanquam enim precationis tēpus actibus caritatis in Deum, diuinarumq; perfectionum meditatione consumere, optimū factu est; in eo tamen, qui cupiditates suas nōdum habenâ compresserit, quo tempore id ipsum cōmoliri debuerat, absurdum est: ij verò, quos tunc eliciet actus, non amoris Dei erunt, at sui. Atque inde in domum migrabit superbiæ ab sui amore constructam. Diuina veritas est, quæ meditādo proponitur: eius tamen ad nos relata obseruatio esse Satanæ potest; vt illa fuit, quam is in altera Christi tentatione protulit. Sequitur hinc tertiò, fructum ex precatione legēdum, meorum esse morum instaurationem; vt piè sanctèq; agam, ac perferam; Christi Domini amore, meæq; salutis gratiâ, & proximorum: ex eo diuinæ veritatis oraculo, *Arbor bona bonos fructus facit*. Quartò: quæ animo benè constituta à nobis sunt, ea re deinde ipsâ perficere: iuuat in id plurimū vtraq; consciētiæ scrutatio, generalis, ac singularis: voluntariis pœnis sibi ob sua vitia irrogatis, namq; *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Beatitatis enim ęternæ possessio bonis operibus, quæ quisq; per illatam sibi vim præstet, adeunda est. Quintò: tutissimum in hoc esse, illud spectare semper, vt ea præcidantur, quę officiunt nostro progressui, & adeptionē præpediunt earū virtutū, quę desiderātur in nobis: in quo caret maximè omni periculo, Moderatoris, aut Confessarii præscriptum sequi. Quod quidem commune est omnibus, illud est, vt intendatur animus ad nostri victoriā, & triumphū, ad veras solidasq; virtutes obtinēdas, proximosq; in idem strenuè adiuuandos: quod verò præcipuū est singulis, ad Præpositi prudentiā, & imperiū nostra lex reiicit, iis verbis, *Quod ad orationem, & examina pertinet, cum vnoquoq; constituat.* Præpositus enim & Confessarius, quæ dantur vniuersè præcepta, pro sua ipsorum prudentia, aptare singulis debent, vti quisq; capit, aut indiget.

Matth. 7. 17.

Matth. 11. 12.

Hæc viri huius perprudentis, inq; animi rebus experientissimi pia cohortatio fuit; ex qua illud extremò aduersus arrogantes elicio: quanquā diuinum Spiritū à nobis arctari, aut orandi legibus,

ac

ac præceptis obſtringi nō decet; diuinū tamen ipſum Spiritū velle ijs ſubijci nos,ac parere legibus,quas ſuæ inEccleſia ipſe cōſtituit, ſanctoſq;Patres edocuit,quos nobis Duces, atq;Inſtitutores attribuit. Quæ quidē nobis illæ ſunt,quæ à ſanctiſſimo noſtro Parente Ignatio perſcriptæ in libello ſpiritualiū exercitiorū habentur, eædem fermè,atq;illæ quæ ab ſanctis Patribus cuiq;pietatis ſtudioſo traduntur. Legibus verò includi nolle,libertas profectò carnis eſt, & ſuperbiæ admodum periculoſæ arrogantia; qua quis intimi ſui ſpiritus impetus ſuo pro arbitratu ac libidine ſequitur, quos ad Deum ipſe quidem refert; at enim verò malo à dæmone ſuggeruntur. Quòd ſi quempiam Deus ſingulari magis, ac minus vſitatâ viâ velit prouehere, in Eccleſia, religioſiſq; familijs Inſtitutores ſuppetunt, à quibus is tutò regatur ad exploratam diuini Numinis mentē;cuius admirabilis ratio eſt in ſuis deducendis electis, vti in Baltaſare, de quo ſermo nobis eſt, luculenter apparuit.

CAPVT QVADRAGESIMVM QVARTVM.

Aragoniæ Prouinciæ Viſitator dicitur. Ratio, qua illam inſpexit: Virtus ibi ab eo cognita Ioannis Ximenij: eiuſdemque de ea Commentariolum.

TEntatione, ac procella,quam diximus, tanta cum virtute defunctum,Generalis Mercurianus certior ea de re factus, laudatum apud ſe Baltaſarem iuſſit Aragoniæ Inſpectorem: qui & ad Prouincias alias alios cum eodem munere mittebat Patres, auctoritate graues, ac præſtantibus animi bonis inſtructos;quod illi munus & Generalis obibant loco, & eiuſdem vicibus fungebantur, quando Prouincias inſpicere ipſe non poterat. Baltaſar imperata facturus, profectus eſt illicò: ſuamque Prouinciam eum in modum luſtrauit, vt vniuerſis in eo gerendo munere eſſe poſſit exemplo. Eam ob rem Ægidius Gonzàlez Romæ tunc Generali Aſſiſtens ab eo dictum affirmauit, in ſexdecim tunc habitis per Societatem luſtrationibus, hanc excelluiſſe præcipuè. Primò enim coniunctionem, pacemque cum cæteris Præpoſitis, quòad eius fieri potuit, cuſtodire ſtuduit, vt vnà omnes in eam, quæ poſtulabatur, inſtaurationem ſpiritus conſpirarent; exemplo vbique ſingulari ſanctitatis exhibito; quod & Moderatori auctoritatem apud alios,amoremque conciliat: ſic vt quæ deinde imperet æqui boniquc ab omnibus conſulantur.Sed animo cum primis coniun-

coniunctiſſimo fuit cum Prouinciali Petro Villaluio, qui deinde Caſtellanæ huic Prouinciæ præfuit; & ea, quæ dicenda ſunt, de hac inſpectione narrauit: fuitque vir ſanè ſtudioſiſſimus virtutis, errore procul & fuco: de quo Baltaſar aiebat, hominem occurriſſe ſibi, qui virtutem ex merito æſtimaret. Quamobrem conſuetudine, cognitioneque ſui mutua, tantum in amorem, inque intimā adeò coniunctionem animorum coaluere, vt nulla in re inter ſe inuicem diſcreparint. Neque porrò mirum id eſt; Prouincialis enim mirifica intuitus dona, quibus diuina largitas Inſpectorem ornarat, eum illi deferebat honorem, vt eius omne reſponſum, atque decretum, tanquam è Cælo ſibi demiſſum, ſententiam verò tanquam virtutis, ac regiminis prima quædam principia, & fundamenta putaret.

At enim hæc omnia illinc erant, quòd Collegium quodlibet inſpecturus, Deum primò ſua in conſilia adhibebat; illud enixè ab eo petens, vt omnia in maius cederent ipſius obſequium, & compendium proximorum. Eò igitur, antequam domum aliquam aggrederetur inſpicere, octo, ſeù quot commodè poterat dies, ſpiritualibus exercitationibus precum ac piæ lectionis, pro Societatis more, dabat: quo tempore neminem accipiebat in ſermonem, eo conſuetudini cum Deo largiter erogato. Quare, præterquàm quòd omnibus in Prouincia Socijs bono erat exemplo, eoſdem ad petendum, præſtandumque idem excitabat facilè, atque inflammabat: ijque de Baltaſare quàm veriſſimè ſentiebant; ſanctum enim illum & habebant ſcilicet, & colebant: ac putabant beatos ſeſe, quòd talem eſſent ſortiti Præpoſitum: eique animi ſui arcana aperire omnia, omneſque ſe dedere impatientiſſimè expectabant; rati eum hominem, qui tam intima Dei conſuetudine vteretur, ab regendi ratione certa tranſuerſum agi non poſſe.

Octiduo tum elapſo domeſticos alloquebatur omnes, imos iuxta, ac ſummos: eoſque per otium quicquid, & quandiù dicerent, audiebat; tempore in id, quantum opus eſſet, contrito; vti res cuiuſque, non humana quædam alia nomina poſcerent, quæ tempus fruſtra ſine fructu comburunt. Auditis ſolatium, animoſque ad perfectam virtutem, & conſuetudinem diuinam addebat: nec verò defuere, qui experientiâ cognorint ſacri vaticinij in eo lucem ac ſpiritum; cuius ipſe prò re ac loco ſubinde indicia faciebat, vt alios ad Dei obſequium excitaret. De aliquo certè eius Prouinciæ Patre reſciui, ei ſacris tunc nondum initiato aliqua Baltaſarem euentura præſagijſſe, quibus deinde reſpondit euentus. His artibus, verborumque vi, inter publicè cohortandum, quo ardebat ſpiritu, & morum exemplo, egregia in omnibus edi-

dit incrementa virtutum: ſic vt ab eius diſceſſu, causâ tum amoris, quo illum complexi erant, tum fructûs, quem ex eius conſuetudine perceperant, plurimum animo angerentur.

Collegium primò Cæſaraugustanum luſtrauit; vbi theſaurum inuenit occultum, qui ipſius animum lætitia ingenti perfudit. Domeſticos enim omnes de rebus animi allocutus, in laicum adiutorem incidit Ioannem Ximenium, virtutis egregiæ hominem, ſed occultæ. Is Valentinus erat, montano in oppido natus, cui nomen eſt Viaro: pijque Eremicolæ ſuaſu, Valentiam adire conſtituit, vt ſui cooptationem in Socios flagitaret. Id porrò cum agitaret, duo illi quædam euenere, argumenta ſcilicet eum â diuino Numine vocari, magnæque ſanctimoniæ deſtinari. Alterum illud eſt, quòd ab ſtygio veteratore inſtigatus in via, vt natale in oppidum ad parentes egenos nempe reuerteret; diuino actus impulſu votum hoc Deo egregiũ nuncupauit; Voueo tibi, Domine, meam velle me operam, amore tui, eorum miniſterio Patrum addicere: ſpondeo tibi etiam nihil me niſi tui amoris ergo acturum: cui enim deſeruiam, niſi tibi Domino, Deoque meo, nec ſcio, nec habeo. Hæc vbi animosè vouit, tentari deſijt; iterque Valentiam perſecutus eſt. Ibi alterum accidit ſanè mirum, cum ex Prouinciali Antonio Corteſio virtutis plurimæ viro peteret ſui in noſtrum Ordinem cooptationem: Quo ea ſuper re conſiliante cum ſuis, hi Ximenium antea, vti mos eſt in Societate, allocuti, noſtræ illum familiæ fore inutilem cenſuere. Iterumque ac tertiò de hac ipſa re conſulti, quòd in Ximenium Prouincialis animus propenderet, in eâdem illi ſententiâ perſtitere. At verò Corteſius diuina vi perpulſus, ſuo, quo res affirmabat, more, *In rei veritate*, inquit, hic â nobis ſanctitatis nomine admittendus eſt: ad eam enim iter ingreditur. Illum porrò Socijs aggregauit: comprobatumque exitu fuit, â Deo id fuiſſe conſilium, eâ diuinæ præſenſionis formulâ explicatum. Mox in Cæſaraugustanum Collegium miſſus eſt: ibique ruri fermè agebat, in prædio, quod Ieſum montis appellant; vbi aſſiduis laboribus dies, noctesque inſtar mancipij extrahebat. Quanquam ſubinde ad Collegium ventitabat, ligna, aquam, aliaque domeſticis vſibus opportuna plauſtro conuehens; moleſtioribus, grauioribuſque muneribus ijs obeundis alacrior, quæ alij plerumque detrectant. Haud illi ad contemptum nomina deſuere, ob crimina in eum vtique conficta: fructum ipſe tamen nouit inde percipere. At enim cum is extimo quidem vultu ſynceerus eſſet, ac ſimplex, cæleſtia rurſum, quibus ornatus â Deo erat, chariſmata pro ſui demiſſione animi haberet occulta, quanquam vulgò Dei famulus audiebat, minimè tamen eius virtus pro

merito æſtimabatur; donec ab eo Baltaſar rationem vitæ repetijt; deque animi rebus agere cum eodem incepit. Is verò,vt qui tanto lumine à Deo colluſtrabatur, & qui animi res tam ſcitè callebat, peruidit illicò theſaurum, quem Deus eius in animo depoſuerat. Dei in ſe beneficia memorantem nunquã audiebat ſatis; ac tandiù ſolus cum illo conſueſcebat, ac toties, vt id aduerterent domeſtici; cauſamque curioſi veſtigarent conſuetudinis laicum inter fratrem, Inſpectoremque tam grauem, crebræ adeò, & prolixæ. Sed nihilò tamen ſecius Baltaſar illum quàm libentiſſimè audiebat; inſtruebatque vt diuinæ in ſe largitatis dona cognoſceret, ſeque ad maiora percipienda compararet. Cæteros etiam domeſticos commoneſecit, vt illum deinceps noſcerent, & quantum par erat, eius virtuti tribuerent, quem antea non ſatis cognitum minoris habuerant. Ijs porrò inter alia pro ſui animi demiſſione affirmauit & illud, ſe ab eo multa de precandi ſtudio didiciſſe. Quòd ſi Magiſter tantus, ex eo, qui ipſius ſe diſcipulum profitebatur,addiſcebat, argumento id quidem eſt, in hoc ſtudio, eòdem euaſiſſe diſcipulum, quò Magiſter euaſerat.

Quoniam verò aliqua hoc in opere de Societatis Patribus, atq; Scholaſticis, quos ſuâ operâ Baltaſar iuuit in ſpiritu,notatu digna retulimus, aliquid etiam de illiterato fratre, ſanctimoniâ, atque ſcientiâ ſpiritus permultis doctis, eruditiſque maiori dicere, erit oppidò opportunum: cui exiguo tempore non modò plurimam opem ipſe contulit, ſed præcipuo prudentiæ diuinæ conſilio idem ipſe virtutes eius conſcripſit hiſtoricus. Initium itaque ab ijs ducemus, quæ diſceſſurus mox Villagartiam litteris conſignauit; quibus cuidam Aragoniæ Prouinciæ Patri reſpondit, à quo nuncium feliciſſimi Ximenij obitus acceperat, poſtulanti nimirum, vt ſibi, quæ ſciret de illius virtutibus, ſignificaret.

Baltaſaris Aluarez Inſpectoris ad Patres, Fratreſque Collegij Cæſarauguſtani Societatis IESV Epiſtola.

DAtæ à te litteræ Martij die decima, die quinta & vigeſima eiuſdem menſis redditæ mihi ſunt; quibus reſpondere diſtrictus negotijs ſuperſedi. Mihi quidem de Ximenij vita cognita ſunt perpauca, optima illa tamen & certa, quæ ex ipſo accepi; & digna porrò ſunt, quæ plurimi fiant, ab ijs maximè, in quibus ea deſiderantur, vt nos excitent tanto ab ijs interuallo diſiunctos.

Mi Pater, plurima eo in fratre, humanis quidem oculis tum ignoto, at Christo Domino notissimo item, atque carissimo effulgebant; alia erga Deum, erga seipsum alia, alia erga Moderatores, ac proximos.

Erga Deum, fiducia erat illi plurima, quam suis famulis esse vult Deus, de suaui ipsius ingenio, visceribusque tenerrimis, vti sacrarum litterarum oracula diuina nos docent. Hæc verò gubernaculum ipsi erat, roburque præcipuum inter labores, casusque aduersos, in quos fortè dabatur; illique se permittebat omnimodè; eodem habens loco euentus omnes tantos item, ac tantulos. Huius erat fiduciæ fons experientia, summaque in intima cum Deo consuetudine reuerentia, cum obsequela integerrima coniuncta ijs in rebus omnibus, quas Deum velle, interque gratas habere intelligeret. Eam in rem quædam ingenti cum æstimatione, ac sensu, tanquam præstantiora Dei beneficia, & miraculo similia memorabat; quale illud est, cum ex Ibero fluuio, in quo ei submersio imminebat, extractus à mulo est: Præposito ante à quo mittebatur ad conuehendam aquam admonito, imparem se fore, in turgidiore iam flumine, belluæ retinendæ: modicam ad offensionem, vectarium vnà, vectumque perditum iri. Et verò timori respondit euentus, belluâ se in amnem tumentissimum inferente: cumque actum iam de sese conspiceret, summâ Deum fiduciâ compellauit; Domine nisi tu opem attuleris, præsidium hîc aliunde non suppetit. Scis ipse meas impares vires à me Præposito indicatas, neque meâ nunc culpâ hoc à me discrimen adiri. Mira res! substitit extemplò mulus, inque pedes priores erectus, posterioribus regredi humano velut incessu cautè admodum occœpit: euasitque demum more tam præter consuetudinem nouo, vt rem ipse miraculi loco, vti dicebam, habuerit. Hæc verò quæ diuinæ in se benignitatis experimenta capiebat magna vi ipsius animū ab humanis auellebant, cumque Deo arctiùs coniungebant; à quo ad diuinam hanc coniunctionem peropportunæ submittebantur illi suppetiæ. Primò, cor vndique expeditum ac liberum: de quo ubinde aiebat, Cor ab omni re oportet expedias, adiungasque Deo; illicò enim diuinæ bonitatis munera capere præ largitate tanta non poteris. Deinde in aduersis iuxta, lætisque summa tranquillitas, & voluptas. Tertiò, sui animi in Deum intentio, quem ferè nunquam intueri desineret. Quartò, liquidissimæ, inter precandum, animi deliciæ; cui Deus indulserat, vt somni parcioris egeret, quò silentiorem noctem diù inter preces extraheret; vbi eius operâ neque Obedientia, neque proximi vtebantur. Etenim diurno fatigatus labore sub noctem, viribusque necessario

cibo

cibo refectis (operario enim fratri sumere, vt aiebat ipse, quod satis est cibi potusque, atque id maximè ex Obedientiæ præscripto, vt is imperatis ab ea possit defungi laboribus, proficit ad virtuté magis, quàm officit: iumento enim,ex eiusdem adagio,plaustrum agitur, non plaustro iumentum; quòd si hoc non alitur, agere plaustrum haud potest) tribus deinde aut quatuor horis somni capiebat satis: alterâque aut tertiâ post mediam noctem euigilans, eam reliquam precibus dabat, in subdiali turris ambulatione; in qua suadebat mihi vt inambularé, &,qualis illa foret,experimento cognoscerem. Immunem Deus illum à corporibus impedimentis effecerat; vt ne quid temporis in deponendis, sumendisque vestibus effluerct: in quibus adeò, Præpositorum annutu, dudum iam somnum capiebat; quod illi & opportunius erat ad preces, neque commodum minùs corporis viribus, & saluti. Sordibus, quæ vel illi molestiam facerent, vel tempus ad munditiam sibi inducédam eriperent, nullis erat obnoxius: quamobrem mundities erat illi, mentis & corporis, atque inde plurima quies & otium. Precum argumentum à pœnis Christi ducebat,ex aliquibus rhythmis quos cum sensu pietatis tenerrimo, lacrymisque sponte fluentibus depromebat. Hæc verò memorabat ipse,cum suum Moderatoribus animum ex Obedientiæ imperio, integrè, candidèque aperiebat: expositis ante alijs, quæ ipsi ruborem incuterent. Dignum memoratu illud est, quod aiebat. Quærenti ex ipso mihi, quam sibi materiam sumeret ad precandum, respondit: Pœnas Christi Domini meditor: nihil enim aliud occurrit mihi,quod perputem; in ijs quippe sunt omnia.

Erga se: Præter religiosæ vitæ communem cęteris rationem, contemptum sui cum animi cupiditatum & affectuum diuinæ voluntati aduersantium victoria coniungebat. Custodiebat id verò perquàm seriò: experimento namq; didicerat, vbi deesset his ipse nonnihil, deesse scilicet & ipsi Deum, consuetam sibi sportulam adimentem; quam humanis rebus omnibus præhaberet; & cuius ope diuini obsequij opera erectus moliretur & alacer; atque in aduersa omnia animi plenus & virium niteretur.

Itá se contemnebat, vt acerba grauiaque omnia ferre, ac deuorare ipse, eademque simul ab alijs auertere percuperet; quibus, quantum in ipso esset, omne obsequium exhibebat. Atque hoc de fonte principium illi fluxit vitæ, largissimusque thesaurus. Vanis hominum iudicijs, ac rumoribus maior erat. Vestes verò itá pauperes & obsoletas amabat, vt ex ijs homo despicatus, & nihili haberetur. Dictitabat porrò, Quid ad me, cur ab hominibus magni fiam? Quid indè in me boni pertineat? immò verò

ab ijs aliquo loco haberi me, meaque æstimari, impedimento atque incommodo fortasse foret; opi verò est in obliuione esse, omnium, & contemptu. Atqui, aiebat ipse, id accurrandum mihi est, quod proficere mihi, non officere possit.

Erga Præpositos: Insigni eos honore colebat; quippe quos synceris oculis, vices nimirum Dei gerentes intuebatur. Statueratque suum apud animum certissimò, ab eorum imperatis maximè licet arduis, quicquid obuersaretur contra, nullâ vnquam causâ discedere: aiebatque; Hos ego Præpositos omninò feram in oculis, vt vt me coërceant, atque, vt ipsius dicam verbis, gratis me velint exercitum. Quam in rem aliquid mihi de quopiam narrauit arcanum cognitum ipsi ante aliquot annos: in quo ipsius quidem sententiâ, modum Præpositus exibat, eum hominem curis tristissimis obruens, cuius existimationem altè scilicet vulneraret. At ille pro virili egit, vsus nempe tum opportunitate rei, quam Deo litauit, tum & silentio, ne, quo nomine ab eo tam asperè acciperetur, posset intelligi. Quanquam verò vti rem gestam ille memorabat, minus temperatè videbatur egisse Præpositus, qui fidem illi purganti sese negasset: eò tamen, quia ille pro veritatis studio ducebatur, hoc sui periculum & ipse ad incrementum retulit tum honoris erga Obedientiã,tum processus sui. Hæc enim huic cælestium bonorum, præstantisque virtutis origo fuit, emori sponte sibi, vt Deo viueret, vsurâ temporis ac loci tam boni. Quærenti etiam ex eo mihi, quonam loco ipsius cum Deo res essent, respondit;antequam totum obedientiæ sese permitteret, inquietè se quidem semper habuisse, nec benè: postquam verò omnimodam statuit obsequelam, & præstitit, benè sibi, ac beatè sic esse, vt nihil supra. Precandi tempore alijs vacare ministerijs à Præpositis iuberetur, nihil se pensi habere preces omittere, dum pareret: immò perinde sibi ex animo esse plaustrum agere, atque orare: eòque magis, quòd non eapropter animum auocabat à precibus: interea enim loci sacros de Christi Domini pœnis rhythmos recitabat, meditabatur animo, & Dominicam precationem, eiusque mysteria recolebat.

Erga proximos: Ipsorum salutem, Deique in omnibus notionem, eiusque diuinæ legis custodiam ardentissimè sitiebat. Hinc illud ipsius studium adiungendi sese omnibus, in quos obiret, operarijs: eisque dans prima, postrema sibi reseruans, de diuinis rebus sermonem cum ijs inferebat, præmeditatus diligenter ante, quæ diceret. Eâque illum scientiâ, pro ipsius modulo, tam dulci cum lenitate Deus imbuerat; vt quibuscum agebat, eorum ferè lucraretur animos, & vitam immutaret. Deque his quædam mihi

mihi præcipua memorabat, quæ ipsius dictis fidem certè optimam adstruebant. Namque alios quidem obiurgabat, alios verò mores iubebat sumere Christianos; fidenterque mihi affirmauit; Hactenus de Deo loqui cum omnibus liberè non sum ausus, sed cum aliquorum delectu, percautè: atquî de eo deinceps loquar profectò cum omnibus. Quę cum diceret, lacrymæ illi ab sensu pietatis defluebant. Sermo igitur de diuinis rebus illi perpetuus; quem iam non consilio quidem, sed vsu susciperet: quod ex hoc Collegio perplurimi ad prædium itantes, omni exceptione maiores affirmant. Cuius ipse animi candorem, atque ingenuitatem, euentusque rerum probos intuitus, inducere animum haud potui, vt ab hisce sermonibus inferendis illum abstinere iuberem; cùm ea de re mecum seriò perputassem; eiusque inhibendi consilium saltem aliquod ante animo agitassem. Plurima imbutus erat Cęli luce, in habitis ruri, Obedientiæ iussu, allocutionibus apparente. His verò omnibus; & ijs, quæ commemorata fuere superiùs, locuples testimonium dicunt laudatissimus ipsius vitæ exitus, indicatusque illi postremus mortalitatis suæ dies; ab eodem ipso, octiduo ante prænunciatus; aliaque in supremis ijs pręcipua vobis istic abundè comperta. Superest nunc, vt quando pro iussu tuo, communique solatio, ea vobis descripta misi, quæ potui meminisse, tu idem mihi reponas, ijs ad me transmissis, quæ vestrâ fuerint operâ studioque collecta; eiusdem præterea de Christi pœnis rhythmos, quos in agro canebat, & meditabatur in plaustro: indicatis etiam ipsius solo natali, annisque religiosæ vitæ, ac ætatis: quo enim die decessit, id noui. Hunc nobis diem Deus annuat æquè felicem: tuoque ipse viuat in animo, amorque tuus idem sit, & solatium. Amen. Villagartiæ Kal. Maij 1579. Hæc de Ioannis Ximenij virtutibus conscripsit Præpositus ipsius, & Parens optimus; quibus obiter sui facultatem & vim animi ostendit ad eorum quibus ipse præesset virtutem, ac spiritum dignoscendum; qui suas nimirum oues boni Pastoris instar cognosceret.

CAPVT QVADRAGESIMVM QVINTVM.

De eodem Ximenio alia quædam notatu digna: & nonnulla præcipuè cum Baltasare acta.

PRæter ea, quæ superioribus litteris commemorata sunt à Baltasare, è re fuerit alia quædam eiusdem ore affirmata, ac fide

non

non dubitanda rescita de Ximenij virtute, ac sanctimonia proferre: qui nempe rationis ductum suopte semper genio secutus, ab religiosæ vitæ complexu profecit in eo maximè, seque ipse perfecit: illo vtique sensu, quem supra laudauimus, trium eorum, qui nobis præsunt, sequendi ductum, & dicta, Dei, Præpositorum, & Rationis: quâ viâ ingentes in omni virtute processus effecit.

Ab ipso igitur statim initio, magna vi se ipse insectatus est, naturæque appetitionibus aduersatus: eius impetus omnes domans, & quicquid illa respueret, aut horreret, animosè peruincens. Collegium ex agro cum peteret, quicquam eò comportans, præter ipsum otium tunc, studiumque precandi, interrogabat se ipse, ac respondebat, hoc ferè modo: Vnde, & quò, Ximeni? ab agro ad Collegium quieturus ibi tantisper. Quid si aduentanti tibi hoc aut illud operis imperetur? minimè verò imperabitur: fatigatus enim exciperis. Quod si nihilò secius iubearis? parebo scilicet perlibenter. Statimque, Obsecro Domine, aiebat, fac iubeant. Acciditque sæpius, Deo ipsius votis annuente, vt fesso à via id ipsum illi opus iniungerent, de quo secum ipse in itinere disceptarat. Præstabat id verò summâ, quàm poterat, alacritate, ac studio; præsertim verò si aut fimo purgandum esset stabulum, aut latrinæ mũdandæ: aut munera quædam ex despicatissimis obeunda; quæ, vt sibi aduersaretur, amabat impensitis: quin etiam idem ipse, festis aliquando diebus, vt otium coquo daret, suam operam culinæ ministerio addicebat. Inutilem humum à Collegio ad flumen semel exportanti illud in mentem venit, graue sibi aliquatenus fore, si, exutâ tunicâ, interioribus tantùm breuibus opertus incederet. Verùm id ipsi cùm extra domesticos parietes sine venia non liceret, consilium inijt, Rectori eo in amiculo occurrendi; à quo cum induere tunicam minimè iussus esset, id ipsi loco veniæ visum est satis: eoque habitu diem illum totum vehem egit ad flumen. Has, aliasque huiusmodi occasiones, vbi darent sese, quibus saluâ obedientiâ triumphare se posset, omnes ad vnam auidè scilicet arripiebat.

§. I.

IIs verò cum maximè lætabatur, quas ipsi Obedientia deferret. Dominico die, horâ antemeridianâ septimâ, incuriæ cuiuspiam nomine cibo illum abstinere iussit Rector. Eũdem mox Administer misit in prædium: neque cibatum secum vllum Ximenius abstulit. Sub noctem deinde reuertit esuriens; atque ante diuinissimam Eucharistiam effusus in preces, votum ibi eius imperati facien-

ciendi, cibique, nisi cum imperio, non sumendi nuncupauit. Quanquam verò cœnæ datum est signum, suo ipse in cubiculo substitit, donec diuinæ prouidentiæ consilio postremus omnium cœnatum Rector iuit; rogauitque, an desideratus quisquam esset in cœna: Ximenium dixere, profectum in prædium: iussit illum acciri, rogauitque mox, cur abfuisset à cœna: At ille, quia tu, Pater, inquit, cibo abstinere me iusseras: ipse verò, probatâ obsequelâ, iussit illum cœnare. Alio rursum die ab agro necessaria operarijs prouisurus aduenien, sui aduentus causam Moderatori indicauit. Hic verò, hominis exercendi gratiâ, obsurdescere scilicet, & obmutescere. Ximenius, cui festinato opus erat, iterùm ac tertiò institit; & tamen illum Rector horam integram, nullo dato responso, demoratus est. Tum Ximenius ratus se morosiorem fuisse, quorsum aduenerat, toties repetito, Deo pollicitus est, si locus aliàs idem ferret, habiturum se satis, semel tantùm, quo facto esset opus, exponere; idque deinde totum Moderatori permittere. Postridie reuersus ad eandem rem est, aitque, Adsum vt mihi accuranda suppedites. Atque in his verbis conticuit, tres horas præstolatus responsum, preces interim adhibens affixæ ibi Christi è cruce pendentis imagini: donec Rector illius animum tolerantem iuxta, ac securum intuitus, ea, quæ præsentem in rem posceret, illum iussit accipere. Præcipua eidem etiam in hunc modũ plurima euenere; quale illud est suis à Baltasare litteris commendatum, de aqua ex Ibero ab Ioanne conuecta; quod habitum ab vniuersis est loco miraculi: idque sensu ille tenerrimo memorabat, diuinæ prouidentiæ suauitatem intelligens, præsentiorem ijs, quos, obsequendi causâ, confisos Deo grauiores premunt angustiæ. Atque, vt appareat quanti hæc obediendi ratio à Deo fiat, illud hoc loco meminero, quod ipsi euenit in Templo ante Deiparæ effigiem oranti, rogantique illam enixè, vt præstò sibi esset, seque ità dirigeret, vt salutis viam quàm exploratam iniret. Dicentem sibi vocem audijt; Iter hoc, Ximeni, obedientiæ cœcæ, quod es ingressus, insiste: sic enim tutò ingrederis. Ab hac voce immutatum se maximè, melioremque in hac virtute sensit effectum. Cumque ab eo Præpositi rationem vitæ reposcerent, quærerentque, num alacri, firmoque esset ad virtutis perfectæ studium animo; Ab ea, dicebat, nocte, qua me Regina Cælitum allocuta est, nihil est aliud quod antiquiùs, aut cupidiùs exoptem. Hęc, relatu Baltasaris, indicata sunt nobis.

Iam verò de illius erga Paupertatem amore quid dicam? qui quæ domi essent deterrima, in cibatu, amictu, rebusque ceteris, ea sibi præsumebat: capiebatq; somnum sæpe incubans stramen-

tis in ſtabulo, eo nimirum obtentu, vt iumento pabulum ſuppeditaret. Pluris tamen paupertatem ſpiritus faciebat; quæ vbi deſit, altera minus prodeſt. Socius illi ſemel, quàm obtritis, inquit, mi frater, veſtibus amiciris! & quàm benè paupertatem colis! Cui Ximenius, non ſunt, ait, panni paupertas. Ecquid igitur, ait ille, paupertas eſt? Paupertas, Ximenius inquit, eſt, in omnium rerum defectu, animi corporiſque pax & tranquillitas. Vbi enim quis deterioribus veſtibus, calceis, ac cibis aſſueuerit, ſic, vt quęcumque accipiat, ſatis illi ſuperque ſint, ea corporis animique pax eſt: qua certè caret is, qui datis, quanquam bonis, minimè acquieſcit; quin immò querelas & murmura in dantem ſerit, quòd ea ipſi minus arrideant. Id ipſum aliàs expreſſiùs multò alteri de paupertate, quid ea ſit, quærenti explicuit, hoc exemplo. Si quiſquam, inquit, hortum fructuoſis elegantibuſque arboribus conſeuiſſet; eoque ab ſe diligentiſſimè culto, ac directis in quincuncem ordinibus, euulſas, euerſaſque arbores omnes craſtino inueniret, neque propterea perturbaretur animo, excideretque illi tranquillitas, hoc vtique paupertatis ſpiritûs argumentum eſſet. Paupertas ſpiritus eſt, omnibus, quę Deus ipſe non ſint, ſpoliari: quòd ſi quippiam amat quiſquam, aut horret, præterquàm Deo, ipſius vnius causâ, obſequi, aut eundem ſummè bonum ab aliquo violari, nequaquam illa germana ſpiritus paupertas eſt.

Præcelſam hanc Philoſophiam Ximenius non à libris hauſerat, ſed à precibus, eo imbutus diuino Spiritu, qui ſine argumentorum ſtrepitu veras docet, egregiaſque ſententias. Habebat has verò perfrequentes: de Deo enim, diuiniſque rebus perbenè & quàm libentiſſimè cum audiendi cupidis loquebatur. Cùm ruri, cui nomen eſt IESV de monte, Baltaſar Inſpector vnà cum Prouinciali verſaretur, iuſſit illum ſuper menſam, lectionis loco, in caput aliquod Thomæ de Kempis concionari; vel de eodem argumento dicere quæ ſentiret. Is verò tanto cum conſenſu rationum, ac ſpiritus ardore dixit, vt cum auditores virtute tanta præcellerent, fratris tamen indocti ſanctam illam ſapientiam fuerint demirati. Neque à menſa ſine lachrymis abiere: quod & Baltaſar in ipſo prędij aditu prędixerat; eo die lachrymas in menſa non defore. Narrantem audiui, Baltaſarem ne, an alium, non memini, inter alia aliquid ab ipſo dictum ibi fuiſſe, conſentaneum ijs maximè, qui doctrina ſunt imbuti, non ſpiritu. Plauſtrum, inquit, offendi nuper onuſtum hordeo, duobus actum mulis, ipſo quidem aſpectu pręſtantibus, validiſque, immerſum, infixumque ſic cœno, vt progredi vltra non poſſet; donec ipſo me, alijſque

mecum viatoribus rotas attollentibus, plaustrario interim conto & clamoribus perurgente, eo ex luto emersum est denique. Percontatus ex eo sum, quid causæ foret, cur tantæ bellnæ ac tam robustæ plaustrum ex eo volutabro extrahere minimè potuerant; illud esse, inquit, in causa, quòd imbecilles essent viribus, ac perparcè vescerentur. At enim cur, inquam, illæ non vescuntur? non ob hordei, inquit ille, penuriam aut defectum, hoc enim abundat in plaustro, sed quòd iis id nemo suppeditat. Hic verò, Ximenius inquit, ea meæ menti species obiecta est de præstantibus litteraturæ viris, sacris oratoribus, & magistris, qui hærere assolent in via perfectæ virtutis, neque se loco tantulum commouent, quòd imbecilles sunt, & infirmi: non eò certè, quod spirituali careant alimento; plaustrum enim mentis cognitionibus rerum cælestium confertissimum est, quas alijs indicant, & exponunt; sed quod ijs minimè vescuntur; neque eas ad se referunt meditando, vt suos ipsi animos excitent, suamque vitam seriò ac diligenter emendent. Id verò tanto effatus est spiritu, vt cùm hoc simile risum mouere videretur initio, seriam in rem deinde traductum, ex oculis sodalium lacrymas expresserit.

§. II.

ALijs etiam pietatis insignibus, ardoris ac sanctimoniæ argumentis Ximenius laudabatur. Lustralem aquam piè adeò colebat, vt suam in extruendo Templo operam nauans, sarcinam licet vectans, quoties ad eius concham accederet, eâ sese, cum mora, per quam reuerenter aspergeret. Vbi verò signum edebatur Salutationis Angelicæ, occupatus licet in opere, vel onustus, omnia dimittebat extemplò, genuaque flectebat ad preces. Hæc verò pietatis argumenta, quàm sibi grata forent, voluit Deus indicare, miraculo, in ipsa Templi Cæsaraugustani structura. Eo enim saxum ingens quadratum, alio secum connitente fratre, per decliuem asserem sursum orbiculatim agente, cum lapis fulcro, angulari parte obuersus incumberet, salutandæ Virginis editum signum est. Ximenius salutationem recitaturus saxum dimisit, sociusque (Dominicus Caluetus is erat) eius exemplo permotus, manum amouet à lapide; illum ratus deuolutum iri præcipitem: at lapis tantus licet, vt sursum à duobus agi vix posset, tam decliui, vti dicebam in assere, suo stetit in angulo. Salutatione dicta, repetunt lapidem; vnoque impetu constitutum in locum propellunt, non sine plurima ipsorum, ob rem tunc gestam, admiratione. Diuino ferculo ruri refectus, vt qui parietibus contineri non

posset, apertum in agrum eijciebat aliquando sese, vt suum ibi animum liberiùs egereret, suspirijsque & iactis in cęlum vocibus recrearet.

Collegium ex agro petens vnum Landulphi Carthusiani librum, quem in via legeret, secum ferebat. Domi verò tribus ex eo lineis quatuorue perlectis, Eamus nunc, aiebat, meditatum: ouicula enim, nisi ruminet, haud pinguescit. Paucis delectabatur libris. Quandiù in Societate vixit, vixit autem annos septemdecim, duos duntaxat libros euoluit: Epistolas D. Catharinæ Senensis alterum, alterum Christi vitam à Carthusiano conscriptam. Baltasar vno, ante ipsius suprema, mense, legendum illi tradidit Thomam de Kempis de Contemptu Mundi, postquàm illum Ximenius, imitando, integra in sese fide transcripserat.

Studiosissimus animarum fuit, culparum pœnas igne piaculari luentium; quibus refrigerandis alleuandisque, permulta piorum suorum operum earum in suffragia conferebat; diuinæ præsertim Eucharistiæ ferculum, quod suopte nomine cæteris omnibus antecellit. Præter Dominicos dies, quibus ij, qui sacris non operantur, ex præscripto legum, Eucharistiam sumunt, eiusdem frequentandi mysterij cæteris etiam festis diebus veniam petere consueuit: quam tamen antequam deposceret, Deum ea super re ante diuinã ipsam Frugem consulebát; aiebatque secum: dubitationem hanc omnem eximet mihi Præpositus; si annuat, renuatue, argumentũ id erit, Deo probari, vel contra. Vt vt res tamen esset, sacrã Synaxim eorum suffragio animorũ deferebat, qui opis cum maximè indigerent; quo studio plurimum illi huiusce pietatis accessit. Quo die Cælites omnes solemni honore coluntur, ante Virginis Conceptæ imaginem precabatur; tactusque religione tunc est, minus se studiosum esse animorum iusta Deo piacula exsoluentium: hic verò vocem accepit, sibi clarè disertèque dicentem; Ximeni, memento animarum, quæ igne purgatorio cruciantur. Huic ille voci respondit alacriter, Equidem Domine meminero: atque ex eo tunc, ad vltimum vitæ diem, octo quibus superuixit annis, extima omnia, intimaque seù voluntariæ afflictationis, seù pietatis opera in suffragia detulit earum animarum.

In peculiaribus, quæ obibat muneribus, præcipua ex ijs etiam animo perpẽdebat secum. Palmites semel cum socio fratre legebat in vinea, sedulo illo quidem ac propero. Ratus ipse hunc minus piè, sanctèque eo labore defungi, monuit id illum scilicet, at submisse. Is verò Ximenij lentitudini, naturâ nempe pituitosi celeritatem suam anteferens, Et meus, inquit, frater, quo pietatis sensu tam lentè laborat? Cùm ascendo, respondit, Deiparam

Vir-

Virgiuem, Sponsumque ipsius Sanctissimum Iosephum in Aegyptum sequor; ac meam ijs operam, eâ vt velint vti, polliceor. Cùm deinde descendo, eosdem subsequor Nazareth. Atque in hunc modum pia semper meditabatur, rebus, quas obibat, accommoda.

Aliud etiam memoratu dignissimum Baltasari accidit cum Ximenio, occasione Laici alterius in eo colendo rure suam cum Ximenio operam conferentis. Adijt hic Inspectorem, &, aliquo liuoris sensu, quo in ijs, quæ ipsi tractant, probi licet, afflari quandoque solent, Plaustrum, inquit, à Ximenio agi non expedit: animo enim quandoque fertur à sensibus tam abstracto, vt, quà plaustrum ducat, planè non videat: quamobrem eius aliquando rotam super puellam egit. Id verò muneris in se recepturum esse se dixit, rationibus alijs ad id Visitatori persuadendum allegatis. Iussit Visitator acciri Ximenium: ecquid actum ea de puella esset, percontatus ex eo est. Atque hic, quemadmodum, inquit, currus in eam obuenerit, eandemque rota compresserit, equidem ignoro: Illam ego Deo confestim commendaui, & IESVS, inquam, tibi adsit: ea verò tunc certè euasit incolumis. Eam rem ad prodigium pertinere sensit Inspector. Mox fratri alteri accersito, Curam, inquit, vti rogabas, in te plaustri recipito; sed ab ea scito innoxium remoueri Ximenium: abest enim culpa ab ijs, quæ tu memorabas. Veniam ab eo pete, ac time Deum vltorem, ne quid infaustum tibi, eius permissu, contingat. Paulò post, quàm à Prouincia Visitator abierat, anno ferè, aut non multo plus tẽpore elapso, fratrẽ hunc plaustrum agere ad salem conuehendũ oportuit. In reditu, mediâ prope Cæsaraugustâ leucâ, non procul ab D. Amberti Cœnobio, sub lucis occasum, mulus improbè & cum contumacia in cliuum egit sese, amplâ viâ licet & commodâ; euertitque plaustrum, & solo fratrem abiecit, extemplo exanimatũ à casu; cui, extincto nempe iam die, nemo fuit qui posset ire suppetias. Sub lucis deinde ortum agrestes adfuere, qui dicerent, eum ab ipsis, nullo accepto vulnere inuentum exanimem: vt ijs nempe, quæ Visitator prædixerat, veritas responderet. Credibile verò admodum est, eam non nisi temporariam fuisse pœnam: is enim frater sacræ confessionis, & communionis mysteria pridie, quàm extingueretur, obierat; religiosamque vitam cum pietate coniunxerat. Neque porrò leuioribus culpis aliquos eiusmodi perstringi mirandum est, quæ igne deinde purgatorio eluuntur.

Denique ab lustratione Prouinciæ cum abiret, spiritum Baltasar Prophetiæ, quo imbutus erat, ostendit. Etenim Cæsaraugustâ

gustâ discedens, disertè Patres admonuit, &, Inuigilate, inquit Ximenio, breui namque decedet. Hoc ipso die ad Collegium ille ab agro concessit ægrotus: neque se sibi ab lecto vnquam deinde restituit. Febri consumptus est vehementi, raro patientiæ, vt suadere facilè memorata possunt, exemplo. Intelligens enim modicum sibi superesse iam tempus augendi merita, opesque nullo vnquam tempore perituras, rerum suarum satagebat impensiùs. Vacabat sibi tàm intimè, animumque cum Deo ita coniunxerat, vt neutiquam distrahi in rem aliam videretur: ea, quæ illi accidebant à morbo, non aduersantium, sed incitantium, atque opitulantium vicibus fungebantur. Nunquam, nisi interrogatus, locutus est, quòd si de diuinis rebus interrogatio fuerat, altissimè scilicet respondebat. Quærenti ex eo Prouinciali Petro Villaluio, Num cælestis patriæ desiderio teneretur; Pater, inquit, colamus nos pietatem, Deoque, vti par est, obsequamur; postmittamus deinde cætera, eaque Deo integrè permittamus: is enim summè bonus ac iustus gratiam, vt meritus est, cuique reponet: adiecitque, cælestis patriæ desiderium posse ex amore sui proficisci. Cibum illi semel Valetudinario administrante, aderat ex fratribus alter; isque, Ximeni frater, inquit, mecum siles? cur te non exhilaras? At ille, Mi frater, inquit, fessum nempe jumentum est, paratumque discessui post octo dies. Secuta verò res est, tertia enim illa erat feria; eodemque insequentis hebdomadæ die ex hac mortalitate migrauit. Sextâ verò, quæ illius obitum antecessit, feriâ, hic idem socius apud illum excubans, laborantem intuitus, rogauit, quid illi esset incommodi; nihil, Ximenius inquit: Certè quidem, frater, ait, benè mihi, ac suauiter est, quàm cui maximè. Dominico deinde die imminere illi videbantur extrema: aderant proinde, eoque in exitu ferebant opem Prouincialis Præpositus, alijque Patres, rati eum ante vesperam decessurum. Ex ijs nonnemo, An non, inquit, frater, opportunum iam esset sacram cædis Dominicæ historiam recitare? Maturum, inquit, nondum est: admonebo ipse cum fuerit. Eiq; subijcienti, fructuosius id fore tunc, integris ipsi sensibus, quibus cariturus mox esset: Vtique, Pater, integri erunt, inquit. Postera secundæ feriæ nocte apud illum hic idem Pater piis inuigilauit excubijs: cui Ximenius multa iam nocte, nunc, Pater, inquit tempus est cædis Dominicæ prælegendæ. Ille domesticos aliquot coëgit; eâq; recitatâ diuinissimâ historiâ, dimidio ferè post mediam noctem quadrante, tertiâ ineunte iam feriâ, spiritum Ximenius Deo reddidit, pacatè adeò, suauiter, & quietè, vt vix ij qui aderant, nisi postquam migrauerat, senserint.

Com-

Complures Patrum ad eius pedes accidêre; eosque summo cum honore, atque sanctimoniæ illius existimatione deosculati sunt. Momento ipso temporis, quo animam efflauit, supra Ximenij cubiculum, grauiorum Patrum aliquis dormiebat. Is nonnihil exterritus ab somno excitatus est; suoque in cubiculo lucem vidit ingentem, quæ videri mox desijt. Obijt Februarij die 24. Salutis anno 1579. Atque ex eo tunc tempore in hodiernum diem, sanctissimi huius fratris, exempli nimirum non Laicis dumtaxat, sed & cæteris etiam viris religiosis absolutissimæ perfectionis, memoria recens, suauisque seruatur: eodemque ipso felicissimi sui obitus die, seù paulò post, videndum obtulit sese Baltasari, in difficultate quadam itineris, vti capite insequenti exponam.

CAPVT QVADRAGESIMVM SEXTVM.

Præpositus dicitur Peruanæ Prouinciæ. Eidem Villagartiam reuertenti prodigiosum aliquid accidit.

INspectione Aragoniæ iam extremâ, nauemque ingressus, Maioricam in Insulam, quæ ad eam Prouinciam pertinet, traiecturus, acceptus est à mari tàm iniquè, vt vsu sensuum destitutus proximè à supremis abfuerit. Id verò temporis alio illum nuncio tentare Deus voluit, quo Præpositum se Peruanæ Prouinciæ dictum accepit, Baltasaris Pinnij postulatu, qui cum eius Prouinciæ procuratione Romam aduenerat; eamque rem cum Societatis nostræ Generali transegerat: ratus ab eius virtute ac studio, Sociorum ardorem, opusque expeditionis Indicæ ad infideles Christo adiungendos promotum iri. Hoc ille imperium multa cum animi serenitate, suæque cum diuina voluntate consensu excepit: expertusque licet, quàm malè sibi esset ab iactatione maris, vrgerique se magis eâ, qua vexabatur, vrinæ difficultate sentiens, neque scilicet repugnauit, neque conquestus est, quòd, de tam longo in plagas adeò remotas itinere antequam decerneretur, in consilium adhibitus ipse non fuerat: verùm rem omnem diuini Numinis prouidentiæ nos, ac nostra per Præpositos regenti permisit: vti ex litteris apparebit eidem Pinnio Cæsaraugustæ datis, hoc pacto. *Si ex Deo consilium hoc est, non poterit* Act. 5. 39.
" *dissolui*. Exitus acta probabit: quòd si à Deo vocor ad Indos,
" apud me non minus valebit certè vocatio, quòd de illa expedi-
" tione non nisi iam constitutâ significatum est mihi. At enim cæ-
" lestis curiæ mos, ac tenor hic est. Cum ex Aegypto abire popu-

„ lum suum iussit Deus, eum certè consilium hoc latere noluit:
„ quod tamē non ipsi, sed Moysi proximè indicauit: *Notas fecit vias*
Ps. 102.7. „ *suas Moysi*: perque hunc iis: *Et filijs Israel voluntates suas*. Erat
Ibid. „ quod de me à mari pessimè habito exponerem: sed si momen-
„ tum in eo esse videbitur, expones ipse: quòd si, audita re, ea-
1.Reg. 16. 19. „ dem adhuc Generali mens erit, *Odoretur sacrificium*. Tuos terrâ
„ marique labores ex altera quidem parte commiseror, sed &
„ ex altera ijsdem inuideo. Idem qui te confirmat, poterit vires
„ & mihi sufficere. Has ille in te humanas item, atque diuinas
„ amplificet; idemque tua lux & vita esto. Amen. Hæc Baltasar:
„ & quantum in ipso fuit, perstitit vsque, *fortitudinem suam*, vt Isaias ait, *in silentio & spe collocans*; non sine multa eorum admiratione, qui norant eum scilicet, atq; ab ipsius discessu maximè angebantur. Solatium verò adhibens Ioannæ Velasquiæ Gandiæ Duci eam ob rem mœrentissimæ, Diù iam, Baltasar, inquit, Domina, silentium in ijs, quæ ad me pertinent, seruo; precibus interim vaco prolixiùs; resque omnes Deo, eiusque nomine, Præpositis permitto. Sed diuini consilio Numinis factum est vt alij pro Baltasare loquerentur interpretes; Magdalena præsertim Vlloia, domus Villagartiensis Fundatrix, cui ille præerat, cum in Aragoniam profectus est. Hæc à Generali Præposito tam enixè efflagitauit, vt ad animi sui solatium relinqueretur ibi Baltasar, vt integrum non fuerit postulanti non annuere: assentientibus etiam rationibus, quibus, illum retinendum hic esse, alij ex huius Prouinciæ Patribus confirmabant.

Non tamen hoc loco illud omittam expendere, quàm profunda & arcana sint Dei consilia; quàmque tutum sit diuinæ illius prouidentiæ omninò sese permittere. Intra enim hunc annum ea, quam à nauigatione metuebat in aquis, in terris illum mors sustulit. Quòd si Baltasar illi repugnasset imperio, id à nobis adscriptum pœnæ fuisset, quòd ad eundem, quem fugerat, scopulum impegisset; & merito caruisset, & contentionis suæ stimulatus conscientiâ decessisset. At enim illi, qui Deo, prouidoque ipsius Numini sese vsque permiserat, in compendium omnia vertêre: meritis nempe aucto à paratâ voluntate in Indias demigrãdi: obitâque morte ibi loci, ac temporis, vbi eam Deus illi decrêrat, pacatè admodum & quietè.

Sed, vt historiam repetamus, Inspectionem Aragoniæ tanta cum vniuersæ Prouinciæ approbatione Baltasar obiuit, vt eius discessus omnium animos perculerit: eumque sibi renunciandum primò Prouincialem singulari studio postularint. Iussisque valere omnibus; ac Prouinciali Petro Villaluio, à quo ad Agredam vsque

Vil-

Villam in Castellæ finibus comitatus est, multis cum lacrymis dimisso, iter suo cum socio prosecutus est, patrioque oppido Cerverâ traiecit. Paucos ibi dies commoratus discessit Burgos: quo in itinere, vt in cæteris, diuinæ paternæque prouidentiæ periculum sumpsit erga se,suosq; comites; in quibus germanus ipsius erat, vir egregius, Gaspar Aluarez. Atque is pedite cum famulo viæ se dedit, constituto apud se Burgos vsque Baltasarem comitari. Importuna cum primis erat imbribus, niuibusque tempestas: viæ verò per aliqua camporum æquora erant eiusmodi, vt lacunæ veriùs viderentur esse, quàm viæ. Dies verò postremus molestissimus fuit omnium, nam & pluuius continenter fuit. Horâ prandij aduecti ad diuersorium sunt, vbi aleatores erant sacrosanctumDei nomen ad verba,inter ludẽdum,singula impiè violantes. Infimis precibus vir religiosissimus obsecrauit homines peramanter, abstinerent ab ijs in Deum contumelijs: at illi: qui nimirum sese in ludum immerserant, neglexere monentem, quâ Dei offensâ adeò cruciatus est animo Baltasar,vt moræ impatiens, dum mulæ reficerentur, instrueretur que mensa, per se ipse vectariam belluam sibi strauerit, in eamque statim ascenderit, eo exemplo alijs ad subsequendum impulsis. Aliquot prouecti sunt leucis, effundentibus sese continuò imbribibus intemperantissimè; nullâ vel loci copiâ, vel hominis à quo doceri possent, aut duci. Baltasar, studio precandi commodiùs, alios ad iactum ferè lapidis antecedebat. Verùm in æquor aduectus,stagnantibus adeò aquis, vt fluuij speciem præseferrent, sepulta nempe iam luce, cùm, quà tenderet non appareret, demoratus est cæteros: at ij illuc aduecti hæsitabant vsque, ingentibus sese vndique lacunis septos intuiti. Hortatus eos Baltasar est, Deo se, coniectâ penitus in eum fiduciâ, comendarent; affore ipsum, ac lucem ducemque daturum. Consensere in preces vnà omnes; post aliquantulam deinde moram, clamore aliquoties edito, si fortè agrestium,aut viatorum quisquam audiret, quem viæ indicem habere possent ac ducem, nullo suppetente, adfuit Deus in tempore. Equitem enim conspexere cãdido inuectũ equo:isq; se ipsis adiungens,quò tenderent, percontatus est: & respondentibus, Burgos, perhumaniter inquit, Vnà igitur eò ibimus. Subsequimini me guarum viæ; & quà ingressus ipse fuero, ingredi & vos tutò poteritis. Prægrediebatur is equo in albo, cuius à candore dispici vel in nocte dux posset. In iumentum fortè obuenerunt, sub lignorum sarcina constratum in via, puerumque videre mœrentissimum, opem illi, quam poterat, afferentem. Ille verò equitans, nec resistens, tactum modò iumentum erexit extemplò. Hæsitabant subinde sequentes, quip-

pe qui medias in aquas, nullo apparente viæ vestigio, duci sese conspicerent. Sequebantur tamen, nam & ipsos ille confirmabat, animisque continenter additis eximebat à metu. Iis superatis paludibus, adiunxit sese Baltasari: facilique ac iucunda inter sese consuetudine viâ plurimâ cæteros anteibant. Baltasaris germanus eum gradu citatiore inuehi, peditem verò famulum à difficultatibus sequendo imparem esse conspiciens, inclamauit illi; festinaret minus, peditemque seruum, ac cæteros etiam sequentes difficillimè miseraretur. Vix ea, cum sibi famuloque equitem candido in equo vidit adesse: quanquam is disiunctus admodum ab ipsis erat, vt diximus; famulumque manu prehensum equo facilè iuxta, atque festucam imposuit: suæque se Baltasaris consuetudini confestim, vt antea, reddidit; ad horam vsque noctis decimam, qua inuecti sunt Burgos. Ducem ab se voluit hic expeditum dimittere Baltasar, vt agenda Burgis ipse cum germano trãsigeret: abnuit ille, comitem se ipsi fore ad vsque ianuam, quã ingessuri erant domum, affirmans; illinc protinus abiturum. Præiuit adeò, conuecto secum famulo: iamque ad ostium aduectus descendere seruum iussit, eiusque manibus tintinnabuli funiculum indidit ad pulsandum: statimque videri desijt, nullâ, quã ingressus esset, apparente viâ, famulo licet id oculis diligentissimis obseruante. Neque verò subsequentes proximè id ipsi cognoscere potuere: quod & Baltasaris germanus animaduertit; parabat enim homini beneficij gratiam; deque eo ex fratre quærẽti, Abijt, Baltasar inquit; est enim illi, quod alibi agat. Atque hic Collegium Baltasar ingressus est; germanus verò Ioannis Moralis Salsedij Iurisperiti affinis sui domum contulit sese; vbi, quæ acta erant, cum prodigij nomine narrauit, eum, quem Ducem habuerant, non nisi è beatarum mentium cœtu aliquem fuisse affirmans: alius enim præter ipsum nemo, peritissimus licet viæ, tot per lacunas ipsos tutò duxisset: neque tam distans famulo sese tam illicò adiunxisset: neque in equum tam facilè eundem nulla ope alterius sustulisset: neque, vti desijt, videri tam subitò desijsset. Idem famulus, idem Ioannes Nauarrus, laicus Baltasaris socius affirmabant; isque secretò innuit, equitem illum equo albo inuectum, Ioannem Ximenium fuisse, de quo superiore capite sermo fuit: cuius obitus in hoc tempus inciderat: fuisse autem ducem Baltasari missum à Deo; eique dixisse, Quia honorem mihi habuisti, dum viuerem, missus à Deo sum, vt te ex hoc periculo eriperem. Quanquam verò vir sanctissimus, pro sui animi demissione, prodigium hoc occulere, atque eleuare studebat, id abolere tamen, aut infirmare non potuit: quòd cæteri tres tamen verè, con-

stan-

ſtanterque aſſeuerabant. Credibile verò admodum eſt, Dei nutu factum eſſe, vt hanc vicem tot collatis in ſe à Baltaſare beneficijs feliciſſimus frater ille reponeret; ſuis cum illo cæleſtibus delicijs eâ prolixâ per iter conſuetudine communicatis; ſociiſq; vnà ab eo, quod memorauimus, periculo vindicatis.

Burgis dies commoratus eſt perpaucos, animos ijs adiungens, quos ad perfectionem incenderat: ſeque actutum contulit ad gratiſſimum ſibi Villagartiæ ſeceſſum, vt quiete ibi commoda largiter frueretur: vbi & annos vitæ omnes, licuiſſet modò, cupidiſſimè exegiſſet.

CAPVT QVADRAGESIMVM SEPTIMVM.

Patrum inſtitutio, qui, poſt exacta ſtudia, Villagartiæ anno tertio probabantur. Quædam ibi geſta memoratu digniſſima.

CVm primum Baltaſar Villagartiam venit, antiquo ipſi ardore, ſuo ſe muneri reddidit inſtituendi Tyrones; præcipuam ijs operam nauans, qui poſt abſoluta Theologiæ ſtudia, annum ibi Tyrocinij tertium pro Societatis inſtituto, poſituri erant: quod perquàm ſeuerè conſtituerat recens Inſpector eò miſſus à Generali Præpoſito, pro rei tantæ momento, ad excitandum ſpiritus ardorem, qui fortè inter litterarum ſtudia intepeſcit; ad ritè iungendam Scholaſticam Theologiam cum myſtica ſpiritus ſcientia, intimaque conſuetudine cum Deo; vacandumque ſeriò ipſius ſui, ſuique iudicij, & voluntatis expugnationi, atque victoriæ; earumque perturbationum item, aut cupiditatum, quæ recèns inter ſtudia vel erupere, vel prodidere ſeſe, ante quæ aut coërcitæ nimirum erant, aut tectæ. Sedenim quippe qui litterariis exercitationibus defuncti, oculos, quos clauſos per Tyrocinium habuerant, aperuere; plurimaque non ante ab ipſis viſa, aut obſeruata cognorunt; maiores multò, quàm biennio primo, tertio hoc anno poſſunt habere progreſſus. Qui ſi diligenter, ac ſeriò exigatur, optimus certè omnium eſt in Societate. Quòd ſi dicendi locus ſit de meis ibi tunc nundinis, quod in Dei gloriam vertat, aio, quadraginta, quibus, cum hæc ſcribo, in Societate vixi annis, nullum hoc mihi meliorem alium eueniſſe. Ibi enim meæ menti lux diuinæ bonitatis affulſit, vt ſeriam ipſi vellē ſeruitutem ſeruire: opemque in id plurimam contulit mihi vniuersè conſue-

tudo Baltasaris, qui & mei voti, Deo indulgēte, potitus sū. Cum enim eo salutis anno 1579. studijs iam exactis, tertio Tyrocinij anno, sexdecim numero socij probandi essemus, Methymnæ octo, totidem Villagartiæ, optaui cum primis, dedique operam, vt mitterer Villagartiam, quò eius loci maiori solitudine, & quiete vterer: multóque maximè, tanto vt Institutore fruerer; cuius magisterii, atque virtutis in pluribus, quarum memini, rebus experientiam iam ceperam. Quæ vt confirmem, alia hîc subtexam de ratione, qua tertianos Patres diuersimodè formabat à Nouitijs. Nouitios enim exercebat seueriùs, & frangebat, vtpote qui eâ veluti cælaturâ magis indigeant: At hosce antiquiores accipiebat blandiùs; eosque in mortificationis veluti carceribus statuebat, vt sua sponte in eius ipsi stadium prosilirent. Excitabantur verò cum maximè tum exemplo Tyronum, tum vt ijs ipsi forent exemplo. Itaque idem hic ardor in probatione inerat, atque Methymnæ Campi, quod diximus. At ij, cum modicum illud, & rusticanæ gentis esset oppidulum, Methymnam de Rioseco, in proximum amplumque Oppidum petitâ veniâ itabant: quò in nundinarium diem populares ex vicinia coëunt perfrequentes: vt ibi de se ipsi, cum calcato in luce hominum seculi fastu, gloriosiùs triumpharent.

In hoc cohibendi sui studio Franciscus Cordubensis, de quo trigesimo capite commemoratum est, extulit sese præ cæteris; ardore spiritus semper nouus; qui & inter Tyrones vltimum vitæ diem obiuit, tertium probationis annum hîc ponens; vti nempe probatus integrè migraret in Cælum. Mortem illi ex occasione peperit insignis sui, ad contundendum sese, despectus. Viennam vnâ ferè leucâ disiunctam Villagartiâ proficisci laicum fratrem inaudierat, educandos domi porculos empturum. Suam ijs alendis operam despondit extemplò Franciscus; præcipuâ se in id operis facultate imbutum affirmans; quòd ipsi antiquum erat in rerum despicatissimis profiteri. Comitem se, cum facultate, emptori laico adiunxit: in reditu ijs è suillis catulis v..um fatigatum à via sustulit; humerisque in eundem modum imposuit, quo Euangelicus Pastor effingitur, oue, quæ perierat, inuentâ; & quod idem præstitit Carolus Magnus, postquam Religiosæ vitæ in Casinati monte nomen dedit; eius Cœnobij gregem ipse custodiens; mirantibus omnibus celsitudinis olim tantæ Augustū virum suos humeros ouiculæ cōuehendę supponentē. Atqui vilior eâ porculus est; fuit proinde miraculo non vulgari, Virum adeò clarum, Vniuersitatis olim Salmanticensis Rectorem, plurimæque in Societate auctoritatis eâ sarcinâ grauatum aspicere. Vbi deinde àd Col-

legium

legium redijt, lateritiam, in quam illos includeret extruere haram; cibumque ijs administrare cœpit in tempore. Aestus erat, eique ab sole caput efferbuit: vnde & febres vrentissimæ exarsere: atque, vti mihi affirmauit ipse, maiorem in modum intimo cruciabatur ardore, quàm argumenta foris ostenderent. In tantum verò morbus inualuit, vt vndecimo die illi vitam ademerit; omnibus ritè pièque admodum Sacramentis instructo; atque animo in mortem alacri & parato, diuinæque voluntati, vti, ex quo Societatem inijt, sic etiam tunc mirificè consentiente. Quanquam verò perplures in ea annos haud quaquam exegit, pluribus tamen auctus est, maximisque promeritis; assidui causâ feruoris in suscipiendis, vti meminimus, voluntarijs pœnis: inque se submittendo strenuè, ac profligando. Quamobrem locuples longè præmium, vti credibile est, illi Deus impertijt. Qui visus etiam est eum subsequi voluisse in morte Magistrum, quem fuerat in vita secutus. Eodem enim Iulio mense anni millesimi quingentesimi octogesimi mortalitate hac defunctus vterque fuit: paucis, vti mox dicam, diebus discipulus post Magistrum.

Studebat porrò diligentissimè Baltasar, vt Tertiani Patres in spirituales viros euaderent, atque precationis, diuinique congressus amorem susciperent. Quos verò in id proniores ingenio, aptioresque & instructos à Dei benignitate cognosceret, eos ipse iuuabat operosiùs; inque suam consuetudinem prolixiùs adhibere gaudebat. Ea propter cum Christophoro Gonzalio Patre tunc Tertiano congrediebatur sæpiùs: quem orationis præcelsæ dono Deus ornauerat: & quem, cùm aliæ in illum conspirarent dotes eruditionis, prudentiæ & ardoris, in Tyronum magistrum sedulò ipse formabat. Cui muneri quàm mox adhibitus est Methymnæ; quanquam suæ vitæ cursum breui confecit. Frequens consuetudo mihi cum hoc Patre tunc fuit. Etenim, per studia litterarum, cum mutuus inter nos de litteris modò sermo esset; hic verò de rebus duntaxat animi, deque virtutibus colloquia miscebamus. Sciscitatus ex eo sum, quo tempore, quoque modo tanto precationis munere auctus esset à Deo: aitque, id collatum sibi fuisse, cùm apud animum suum certò constituit cupiditatem sibi à Deo immissam implere, inanis in re litteraria opinionis, & gloriæ proculcandæ. Aggressus enim erat in Philosophiæ studia, multâ cum ingenij existimatione, ac plurimis capacis animi argumentis: Verùm titillantis gloriæ stimulis cum admodum vexaretur, occasiones nempe venari (studendi tamen diligentiâ non omissâ) vnde rudi, pinguique Minerua præditus haberetur. Ea, quæ nosset optimè, interrogare; ad prima respondentis verba, quasi

quaſi nihil reponendum contra occurreret, obmuteſcere: nullâ vti pertinaciâ, vt, quod ſæpe alij, ſuam eſſe victoriam oſtentaret: neque dictis proteruè ab alijs repugnare: publicis in Actibus, ſpectatos maximè alijs deferri gaudere: minus in ijs laudatos ſibi præſumere. His alijſque ad ſeſe ſubigendum diligenter quæſitis, adhibitiſque diſſimulanter induſtrijs, nonnihil illi de ingenij opinione deceſſit: plurima tamen acceſſit illi virtutis commendatio apud Deum. Quam & præmio Deus affecit: eo in iucundiſſimam ſui familiaritatem adſcito: factâque illi inter precandum copiâ ſui varijs, largiſque animi delicijs delibuto. Einſmodi de Deo colloquia, ſubmiſſè, ac ſtudio pietatis habita, proficiendi cupidos iuuare plurimum aſſolent: id enim, quod euenit alteri, documentum eſt & calcar alterius. Quare Patris huiuſce vſus permagno mihi compendio fuit: cœpique tunc, errore depulſo, intelligere, minus arduum eſſe quàm crederem, amare contemptum; eam verò viam eſſe ineundæ gratiæ apud Deum.

Verùm Baltaſaris altiùs ſeſe intendebat induſtria: is enim de ſtudio precandi, virtutiſque adipiſcendæ cum ageret, ne in extremam ſeceſſus immodici partem alteram diſcederemus; piumq; proximorum vſum ad iuuandos animos refugeremus; ad id etiam vocationi noſtræ præcipuum ſuis nos in allocutionibus hortabatur: aiebatque in Socijs nimium ſeceſſum, à Spiritu diuino non eſſe. Scimus enim aliud eſſe, quod à nobis præſtari Deus expetit: neque in id nos ipſe vocauit; neque id porrò tutiſſimum eſt. Securitas enim non anguli ſecreto, ſed tutelâ Numinis continetur: à quo & deſtitui in cubiculo poſſumus, ſi nos illi arbitratu noſtro includimus; & cuſtodiri in foro, ſi iuſſi, domo illuc egredimur. Neque verò conducibilis eſt hæc immodica ſolitudo: eius enim amantibus, vti ſeruulis nequam, diuini Spiritus, gratiæque ſportulam ſubtrahit Deus. Eò complures ex altiſſimis ijs, quas laudauimus, ſententijs, referebat: illud verò maximè
Matt. 26. 40. penſitabat; ſiquidem Chriſtus Dominus vna ſemel nocte, ad excitandos à ſomno diſcipulos, ter preces abrupit, nihil adeò magnum eſſe noſtras à nobis præcidi, cum id è re fuerit ad animos à veterno flagitiorum, aut teporis excutiendos. Neque nos ab eo ſatis eximit, quòd hæ nimirum partes aliorum ſunt; pius enim Samaritanus non ideò rei in tempore defuit, quia alij defuere; ac licet Sacerdos item, ac Leuita nulla ſaucij ab latronibus miſeratione prætervecti erant, ſubſtitit ipſe tamen; iterque, opis ferendæ cauſâ, intercepit. Oblatam nobis opportunitatem à Deo vacuam elabi nefas eſt. Si tibi aurum, inquit, humi fortè abiectum occurrat, illud ſanè confeſtim attolles; neque porrò diſ-

quires,

quires, cur illud antecedens alius minimè sustulit? At enim quod vsquam aurum pretiosius animo est? aut quonam thesauro, quàm eius asserti lucro opulentior fias? Deo per Ieremiam affirmante, *Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris.* Verùm ne contrarius huic error, vsus proximorum intemperans, nobisq; noxius, deniq; nos in partem alteram ageret, illud Seruatoris Christi reuocabat in mentem: *Quid prodest homini, si mundum vniuersum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Quam in rem aliqua ex ijs, quæ memorata sunt septimo capite, afferebat. Ier. 15.19 Matt. 16. 26.

Hinc illud est, quòd, experimenti causâ, ea à nobis cum proximis munera obeunda curabat, vt spiritum cum ijs adiungere disceremus. Quos idoneos nosset, eos nostro in Templo concionari iubebat: Dominicis diebus finitimos in pagos singulos nos cum singulis Nouitijs, ad tradendam pueris catechesim, ad conciones habendas, audiendasque sacras Confessiones pedibus dimittebat. Pias etiam expeditiones aliquas breues gaudebat institui, non eius tantùm experimenti gratiâ, quod suis ex operarijs sumere constituit hoc anno Societas, sed & ingentis etiam causâ fructus, qui ex ijs perplurium miserabilium certè auxilio, & conuersione ad Deum sancta percipitur: quibus quos aptos cognosceret, eos ijs suam addicere operam expetebat. Administrum aliquando habuit Iacobum Velam, Burgensis Archiepiscopi Christophori Velæ propinquum: quem vbi comparatum optimè sensit ad egregios habendos in virtute processus, excolebat illum scilicet, coërcebat, similemque Nouitio exercebat. Isq; ea vsus est opera tam probè, vt magna inde fecerit incrementa virtutum. Hunc Baltasar missionibus hisce aptum iuxta, & attentum aduertit; quamobrem Vela in oppidis promiscuè modicis item, ac magnis obire illas orcœpit; in montibus præcipuè Legionensibus, atque Asturgensibus, ingenti cum ardore simul, ac fructu dicens ad populum: laboresque tunc suscipiebat adeò indesinenter, ac feruidè, vt par alius quispiam sequendo illi non esset. Quibus aliquot annos strenuè defunctum Villagartiensi huic domui destinauit Deus, vt exantlatos ab ipso labores morte hîc felici concluderet. Cum enim ab exacta expeditione reuertens Abulam Villagartiâ traijceret, dolore correptus est lateris, quem sonticum ac lethalem esse statim apparuit. Illic ipse tunc aderam; Deique factum est nutu, vt meam illi opem possem eo in decessu commodare. Meticulosi nimium hic erat animi, neq; ab religione sat liberi: sic vt, ea propter, à re diuina facienda aliquando refugeret: nisi iussu Obedientiæ vrgeretur. Ab ipso morbi

bi exorſu Iudicis diuini trutinam in tantum extimuit, vt vitam ſibi in annum prorogari à Deo vehementer expeteret, quò pœnas ab ſe noxiarum causâ repeteret. Conſcius ipſe integritatis illius, ac ſanctimoniæ, animos ei, quantum poteram, ac ſolatium adiungebam: angebarque plurimùm, quòd ſollicitum illum prolixioris vitæ cupiditate conſpicerem, cum vis morbi hominem properè vrgeret in mortem. Eius ipſe animo errorem eripui; affirmans, Deum altiſſimis Numinis ſui conſilijs ſalutaribus item, ac iuſtis, argumenta iam edere, nolle ſe vitam ipſi producere; malle autem, vt ad diuinam magis voluntatem aggregaret ſuam: plus hoc habere momenti, quàm, ad pœnas ab ſe culparum causâ repetendas, diuturniorem vitam expoſcere: atqui pœnarum ſatis ipſe iam dederat. Diuinæ viſum eſt benignitati ampliter, optimèque de ſe merito gratiam in præſenti reponere, metu illi omni extempló prorſus adempto, tanta cum ſalutis ſuæ fiducia, vt, pen-
1. Cor. 15. 57. dentis è cruce Dei ſimulacro manu prætento, ingenti cum ardore diceret, *Gratias Deo, qui dedit nobis victoriam per Ieſum Chriſtum*. Eâque fiduciâ, & alacritate ſexto, quàm decubuit, die vitam reddidit, victoriæ ſuæ palmam adeptus, & gloriam: fuitque mihi ingenti oblectamento deceſſus ille adeò tranquillus, & felix: Deumque veneratus ſum laudibus, qui ſolatio tanto ac robore eos impertit, & confirmat in morte, qui, per vitam omnem, ſuam ipſi addixere operam cum timore, ac tremore; atque in hoc cum maximè munere aggregandi ad Deum animos, vt plurimos ſecum
1. Tim. 4. 16. in Cælum efferant, ex eo Pauli ad Timotheum effato: *Attende tibi & doctrinæ: inſta in illis: hoc enim faciens & te ipſum ſaluum facies, & eos, qui te audiunt*. Hæc verò tria illa ſunt perpræcipua, quæ Baltaſar Tertianis Patribus diligentiſſimè commendabat: quos cupiebat præſtare maximè ſtudio orandi, coërcendi ſeſe, & proximos cum ardore iuuandi; ſcientiâ ſimul, eiuſq; actibus opere ipſo coniunctis; quæ nimirum duo rem peragunt. Alia, quæ ſubijcere poſſem plura, prætereo: hæc verò dicta ſunt ſatis; non vt ea modò proferrem, quæ ad Baltaſarem ſpectant, ſed vt intelligatur ſimul, quàm cæleſte fuerit Sanctiſſimi Parentis noſtri Ignatij conſilium, in hoc tertio probationis ac ſeceſſus anno, noſtro in Ordine, poſt exacta ſtudia, conſtituendo. Vtinam verò idem & in cæteris religioſis familijs litteras profitentibus decerneretur, ad feruorem ſpiritûs excitandum, inter ſtudia ſcilicet intepeſcentis, germanumque candorem litteraturæ, precibus inducendum. Qua in re plurimum in partes omnes valet, eos, qui aliquot annos in diſciplinarum ſtudijs conſumpſere, repuéraſcere iterum, vt verè magnos excreſcant in viros; ſeque vt ignaros ac rudes

habere,

habere, vt in scientia spiritus, ex quo in scholasticam eruditionem vita fluit,& robur, omnibus fiant absoluti numeris sapientes. Cui operi vnum modò dent annum, erit abundè, vt per æuum vitæ omne benè ijs, beatèque sit; ipsorumque erga proximos suscepti labores fructuosi sint, & illustres; quod in Dei gloriam, ipsorumque Ordinis, atque Ecclesiæ vniuersæ commendationem vertat & decus.

CAPVT QVADRAGESIMVM OCTAVVM.

Præpositus iubetur Toletanæ Prouinciæ: pias exercitiorum commentationes ad comparandum sese præmittit: quàm altos ibi hauserit sensus de Christi Domini paupertate, contemptu, ac pœnis.

DE lustrata a Baltasare probè probatèque Aragonia vbi Præpositus Generalis accepit, quem in Peruanam Prouinciam, vti destinarat, dimittere non potuit, illum præfecit Toletanæ Prouinciæ salutis anno 1580. quò Hispanicæ Prouinciæ vniuersæ doctrinâ illius, ac spiritu fruerentur. Quanti verò Baltasarem ipse faceret, eo docuit etiam argumēto, quòd ijs, quibuscum hac super re agebat, Omnium optimum, inquit, vobis vestræ Prouinciæ Moderatorem attribuo, dum Baltasarem dico. Inter cinerales, siue Quadragesimæ dies hoc illi redditū fuit imperium: seque confestim ad pias animi exercitationes aliquot hebdomadas collegit, diù precibus vt vacaret, Deumque super ijs consuleret, quæ eius sibi demandatæ prouinciæ, aliarum, quas obierat, iudicio suo grauissimæ ratio postularet. Et verò solemnis ieiunij dies illos, postremos sibi, eum suæ vitæ supremum annum, eumque suorum laborum summum esse præsentiens, ardore se maiore, quàm aliàs, comparauit; mysteria, pro tempore, diuinæ cædis perquàm piè contemplans, vt affixi Cruci Seruatoris imaginem, cum eius comitatu perpetuo, paupertate, contemptu, ac pœnis, suo in animo renouaret. Cumque per sacras eas ferias inde, vti diximus, ad cohortandum Nouitios consueuisset sumere argumentum, per præsentes hasce, quippe qui altiores hauserat sensus, multò nos allocutus fuit ardentiùs in ea Dauidis Seruatorem adumbrantis verba, *Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea: exaltatus autem humiliatus sum, & conturbatus.* Quæ verba, Christi in omni vita viam ostendunt, paupertatis, contemptus

atque dolorum: qui comites illi hæſere perpetui, anniſque creſcentibus maiori illum ſtudio comitabantur; creſcebantque & ipſi magis, ac magis ad vltimum vſque diem; dum denique in quem vlterius cumulum excreſcerent, non haberent. Et verò ſimilem in modum audeo ipſe affirmare de viro hoc ſanctiſſimo, trium horum Chriſti comitum, vti tertio capite inſinuatum eſt, ab ipſo exorſu, amantiſſimo, amorem horum, ac ſenſum per ætatum gradus in eo creuiſſe: hac verò, quæ ſuprema illi fuit, quadrageſimâ, in ſummum, quò eniti culmen poterat, euaſiſſe.

Atque, vt eius rei veſtigium aliquod nobis appareat, quædam hoc loco ſummatim proferam, quæ ipſe de Chriſti paupertate diſſeruit, tres in ea gradus expendens; primum excelſum, excelſiorem ſecundum, tertium excelſiſſimum, quibus comitatus etiam inditus eſt contemptuum, ac dolorum, ea cum altiſſima ſubmiſſione, tolerantia, animique æquabilitate, cuius ipſe interim ſpectata præbuit argumenta.

Primus paupertatis gradus, abdicatio fuit rerum omnium in hac noſtra tellure labentium, tum earum memoriæ & amoris, quæ duo, vti corpus vmbra, illos perpetuò ſubſequuntur. Quare Seruator Chriſtus, agros, rura, vineas, prædia, aliaq; eiuſmodi propria bona non habuit: non eò, quia habere illa nequijt, ſed eò quia noluit. Harum adeò fluxarum rerũ vſum dũtaxat cepit, eumq; perparcè, qui vnis vitæ neceſſitatibus vix ſatis occurreret, famem, ſitim, calorem, frigus, dura, inclementia, aſpera non arceret; nullis vſus vſquam immunitatibus, aut prærogatiuis: cibis veſcens non exquiſitis, ac lautis, ſed obuijs, atq; vulgaribus, & vbique parabilibus; domicilij, rerumque omnium expers, pauperi ſimilis, & mendico.

Gradus paupertatis alter fuit, carere amicis, & propinquis; optimatium omnium, potentiumque virorum neceſſitudine; humana etiam coniunctione cum Regibus, eruditis viris, ac dignitate fulgentibus; ijſque demum, quorum causâ ipſi parcerent, atq; ab iaciendis in ipſum, extruendiſque contumelijs abſtinerent. Quin immò Genitricem ſibi ex paupertate adſciuit; in egentis fabri domuncula adoleſcere voluit, & educari: pauperes legit ſibi diſcipulos; à publicanorum ac ſontium, quos in ſalutem aſſereret, conſuetudine non refugit: atque ab ijs demũ omnibus, quorum familiaritatem iniſſet, ne ſua quidem Genitrice excepta, tanta libertate animum auulſerat, vt nullius gratiâ agere illud vnquam omiſerit, quod Genitoris ſui voluntati gratum, magiſque conſentaneum eſſe congnoſceret. Vt ſuo nos exemplo doceret, vitam hanc noſtram ab rerum omnium humanarum nexibus explicare;

quò

quò Deo nimirum cum libertate ſpiritus integra ſeruiamus.

Tertius gradus, abdicare ſe ipſum fuit: vacuitate prætexta potentiæ, ſapientiæ, ſanctitatis, imperij, libertatis; vnde illi nomen & cauſa fuit perferendi innumeros, grauiſſimoſque contemptus, injurias, cruciatus; ideò nimirum, quia vti pauper, atque hiſce prærogatiuis caſſus ab hominibus tractabatur. Primò, vacuum ſe potentiâ, præpotens certè quidem oſtendit: videri enim ac viuere in hac mortalitate voluit expers omnis poteſtatis, imbecillus & egens, infantiæ ſuſceptis incommodis, itinerum fatigationibus, atque laboribus, cæteris demum omnibus, vnam excipe culpam, humanæ naturæ miſerijs, & ærumnis. Vim pertulit elementorum ſenſu carentium, frigoris & caloris, rerumque cæterarum; ſuo in eas diſſimulato imperio, hominumque de ſe opinione contempta. Vepribus aduerſum ſeſe vim indidit, vt diuiniſſimum ipſius caput altè perfoderent; funibus, vt vincirent; velo, vt obnuberet; flagellis, cruci, clauis, lanceæ, felli, aceto, cæteris denique ſuæ cædis inſtrumentis, vt ipſum immaniſſimè cruciarent: Iudæis vt accuſarent ipſum, & maledictis inceſſerent: Iudicibus, vt damnarent; tortoribus, vt flagellis cæderent, Crucique ſuffigerent: militibus vt illuderent; tentatori ſtygio vt ipſum in ſolitudine ex vno alium in locum deportaret: perque ipſius membra, ſceleſtiſſimos homines, neutiquam repugnantem inſectaretur. Cumque hæc omnia vno dumtaxat verbo auertere poſſet & euertere, noluit tamen, ſeque maluit hac potentia carentem oſtendere; adeò proinde contemptus, vt, cùm patrata ab ſe miracula ſummæ ipſius poteſtati tam certa fide ſubſcriberent, ea ſcilicet nequiſſima capita ad nefanda malo cum dæmone pacta, conſenſionemque referrent.

Exuit & ſeipſum, inopiâ præ ſe latâ ſapientiæ; qua refertus ac locuples, non ingenio vti voluit, atque diſciplinarum acumine; non humanâ eloquentiâ, non fuco, pigmentiſque Rhetoricæ: quin immò ea ſimplicitate cum alijs conſueuit, vt ſimplex haberetur vulgò, idiota, rudiſque. Suæ verò doctrinæ veritatem verbis tradidit vſitatis ac tritis, malens illam virtutibus, atque miraculis confirmare; inani apud homines ſapientiæ opinione, gloriâque deſpectâ, vt ſuo nobis præluceret exemplo.

Eadem ratione ſpeciem, formamque exuit ſanctitatis; viam iuſtitiæ ſic ingreſſus, vt à pleriſque neutiquam ſanctus, ſed flagitioſus potius, amanſque ſceleſtorum habitus ſit, corruptor, atque blaſphemus; Barabbâ, & latronibus nequior, cruciſque ſupplicio adeò turpi, probroſoque digniſſimus. Ac, licet hanc ſanctimoniæ famam apud omnes aucupari facilè poſſet; eamque præ-

rogare sibi, vti eam Ioanni Baptistæ, suisque intimis alijs impertijt; illam ab se tamen maluit abstinere; vt assimulatæ à nobis sanctimoniæ, veræque superbiæ pudorem imponeret.

Debitum etiam sibi, &, quod obtinere vti Rex Regum & Dominus dominantium potuisset, Imperium exuit & Principatum: arreptâ fugâ, cùm ipsum rapere, Regemque dicere turba vellet; Regibus atque Iudicibus impijs licet, in ijs obsequens, quæ illi iuberent: censum ijs pendens, eorumque cognitioni, atque sententiæ sese ad mortem vsque subijciens. Pauperculæ item Genitrici suæ, nutritioque Iosepho se subdidit: suam ijs operam ad annum vitæ trigesimum famulari ministerio nauans. Eosque inter, quos habuit numero perpauco discipulos, famulum gerebat sese, non Dominum, ijs administrans, eorumque pedes purgans à sordibus: seque *ministrare, non ministrari* venisse professus est: vt illi honores, Magistri sui exemplo, defugerent; sui submissionem amarent; seque vniuersè in omnibus pauperum instar haberent. Suam denique diuinitatem atque maiestatem discipulis suis, simplicibus iis atque humilibus ità verbis, operibus, ac miraculis ostendit, vt eam superbos, atque potentes, qui sapientiam, prudentiamque iactabant, dissimulando celarit: quare longè, atque erat, alius habebatur. Accipiebatur verò, vti opinione, sic re; grauissimis contumelijs, pœnisque per summam audaciam, ac scelus ab infensis mortalibus appetitus: adeò vt nemo vsquam hominum suis ab inimicis fœdiores iniurias, acerbiora supplicia, immenso cum ardore pertulerit, vt beneficijs illos ornaret, atque à probris, pœnisque nunquam desituris eriperet.

In hunc modum, summam, assiduam, absolutissimamq; Christi Domini paupertatem, cum præstantissima submissione, atque eorum, quæ ex ipsa proficiscebantur, contemptuum, ac dolorum perpessione coniunctam commentabatur animo, tradebatque sermone Baltasar. Eumque de tribus hisce Christi IESV asseclis priuatim aliquoties tanto cum feruore spiritus dicentem audiui, vt mihi admirationem simul iniiceret, & ardorem; simul cupiditatem adiungeret eius imitandi feruoris, ac studij, quo eum ipse comitatum, vt suo se Magistro similem fingeret, complectebatur. Persuasumque mihi omnino est, ipso apud Deum interprete, errorem tunc in hac re ademptum mihi fuisse. Tria enim hæc meditanti mihi, arduumque adeò existimanti, amare dedecora, & gaudere contemptibus, vt pro nostra imbecillitate scilicet id mihi nequaquam posse fieri videretur, preces quodam die coram diuinissima Eucharistia adhibenti, diuinæ lucis radios, fulguris instar prætervolantis affulsit; ostenditque fieri facile posse, vt opprobria

&

& contemptus tam ſeriò & impensè, quàm à profanis hominibus honores amentur: animoſque mihi ad id expetendum, bona cum ſpe ſucceſſus adiecit. In hunc verò ſcopum Baltaſar ſuarum rationum tela præcipuè dirigebat. Intelligebat enim Religioſos, ac litteratos cum primis, vacanteſque proximis viros, nulla magis ab re lædi, quàm ab amore honoris immodico: cui ſubit alter titillantium commodorum; quem & religione prætexunt, boni nempe tuendi cauſâ nominis, quod ad illius æquè ac ſui muneris dignitatem plurimum omnimodè valet. Atquî contra in honoris huius neglectu, & amore contemptuum, quantum ad quemque attinet, ſumma cum animi demiſſione, virtutis ac ſpiritus incrementum innititur: cuius experimenta in ijs, quæ memorata ſunt, Baltaſar cepit.

CAPVT QVADRAGESIMVM NONVM.

Graduum ordine in perfectionis, diuinique amoris culmen aſcendit: quænam virtutes in eo præcipuè includantur. Altiſsimi quidam Baltaſaris ſenſus de hoc amore inſinuantur.

PRouecti ad annum vltimum, poſtremoſque menſes beatiſſimæ Baltaſaris vitæ iam ſumus. Par adeò nunc eſt ſummam etiam ipſius exequi perfectionem in ea, cui dedit operam, facultate ſpiritus, ac virtutis. Sua enim per exercitamenta, opera muneraque, per varios, quos diximus, rerum euentus lætos, ac triſtes, tanquam per gradus connixus indubitanter eſt in faſtigium perfectionis, in omni ſanè virtutum genere, diuinique præcipuè amoris; quæ prima virtus eſt omnium, ad Regij Vatis mentem: *Beatus vir, cuius eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in valle lacrymarum, in loco, quem poſuit. Etenim benedictionem dabit Legiſlator: ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.* Vir profectò beatus fuit Baltaſar, quem diuinus Legiſlator *præuenit in benedictionibus dulcedinis*, tantâque ac tam iugi ope ſuffulſit, vt ea nixus ſuo in corde noua ſemper extruxerit incrementa virtutum; ex vna in alteram, vi ſummâ, connitens, donec euectus eſt denique ad videndum contemplatione Deum; illumque eo, quo vult ipſe, amore perfectiſſimo, ex omni nempe corde, anima, mente, ac viribus complectendum. Neque verò myſterio vacat arcano, in hoc præcepto, in quo noſtræ perfectionis ſumma con-

Pſ. 83. 6.

Pſ. 20. 4.

Matt. 22. 37.

Luc. 10. 27

continetur, quatuor illa meminisse, quæ in sui amore Deus exponit, & exigit: nam & quatuor alia sunt, quibus ille cum primis augescit; & quibus roboratur, atque perficitur: eaque omnia sanctissimo huic viro Deus impertijt, vti nimirum omnem virtutis absolutissimæ apicem obtineret. *Primò* enim, studio perfectissimæ precationis, diuinæque familiaritatis excelluit, suum ad id animum, cor, mentem, viresque suas omnes adiiciens; dum gratiam vtique summam apud Deum iniret; suum cum diuino spiritum coniungeret; & coram Deo perpetuò ingrederetur; pro
Gen. 17. 1. diuini Numinis voluntate Abrahamo dicentis, *Ambula coram me, & esto perfectus*. Quis verò addubitet amoris diuini argumentum hoc esse oppidò locuples, eiusque augendi fontem vberrimum?
2. 2. q. 180. a. 1. Quanquam enim contemplatio, auctore D. Thoma, suâ quidem naturâ actus est intelligentiæ præstantissimus, quo summa veritas, Deus, simplici perspicacique intuitu, perfectiones eius altissimas penetrante cognoscitur, nobilissimos tamen caritatis actus amplectitur tanquam initium, ex quo ipsa ducitur, & finem, in quem dirigitur, ac refertur. Quamobrem Gregorius, vitam ait contemplatricem esse, Caritatem Dei, ac proximi omni omnino spiritu custodire, votisque omnibus suum vnum Conditorem vnicè expetere, ac spectare. In hoc verò Baltasar, vti iam vidimus,
Prou. 4. 18. Cant. 8. 5. ascensus suos, suaque incrementa disposuit, *quasi lux matutina procedens vsque ad perfectam diem: & ascendens de hoc deserto delicijs affluens, innixus super dilectum suum*, cui erat semper caritate coniunctus.

Studio item excelluit sui omnimodè coërcendi, suorum omnium occidione vitiorum, cupiditatum, ac destinationum in omnibus planè rebus: vniuersa submouens impedimenta, quibus distringi fortè poterant ipsius cor, mens, animus, atq; vires; eas vt ad Deum, eiusque caritatem perfectissimam, & sanctissimæ voluntatis obsequelam traducere liberè posset: in quo, vti indicatum est supra, accessionibus etiam profecit assiduis, dum vitam
Cant. 3. 6. in hac valle lacrymarum exegit, *ascendens sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris*. Caritatis enim diuinæ ardor, & flamma huic sui abdicationi, adeòque, & ipsi caritati, & contemplationi incrementa dabant. Ex Augustini namque sententia, *Di-*
L. 83. qq. q. 36. *minutio cupiditatis est augmentum caritatis*. Quo gradu amor sui descendit, ascendit Dei. Et Cassiani sententia est, Nostrum animum plumæ esse persimilem, quæ puluere, ac cœno, quo retinebatur humi, deterso, in altum statim effertur: ità sublatis animi impedimentis ad Deum confestim ascenditur.

Hinc tertium in gradum subijt, in quo & præstitit: in rebus nimi-

mirum omnibus abſolutiſſimè peragendis, quas illi Deus demandaret, commendaretque, tum ſui gradus ae muneris, tum miniſteriorum etiam, piæque in proximos exhibitæ caritatis, ad eorum ſalutem procurandam; humanis diuiniſque voluptatibus, atque ſolatijs omnibus repudiatis, vt totum ſe ad Dei voluntatem fingeret; aque in bonum ſalutemque proximorum impenderet. Quod argumentum ſanè eſt præſtantiſſimæ caritatis, præſidiumq; longè efficax ad eandem affatim amplificandam. Quemadmodum enim Gregorius docet, *Probatio amoris exhibitio eſt operis*. Eaque propter ſalutis Auctor, *Si quis*, inquit, *diligit me, ſermonem meum ſeruabit*: &, *Si diligitis me, mandata mea ſeruate*. Et percarus illi diſcipulus, *Qui ſeruat verbum eius, verè in eo caritas Dei perfecta eſt*. In quo autem perfectior eſt caritas, quàm in eo, qui ſuam ipſam vitam, ſolatium, ſalutem, honoremque, ſuorum amicorum, hoc eſt, proximorum, quos ſecundum Deum diligit, bono & ſaluti deuouit? ſiquidem verò in his, vti demonſtratum eſt, omnibus vir hic ſanctiſſimus eminuit, omnes etiam obtinuiſſe numeros caritatis euincitur.. Quanquam, vt qui longè ſe disiunctum eſſe à perfectione putabat, noua ſemper eius incrementa meditabatur, nouis in dies laboribus animarum causâ ſuſceptis.

Hom. 30. in Ioan.
Ioa. 14. 23
21.
1. Io. 2. 5.

Quartus ex hoc gradus extitit, in quo item antecelluit; in rerum nimirum omnium perpeſſione, quæ illi diuino acciderent vel permiſſu, vel iuſſu: aut animum illæ peterent, aut corpus; morbos, dolores, mœrores, deſertioneſque intimas, probra, contemptus, tanquam à Deo miſſa, eiuſque beneficia, præſidiaque ad ſpiritualem in virtute proceſſum excipiens: ſuauem in ijs, paternamq; diuini Numinis prouidentiam agnoſcens; quâ vel ex ijs in tempore ipſum eriperet, vel ipſi ſolatium, & fructum adiungeret: quod argumentum profectò certiſſimum eſt perfectæ caritatis, *quæ patiens eſt, & omnia ſuffert*: & cum Apoſtolo effari pergit, *Quis nos ſeparabit à caritate Christi? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? nihil horum poterit nos ſeparare à caritate Dei, quæ eſt in Chriſto IESV Domino noſtro. Fortis enim eſt, vt mors, dilectio*; perq; aduerſa & ærumnas gliſcit; quantòque grauiùs inceſſitur, tantò etiam radio ſplẽdidiore fulgeſcit. Cuius argumenta plurima laudatis in rebus Baltaſar exhibuit: quibus ſupremam veluti manum quatuor ijs præcipuis impoſuit, quibus ſuam in Deum caritatem ardentiſſimam approbauit; quatuor veluti fluuiis de caritatis Paradiſo manantibus, terramque ipſius animi irrigantibus, vt ſanctorum operum fructus vberrimos, fulgentiumque virtutum gemmas ederet pretioſas.

1 Cor. 13. 4. 7.
Rom 8. 35.
Cant. 8. 6.

Quæ

Quæ quoniam in huius historiæ decursu explicata sunt satis, aliquos hîc modò sublimes sensus attexam, quos Baltasari Deus impertijt, vt illum, suis gradibus, in amoris diuini culmen eueheret. *Primò* enim eius animo altè persuasit, summum Religiosi viri, pro suo gradu, negotium, vnam esse oportere feruentem Dei caritatem. Cognoui, ait, religiosa claustra officinas esse sanctitatis; sauciorum ab amore Dei nosocomia; caminos, in quibus ignis hic in arte amandi Deum accenditur; calcarias item fornaces, in quibus lapides ignis emollit in massam. Studium adeò illi fuit vitæ semper cum hoc vulnere exigendæ, vt illud cum Sponsa diceret, *Vulnerata caritate ego sum*: Neq; cura mihi est vlla curandi vulneris; in eo enim habendo, fouendoque vera salus est. Hac in fornace studebat incendi, mollescere, ac detergi; viuoque lapidi Christo IESV iugi amore simul, & imitatione coniungi.

2. Sept. 1577.

Cant. 2. 5.

Sensus alter de diuinis beneficijs fuit diuino huic igni nutrimēta præbentibus: Ea enim, & quæ communia omnibus erant, ducebat vt propria; & propria, quibus auctus à Deo fuerat, grato vt esset in eum animo, amoremque & obsequium debita Deo vice reponeret, iugi memoria repetebat. Eorum adeò elenchum in autographum retulerat, cui titulus erat, *Misericordiæ Domini mihi factæ*: quas & percenset; aitque: Ostendit mihi tenebras, quibus vniuersè & mecum, & cum proximis sum ingressus: animos mihi addidit ad vlcus mei animi exponendum: cupiditatem mihi mei contemptus iniecit: titillationes dedit vt frangerem voluptatum; viam synceræ veritatis expeterem; meque laboris impensi tyronibus non tæderet. Diuina, qua mecum vsus est prouidentia. Aliaque eiusmodi enumerat iam à nobis exposita: eaque omnia alimenta erant, quibus *fidelis* hic Dei *Sacerdos* amoris ignem ipsius in pectore æstuantis quotidie nutriebat, vt magis magisque tam benè de se merentem amaret.

Quoniam verò nullum, vt ameris, amatorium est efficacius, quàm amare, id de quo sensit altissimè, ingens fuit Dei amor in suos, quem explicabat hoc pacto. Amantem Deum esse cuiuspiam, est, Deum illi velle bonum, illi bonum expetere: at enim cum Dei velle sit agere, ex oraculo namque Psaltis, *Omnia, quæcunque voluit, fecit*, amantem Deum esse animæ cuiuspiam, diuinarum miserationum perennis fons est; ingis ingentium beneficiorum est imber; manum admouere est illius picturæ, neque deinceps eam de tabula vnquam tollere. Inde animus in ea vota efferuescit, quibus diuinæ obsequelæ occasiones præberi sibi crebras exoptat: siquidem verò, ipsorum operum loco, voluntatem

Ps. 113. 3.

Deus

Deus numerat efficacem, adſcriptam ſibi bonorum ſummam exaggeratam intelligit: plurima enim aſſiduaque ſunt, quæ ipſe vouet, ac defert. Illud hinc rurſum eſt, quòd nos *præuenit in benedictionibus dulcedinis*, ipſius vt munera in noſtra merita transcribantur: neque enim quicquam accipit, niſi quod ipſe largitur: quod certè theſaurus iuxta, ſolatiumque vberrimum eſt: pauperi enim ſolatio eſſe poteſt, paucula, quæ acceperit, elargiri; ſeque ipſum, ſuaque omnia, quæ certè ampliſſima eſt oblatio, deuouere: ipſius etiam diuiniſſimum epulum frequentare, vt quotidie ſuppetat, quod illi poſſit offerre. Pſ. 20. 4

Hæc verò omnia vir hic ſanctiſſimus Deo pollicebatur, vt in ijs illi ſui amantiſſimo ſuum amorem approbaret. Suo proinde in autographo, gratias Deo aliquando agens, hæc ait. Poſt ſacrum, de modo amandi Deum id ſenſi; deberi à me illi mea omnia, meum tempus, meas delicias, amicos meos, ac cætera demum omnia, & omnium optima, meque vnà cum ijs. Atqui ſua ipſe mihi maxima, minimaque, re nulla excepta largitur; ſeque ipſe amat impertiri libentiùs. Delibutus ſum illecebra perſuaui, animuſque tunc mihi fuit in Deum cum voluptate propenſior: quo me ingenti ſanè munere Deus affecit. Alio rurſum die, cum inter precandum caritatem hanc mihi depoſcerem, intimo animi ſenſu, O Domine, inquam, ſi nullius iam conſuetudine, niſi tua tenerer; nulla de re, niſi de tuo obſequio, aut ſalute animorum agerem, quæ tibi nempe ſunt grata! ô ſi in ea iam nunc aggrederer, quæ tuo tu in exitu conſummaſti! ô ſi diſiungi à te vnquam, aut de re quapiam agere, niſi tuo iuſſu, non poſſem! Quæ cum diuinitùs meæ menti iniecta eſſent, ſpem ſimul attulit mihi Deus, fore vt voti huius me ipſe compotem efficeret. Effecitque oppidò: ſtuduit enim Baltaſar maximè omnem ab ſe procreatarum rerum amorem auellere, quo Conditoris caritas tepeſieret, atque ex ijs, quæ expertus ipſe cognorat, ad hunc amandi modum hortabatur, aiebatque. 3. Aug. 1571. 10. Mar. 1569.

Magni Deum facite, ſic vt quacunq; vos illi caritate conſtringitis, vobis ea ſit modica. Id verò melius vt præſtetis, recipite veſtrum à rebus omnibus, diuiſum in illas amorem; non modò cum vos eæ repudiant, ſed & cum vos etiam, etiamque deperreunt: ne vos ijs nuntium ideò remittere videamini, quia vobis ipſæ illum antea remiſere; ſed quia hanc Deo reuerentiam, & honorem habetis. Neque verò eas ægrè dimittite; illarum enim complexus vos diſtinebat à Deo. Tunc verò experimento diſcetis, nihil in ijs eſſe iucundum, quod vnicè in vno Deo eſt. Quare tanti erit in earum ſe amicitiam non inferre: eamque vltrò

„ ab ijs oblatam refellere ſcilicet, atque reſcindere: apponetiſ- „ que lucro, ſicubi eam ipſæ vobis denegent; ſic enim debitum „ Deo amoris & obſequij vectigal promptiùs item ac cumulatiùs „ perſoluetis; in eumq, veſtrum quippe theſaurum, veſtra etiam „ corda, & animos conferetis. Tempus item veſtrum omne, quod „ Deo impendatis, exiſtimate perpaucum: Auguſtini effatum eſt, „ *Perdit quod viuit, qui te Deum non diligit*: ita & delicias veſtras „ omnes, cogitatus, dicta, facta, veſtros oculos, aures, ac cætera „ demum omnia, in cenſum Regis veſtri ſummi conferte.

In Man. c. 4.

Ad hunc in caritate perfectionis gradum obtinendum contuliſſe ſibi plurimum ait humanarum rerum cognouiſſe fallaciam: cum enim animum ipſi querela de quopiam vellicaret, quòd is non reponeret amorem, ſenſum hunc longè fructuoſum hauſit à Deo.

Agnoſce, quemadmodum tuas agit partes Deus. In infortunium „ certum obueniſſes, ſi eueniſſet tibi pro voto. Diuini prouidentia „ Numinis, & benignitas eiuſdem in te ſumma eſt, quòd te pro- „ cul ab ſe ipſis procreatæ res abſtinent, atque ad ipſarum Au- „ ctorem propellunt, eo defunctæ munere quo iubentur ab ipſo. Id verò tribus, ait, modis peragunt ſanè mirandis. Primò, dum cupiditates noſtras à nobis obtentæ non ſatiant, quemadmodum & Auguſtino dicebant: *Non ſum ego Deus tuus, non ſum ego tua quies atque ſolatium*. Deinde dum tantulum id ipſarum bonum, ac dulce non niſi pro libito ſemper impertiunt, ſuis ſubinde curis ac ſtudiis in ſingula ferè momenta mutabiles; eodem nunquam habitu, ac tenore conſtantes; quibus ex omnibus pendere illum oportet, qui ſe ijs dedit, ac mancipat. *Tertiò*, dum quippiam aliud nactæ maius bonum vtile, aut iucundum, nos certè omninò deſtituunt: cuius rei cum experimenta omni penè numero numeroſiora ceperimus, ſocordiam adhuc ſtultitiamque non ponimus; neque humana hæc & deſitura ſectari, Conditorem nempe ſummum æternumque obliti, deſinimus. Quare neque nos illum eſurimus, neque iſta nos ſatiant. Tanti porrò eſt prærogatiuâ temporis occupare victoriam; & nos inde primò, vbi poſtremò ea deſinunt, exordiri: ijs actutum, ne quid temporis inane nobis effluat, abdicatis; aditoque confeſtim Deo, quo in vno quiete, pace, ac ſatietate certa ſempiternaque fruemur; quas nemo aut eripere à nobis poſſit, aut in nobis extinguere. Quid vſpiam eſt nihil cupiente quietius? quid opulentius illo, cui magna omnia fulgentiaque ſuperfluunt? Habete Deum, & nihil vobis deerit.

Vid. Aug. li. 1. c. 40. Vniuerſum ſtratū eius verſaſti in infirmitate eius.

His, alijſque ſenſibus eius animum erudiebat Deus, illum vt ab hu-

humanjs omnibus auocaret: quibus aſſentiens, nullius vſquam rei ne tantulæ quidem, neque cuiuſpiam hominis, qui caritatis in Deum ſuæ libertatem, atque præſtantiam aut abrumperet, aut corrumperet, viſus eſt amore, aut voluptate teneri. Multamque in eo diù locauit operam, ſuo vt ab animo obtineret, vitam ab humanis omnibus ità diſiunctam exigere, atque ſi Lybiæ deſertiſſimas ſolitudines incoleret: donec hoc ipſo diuina tandem ope potitus eſt. Et verò perſuaſit id certè amor ille Baltaſaris, quo, ſecreto in angulo, æuum omne ducere cupiebat: quanquam ipſo vti proximè Optimates plurimi expetebant: aptiſque ad munera ampliora dotibus erat inſtructus. Atque hinc in vltimum ſupremumque gradum euaſit, de quo capite inſequenti.

CAPVT QVINQVAGESIMVM.

Summam animi æquabilitatem, perfectumque cum Dei voluntate conſenſum in rebus omnibus lætis, ac triſtibus aſſequitur. Eiuſdem aliquæ de hoc argumento ſententiæ.

CVm vita Baltaſaris, vti ex dictis apparet, varijs in omni rerum ordine intexta fuerit euentibus, ſecundis item atque aduerſis, omnia illi alarum loco fuerunt, aut graduum, quibus in altiſſimum ſeſe faſtigium diuinæ caritatis eueheret: ex Apoſtoli ſententia dicentis: ***Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum***, læta item, ac triſtia. Quod verò maius ſit bonũ, quàm eiuſdem caritatis acceſſio? Quando verò hæc acceſſio in hac mortalitate magis venit ad ſummum, quàm cum eò euaſit, vt idem, quod Deus, velit ipſe nolitque, in rebus omnibus corporis, animique, magnis iuxta, ac paruis, nullius rei delectu, vel amore, donec illi de diuina voluntate conſtet, quam in omni omnino re ſtudet implere? Quare cum à Deo quandoque aliquid pro ipſius obſequio gloriaque depoſceret, intellexiſſe ſe inquit, perfectionem omnem in obſequela diuinæ voluntatis poſitam eſſe: conſenſum verò cum illa eſſe maximam victimarum. Deus enim ſuæ gloriæ ſtudioſiſſimus eſt, nouitque quid illi promouendæ primùm expediat. Dubitantique ſemel, operaretur ne ſacris, nec ne, „ eò, quia impeditior erat, ſenſum hunc Deus impertijt; Non le„ uis momenti eſt, diuinam voluntatem ignorare, vel ſcire: ma„ximam hic rem agunt cognitio certa, vel error. Vbi enim ali-

„ quid velit Deus, absurdum, ac temerarium est, aliud ibi velle
„ vermiculum. Idem si Deus nolit, hominis est insani in illud ia-
„ cere vel obtutum. Quòd si in reculis id omnibus euenit, quas
„ Deus velit, aut nolit, quid futurum est in probando, impro-
„ bandoque altaris accessu, ex quo, si ritè adeatur, vel secus, tan-
„ tum fluit boni, vel mali? Hîc verò, atq; hinc illud mihi se obtulit,
„ vitam hanc tantæ plenam inscitiæ, tantisque in rebus ancipitem
„ neutiquam exigendam esse sine lacrymis & dolore: huic malo
„ eo dumtaxat occurri remedio, iugi nimirum precatione, ex sa-
2.Paral 20. 12. „ crarum Scripturarum oraculo, *Cum ignoramus, quid agere debea-
„ mus, hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te.*
Vide Bern. ser. 57. in Cât. „ Qui verò recta mente submissas ad Deum preces effuderit, is cō-
„ cipere spem animo potest, à Deo se directum iri. De eo namque
Eccl. 39. 10. „ legimus illud, *Ipse diriget consilium iusti*. Quòd si in errorem
„ labi aliquando contingat, confidenti animo veniam sperare li-
„ cebit: is enim tunc nolens, perque noctem offendit.

Proinde omni diligentissimè curâ studebat suam cum Dei vo-
luntate componere: eiusque se arbitrio permittere penitus, in ipsis
etiam pijs animi rebus, eâ, quam sibi Deus tribueret, sorte con-
tentus; mediocris licet ea esset aut tenuis. Cumque æstuaret ini-
tio à cupiditate nimirum orandi perfectiùs, suum hîc etiam ani-
„ mum tranquillauit sensu hoc, quem illi Deus iniecit. Mediocri-
„ tatem mihi impertitus es Domine: esse equidem volo & appa-
„ rere mediocris: meque præstantioribus omnibus pro tuo nutu
„ subijcere; inque hoc gradu malo ab omnibus, te læto, contem-
„ ni, quàm in alio, te offenso, obseruari. Statimque mihi argu-
„ mentum fuit deflendi pristinam inquietem, agendique Deo gra-
„ tias, quòd me supra complures euexit. Idem eidem contigit
permultis negotijs districto: cumque expostularet amicè cum
„ Deo, quòd sibi seorsim cum ipso agere non vacaret, Factum
„ est, inquit, verbum hoc Domini ad me; satis id tibi est, tuâ quod
„ operâ vtor, quamuis te mecum quietè non habeo: idque tunc
„ illum multa animi suauitate perfudit. Alia rursum die idem in
9 Maij 1575. „ argumentum id sensit. Fieri quidem potest, vt permultis in
„ Societate otium desit, quod priuata sua in arbitria conferant; ad
„ diuina certè nunquam opportunitates, & materiam defuturas.
„ Quod si granum frumenti, per mortem necesse est adolescat
„ in frugem; quid hac ipsa morte beatius? quid contrà demen-
„ tius, quàm eam ob rem angi, ac tristari? Si genus mortis optio-
„ ni Deus nostræ permitteret, quod aliud mitius illo esset, ad quod
„ remedia nec sæua sint adhibenda, nec sordida? Quid verò sunt
„ aliud nostra in Societate negotia, nisi stationes diuinæ; spatia
quæ-

„ quædam impensis Dei obsequijs referta; patentes venæ, quibus
„ ingenitæ voluntatis viciatus sanguis emittitur, spectanti Deo
„ margaritis omnibus fulgentiores; opulentissimæ denique ad per-
„ fectionem viæ? neque verò ex Assyriorum fuga tot erant con-
„ stratæ gemmis semitæ Samariâ ductæ ad Iordanem. *Reuela Do-* 4. Reg. 7. 15.
„ *mine oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.* Hos enim Ps. 118.
„ lex Domini dirigit immaculata, casta, mundaque: horum, ve- Ioa. 4 34
„ lut & Christi Domini cibus est, *vt faciant voluntatem Patris, qui*
„ *in Cælis est*, quam ij non gustant, qui suam habent in amoribus
„ voluntatem. Prô quàm multos ferculũ hoc dulcissimum latet!
„ Et verò perpaucorum illud est, nullo rerum suarum intritu per-
„ mixtum: Christi est; Apostolorum est, post diuinum Spiritum
„ in eos illapsum; Pauli est dicentis, *siue præsentes, siue absentes* Ps. 61. 1.
„ illi placere cupimus: Dauidis est aientis, *Nonne Deo subiecta* Ps. 53. 8.
„ *erit anima mea?* & alibi, *Voluntariè sacrificabo tibi.*

Atque hic altissimus gradus est nostri cum diuina voluntate consensus, à quo in caritatis finem & scopum integritas summa perfectioque inducitur; & in quo vir hic sanctissimus cum paucis excelluit; amore tam gratuito Deum amplexus, vt à castis etiam animi, inter precandum, illecebris sua vota dirimeret: ijs carere paratus, vt gratam Deo rem faceret: quod ex ijs, quos hic subijciam, sensibus apparebit.

„ Res omnes, inquit, eo esse debent loco, quem ijs Conditor
„ ipse decreueris, & ea præstare, quæ iusseris. At enim nemo à
„ te necessitudinis tuæ coniunctissimæ, præsentiæque tuæ dulcis-
„ simæ munere, affatusque ac magisterij tui intimi solatio imperti-
„ tus carere animi cruciatu potest, cum lautitijs hisce fraudatur.
„ Inde Regius Psaltes aiebat, *Auribus percipe lacrymas meas: ne si-*
„ *leas.* Ingens profectò thesaurus est aliquem id experimento co- Ps 38. 13.
„ gnoscere; vitam à se sine Deo, ipsiusque gratia exigi minimè
„ posse. Verùm quòd animus cælestium deliciarum liquidâ tene-
„ ritate non fruitur, an illum propterea gubernatio etiam diuina
„ destituet? quòd sensus proprii mihi fortè non suppetunt, num-
„ ne communes Fidei sensus non præstò erunt Ecclesiæ! Atquî ab
„ hoc Sole haurienda mihi lux est. Quæ veritas vt in illo Mago-
„ rum triumuiratu sanctissimo appareret, iis Solymorum vrbem
„ ingressis, desiit stella videri: eosque diuini pueri natalem do-
„ mum sapientes viri sacris ex oraculis docuere: ac mox gaudio
„ cumulatiore, quàm ante, sese ijs sidus reddidit in aspectum.
„ Priuati enim sensus conduntur sæpè ceù fluuij, atque ad Dei nu-
„ tum fluunt, ac refluunt; iisque Deus carere nos sinit, vt Dei
„ verbo, non sensibus illis fides nostra robustiùs innitatur. Aliàs

hæc

„ hæc rurſum inquit: Solatia cognoui à Deo parciùs impertiri, „ quòd ipſius gloriæ ita conducit: eò enim paratior eſt animus, „ quò ſimilior eſt ſuo Seruatori, laboribus in hac mortalitate de- „ functo, & animi etiam mœſtitudine ſauciato. At enim diuina „ ſolatia viatorum cibatui in meritoria taberna oportet eſſe ſimi- „ lia; non vt ſedes ibi figatur, ſed vt iter alacriùs, atque robuſtiùs „ repetatur. Deumque alloquens æquabili animi tenore, atque „ conſenſione ſumma cum ipſius voluntate aiebat; Id à te munus „ accepi, vt mea omnia, meque tibi, quiſquis & quicquid de- „ ique ſum, deuouendo quieſcam: munus adde nunc muneri, vt „ gaudeam à te tractari, vti mauis. Neque finem expeto altiorem; „ neque ſpectata minus præſidia; non plus fauorum, neque mi- „ nus ærumnarum; non plus quietis, neque minus laborum. Qua- „ lem me Deus fecit, meiſque ipſe me culpis infeci, talis haberi „ cupio, & tractari. Nec plus blanditiarum expeto, nec pœna- „ rum.

Pro ea, qua in hunc modum imbutus erat à Deo luce, ſtudioſos virtutis, ſuæque ſe caritatis in Deum modicæ incuſantes hortabatur, vt pro eo, in quo ſunt gradu, amare Deum incipiant. Primò, perferendo, ſi pro arbitratu ſuo duriter ipſos ac malè accipit. Deinde datis ab eo acquieſcendo, eaque muneris loco ingentis habendo. Tertiò, eiuſdem moras æqui bonique conſulendo; quæ non longæ ab ipſis habeantur, at breues; inque theſauris numerentur ampliſſimis: caſtiſſimorum enim theſauri animorum ſunt, non augeri bonis à Deo, ſed illi res gratiſſimas facere. Quartò, plurima, quàm poſſint, illi obſequia deferendo; eâ duntaxat mente ſimplici, vni vt ipſi placeant. Quemadmodum enim matrona honeſtiſſima ſuum viro teſtatur amorem, illi quàm poſſit ſtudioſiſſimè obſequendo; quòd ſi ſe comit & ornat, id eius vnius, non alterius cuiuſpiam voluntati, ac voluptati impendit; quòd ſi ipſam ille, eum ab ſe abijcere muliebrem mundum vellet, abijceret illum porrò libenter; quamuis inde in deſpicatis mulierculis ab cætero vulgo haberetur: contento nimirum viro ſuo contenta eſt; cum eoq; caro ſibi læta conuiuit; ità & animo ſeriò Deum amanti inde ſolùm benè beatèque eſt, ſi Deo ipſe placeat: quòd ſi virtutum, doctrinæ, aut aliorum chariſmatum ornatum expetit, non eò id expetit, vt gratiam ſibi apud homines, æſtimationemque conciliet, id enim adulterij genus exiſtimat, verùm vt ſuo Deo ſic placeat; alijſque, vt ij eidem placeant, opem ferat. Quare quàtis ſolatia illi Deus, munera atq; chariſmata gratis collata ſubtraxerit, conſtratus licet, atque contemptus, benè ſic etiam, & ex animo habet: ità enim ipſum habere vult

Deus,

Deus, cuius in gaudio ſuum & ipſe gaudium collocauit: Et ſic *placens Deo erit dilectus*. Diligetur enim á Deo quiſquis illi ſe itá gratum exhibuerit; eiuſque caritatis præſtantiam, quæque ex ea proueniunt opes obtinebit. Sap. 4. 10.

Quæ vt confirmaret, præcipuum aiebat precationis bonæ finem, fructumq; ex ea legendum húc eſſe, Deo, quicquid á nobis expetit, elargiri; cumque illius voluntate omnimodè conſentire in omni re, vt vt de nobis ipſe decreuerit, acciſâ licet nobis valetudine; honore, commodis, cæteriſque naturæ dotibus ademptis: tum, intimis etiam, ac ſpiritualibus animi bonis, amoris ſui ſignificationibus ſubmotis; aut nobis ipſe ſe ſubtrahat, aut occultet, noſque frigore damnet, ac tenebris: ex altera veró parte tentationum nos pugnæ, timoribus, angoribuſque permittat; ex quo amplior ipſi gloria, nobis veró fructus vberior proueniat: id enim ſpectat ipſe. Et veró id inde ſequetur, fideles modò illi nos ſimus, conſilio vſque perſeuerante, ſolatij neutiquam ab inferiorum crepundijs quæritandi; pigeat nos licet rerum cæleſtium, noſque ipſi videamus vndecumque deſertos; nullâ Crucis fugâ, eiuſque probationis, quam nobis ipſe conſtituit. Si enim noſtram in ijs fidem approbauerimus, priſtina referentur munera, ceu greges Iobo, potiora prioribus. Cuius verba id temporis perpetuó terenda ſunt labris, *Dominus dedit, Dominus abſtulit*. Deus hoc mihi munus impertijt, idem eripuit, *Sit nomen Domini benedictum*. Aut enim largitur, aut adimit, vtrumque ex amore ſcilicet, meamq; in frugem molitur. Et illud vſurpandum eſt Sacerdotis Heli, *Dominus eſt: quod bonum eſt in oculis eius, hoc faciat*: bonum enim & in meis id erit, vtcumque ipſe in partem vtramque decernat. Inde fit, vt qui ſuam ad Diuini Numinis voluntatem aggregat, eamque in omnibus, in quæ aggreditur, ſpectat, ſuis licet partibus, quantū eſt in ipſo, non deſit, ſucceſſum tamen Deo permittat; eo lætior, quem voluntas diuina dederit, ipſius licet votis aduerſo, quàm ſi idem ipſum, quod, & quomodo expetierat, eueniſſet. Quemadmodum ſuum hortatus eſt fratrem Ioabus, *Confortare, & agamus viriliter pro populo noſtro, & pro vrbibus Dei noſtri: Dominus autem, quod in conſpectu ſuo bonum eſt, faciet*. Hæc veró Baltaſar, quæ ſuo ipſe animo altè infixerat, ſtudentes precationi docebat. Quâ conſenſione cum Deo, fiduciâque, præclara, quæ diximus, ad proximos adiuuandos facinora, ſecundo ſemper euentu aggreſſus eſt.

Iob 1. 21. Ibid. 1. Reg. 3. 18.

CAPVT QVINQVAGESIMVM PRIMVM.

Sententiæ quædam grauissimæ de nostra diuinæ voluntati adiungenda; deque fiducia erga Dei prouidentiam, ex epistolis ad ægrotos, & calamitosos, solatij causâ, inter aduersa datis excerptæ.

QVanquam ad deuios reuocandos, excitandos tepidos, constratosque, prudentiâ ac dexteritate, vti memoratum est, plurimâ valebat Baltasar in litteris perscribendis, non minori profectò instructus erat facultate ad solatium, animosque ægrotantibus, ac miseris adiungendum: quippe qui procellis hisce iactatus, norat ipse, quid sit ærumnis, morbisque vexari: ex suo proinde hauriebat periculo, quæ alijs ad solatium suggerebat. Potissima verò in his erant, vt vidimus, summa cum diuina voluntate, prouidentiaque consensio, quam in vnam suum solatium omne, per ægrotationes, ærumnasque coniecerat; eâdemque per epistolas multifariam, ac suauiter ægrotis, afflictisque medebatur. Ex his libabo paucula, quæ nobis solatio esse possint, & frugi.

§. I.

Salmanticæ 19 Aug. 1574.

NObili Viro tertiana laboranti in hæc verba scripsit. Diuæ Gertrudi per diuinum animi excessum, indicatum semel est, Deum Dominum summè bonum, eodem amore, quo condidit „hominem, omnia homini impertire, quæ ipse illi aut immittit, „aut permittit; fausta sint ea licet, aut infesta, ipsius fructui vtro-„bique semper intentum. Hinc illud efficit Virgo sanctissima, „obcæcatos eos esse cum primis, qui hæc ipsis impensa, tantâ „cum amoris fragrantiâ, sibi minimè gratulantur; neque se inde „inter beatos annumerant. Te quidem, Domine, non obstrin-„git hæc cæcitas, sed, quæ Dei benignitas est, Diuini magisterij „lumine collustraris, qui te amanter, ac lautè accipi, tot lætitiæ „argumentis, existimes; febresque vrentissimas argumentum, & „nomen tenerrimarum facias gratiarum. Ex eo D. Laurentij a-„more tuus hic est, cuius ergo illum cratis incendia in Dei laudes „accendêre dicentem, *Assatus, Domine, tibi gratias ago*. Has & „ego immensæ Dei caritati persoluo, quòd ita te bonitatis suæ „muneribus dulcissimis anteuerrit, vt tua fides in ista iactatione „non nutet.

Ad

Ad optimatem alium non dissimili ratione scripsit, hoc pacto: Salamantica 1. Mar. 1576.
„ Probari Deo rerum tuarum locum, magno certè argumento est
„ ea, quâ frueris, tam constans, assiduaque tranquillitas; vt in
„ eo, tanquam in centro, quiescere videaris. Gratissimum mihi
„ quidem id accidit, optanti maximè vt te, tuaque omnia ad re-
„ gulam hanc certissimam explores. Quòd si cynosuram hanc
„ sequêris, ab ærumnarum fluctibus sic emerges, vt ij animi tui
„ malaciam non confundant. Et iure quidem optimo: quos
„ enim luce Deus imbuit, vt, quantum habeant in ipso boni, per-
„ uideant, ijsdem etiam eâdem in luce commonstrat pretium æ-
„ rumnarum, quibus citatissimum corripitur iter ad spatia supe-
„ randa, quæ inter Deum & ipsos interiacent: iniurium verò di-
„ uinæ prouidentiæ illum esse, qui in impedimentis hæc habet. Si
„ enim & habere in virtute processus, & placere illi cupiat, cui
„ potiorem quàm sibi debet amorem, gaudere profectò opportu-
„ nitatibus illum oportet suæ in Deum voluntatis approbandæ.
„ Hæ verò cum ij sint euentus, quos obcæcata mortalitas appel-
„ lat infortunia, ærumnas, iniurias, eos ipsi hoc loco nequa-
„ quam habent, sed ad munera, beneficiaque referunt tantò qui-
„ dem ampliora, quantò grauiùs illi premunt.

Religioso viro dedit has litteras. Corpore tu quidem, mi
„ Pater, sed magis animo laboras. Opus est diuinæ suauitatis v-
„ trumque, vt in illius amplexum eas. Memini Deum indicare
„ aliquando Gertrudi, Sibi animam virtutum inopem intuenti,
„ stimulos ad eam conueniendam adiungi: deliciæ namque ipsius
„ sunt, esse cum filijs hominum; quorum & corpora doloribus,
„ & angoribus animos fodit; alteris grauioribus sæpè, quàm pri-
„ mis; vt ij nempe viam sternant ad se se; ac sese ad eum animum
„ deuocent, ac perpellant; iactis ad Deum altè clamoribus, v-
„ bi ne voculæ quidem antea mussitabant: Docet enim Re- Psal. 33. 10.
„ gij Vatis oraculum, *Prope esse Dominum ijs, qui tribulato sunt cor-* Psal. 90.
„ *de*: quin immò ipse Deus affirmat, *Cum ipso sum in tribulatione*.
„ Caritatem hanc, hanc habet causam tua ærumna, non odium.
„ Neque verò hæc est diuinæ in te voluntatis alienatio, sed dulci-
„ tudinis ipsius amplexus, eò sanè honore dignior, quò & arctior:
„ Nam & hoc argumento, arcti nempe complexus, mutuam
„ inter se caritatem solent approbare mortales. Tua si gliscit æ-
„ rumna, fiducia etiam augescat in Deum: ea te asseret in salutē.
„ Id Paulus de ægrotis affirmabat benè credentibus, *Fide conua-* Hebr. 11. 34.
„ *luerunt de infirmitate*. Suas in delicias ab se consitum, botrum
„ Deus tam acerbum vtique non leget. Quòd si, quam Deo im-
„ pendas, vitam tibi expetis, expetere illam licet, & expo-

„ ſcere: eo enim prouocatur Deus, non iniuriâ, ſed amore. Eidem „ proinde Gertrudi idem ipſe ſignificauit, Caritatis ſuæ clementiâ, quâ ſaluti ſtudet maximè animorum, adigi ſe ad referenda „ in nomen diuini Numinis demerendi, iuſtorum vota, quibus „ ij quædam ſibi priuata bona aut quærunt, aut expetunt: afflictos verò ſeù ægrotatione corporum, ſeù ægritudine animorum, „ ſi vel ſalutem, vel eius ærumnæ vacuitatem exoptant, vt præmijs (Deus inquit) eos afficere poſſim ampliſſimis, pro ea, qua „ illos caritate complector, me ab ijs expeti ipſe mihi perſuadeo. „ Prô verba intelligenti, quæ audit, arcani ſolatij liquidiſſimo „ nectare delibuta! Miſeret me quidem tui, pro eâ, in qua luctaris, arenâ; noui enim expertus, quæ ſit hominum imbecillitas; „ cùm hi, Dei permiſſu, ſuis dumtaxat viribus innituntur: vt liquidò intelligant, quàm minimum ſine ipſo valeant, quem ob „ fiduciam ſui deſtituunt. Atqui & ego ad vitæ mortiſque confinia ſum adductus; & tamen vita nunc fruor. Ad te ipſum redi: „ & tibi, quemadmodum mihi, maiore cum acceſſu virium idem „ euenire poſſe confide. Animos ac ſolatium ſume, ac ſcito, ad „ ſalutem, ac tua vota cætera promptiùs ſimul atque ſuauiùs obtinenda, viam eſſe expeditiſſimam, Deum officiis demereri; tui „ poteſtate illius nutui liberè, libenterque permiſsâ: dumque id „ à te Deus expugnet, noris, ab eo te in mortis crepidinem adductum iri. Quòd ſi ille te neutri propēſum parti, & in vtramq; „ paratum aſpexerit, reſponſum ex Deo, vti ex cæleſti Accenſo „ Abrahamus iam iam filium immolaturus, accipies: *Non extendas manum tuam ſuper puerum*: Deus enim id vnum experiri voluit, quid, & quantum ipſius in te ſit: id expertus parcere te filio iubet, & hunc arietem immolare. Nouerat profectò Deus „ ſine hoc periculo quantum ipſe in Abrahamo valeret; ſed ipſe „ tamen Abrahamus de ſe ignoraſſet, an paribus ad rem tantam „ viribus eſſet inſtructus, niſi Deus in eas illum anguſtias conieciſſet: neq; tantam cepiſſet voluptatē ex incolumi filio, ſi cum Deo „ egiſſet cunctanter, ac parcè; & ſuis aliquatenus partibus defuiſſet in obſequio illi deferendo, qui filium ipſi tanta cum liberalitate, & cum honore tanto reliquit. Nulla, crede mihi, „ ad haſce ſuperandas anguſtias compendioſior alia erit via, neq; „ tibi voluptuoſius quicquam erit, cùm reſtituēre ſaluti. Clauſis, „ vt aiunt, oculis, manibus te prouidentiæ diuinæ permitte; certus id tibi non malè ceſſurum. At enim diuinæ illæ manus clauis permiſere ſe crucis, vt præſentem, æternamque tibi requiem „ compararent.

Gen. 21. 10.

§. II.

§. II.

GEminas item in hoc argumentum epiſtolas geminis nobilibus Matronis dedit: quarum altera ſic habet. Cognoui tuis ex litteris permultas, quibus vrgeris, ærumnas: alias ſubaudiui perplures, grauioreſque, quàm indicas: atquî ſi poſſent exponi penitus, permagnæ non forent. Memineris eam, quam expectas à Deo, dulcedinem, his atque huiuſmodi alijs eſſe conſperſam, quibus eius amplitudo commonſtratur. Spectaculum, Auguſtinus ait, ſperant iuſti ſe eſſe viſuros, dulcedinem continens in ſe tantam, vt mente quidem attingi ea poſſit, cōprehendi non poſſit. De tuis, quas in te congerit Deus, ærumnis quid dicam ignoro, niſi Dauidicum illud de Deo pronuntiatum, *Congregans ſicut in vtre aquas maris, ponens in theſauris abyſſos.* In hac tantarum rerum vnam in animam congerie, quæ quidem inſuaues ita ſunt ſingulæ, vt alia aliam cumulo inſuauitatis exuperet, abyſſos inquit Deum ponere in theſauris. Theſauros conſilia ſua nuncupat, arcana ſua, &, qui noſtram mentem fugiunt, cogitatus: quibus ad nos promouendos in virtutem, animoſque ad perfectionem perducendos vtitur. Et iure quidem optimo animorum theſauri hæc conſilia nuncupantur: ex ijs enim vniuerſæ in eos confluunt opes, felicitas ipſorum omnis; quicquid ſolatio eos imbuit, ac doctrinâ. In hiſce theſauris Deum abyſſos ponere Dauid affirmat, cùm plurimas vnum in hominem ærumnas congerit. Profundum, arcanumque verbum id eſt, quod ſi minus Deus explicet, nequaquam intelliges. Pulſa tu interim ad eius fores, quas ipſe nō ſine myſterio non recludit: ac dum eæ reſerentur, arcanum quod aſſequi mente non potes, venerare ſilentio. Cupiditate flagrat incredibili Deus contemplandi in nobis Filij ſui expreſſam, quoad eius fieri poteſt, ad viuum imaginem. Quòd ſi deſertos nos, & afflictos gaudet aſpicere: ſtudia ipſius omnia hoc moliuntur. Poſtquam inſignia, quæ Fides nobis affirmat, diuinus induit Filius, quo Pater vnicè gaudet, ea à nobis non expeti, & cùm ab ipſo illis amicimur, confeſtim nos genua non ponere, animoque amantiſſimo item, ac reuerentiſſimo grates illi non agere immortales, patiēter ferre non poteſt. Non ad pompam modò verborum, ſed ad intimum animi ſenſum excipienda ſunt hæc, vt arcanum in nos influat ſolatium. Atquî Deus, qui pœnas iteratò non repoſcit, ſemel eas vbi ſumpſerit, ærumnâ vindicat temporariâ, quod igne vlciſci debuiſſet æterno: & odoratâ diluit aquâ, 12. Maij. 1571. Pſal. 32.7.

„ quod ſanguine fuerat per cruciatus immaniſſimos expiandum.
„ Amanti Deum, adeòque excitatores hos ab ipſo mitti intelli-
„ genti, haud alia inculcanda ſunt nomina, vt illos omni amore,
„ & honore dignetur. Eos omnes in beneficijs numerat, in Dei
„ tabellarijs, in cæli luminibus, in ſpectatiſſimis diuinæ beneuo-
„ lentiæ argumentis, in ſagittis eius amoris, quem licet durum,
„ ſenſu tamen carentem eſſe non ſinunt. Huc tu deſtinaris à Deo,
„ cuius amore ſi nôdum exæſtuas, time. Tuas huc ille refert æ-
„ rumnas, in quibus ſi minus diuina beneficia intueris, tuis illacry-
„ mare culpis, quarum caligine tam conducibilium, quæ Deus
„ conſultò legit, præſidiorum felicitatem, diuitiaſque non vides.
„ Dum hæc intelligas, non niſi te Deus inſipientiæ dabit: dum
„ hæc tibi ſapiant, Deus tibi non niſi toxica propinabit: dum hæc
„ magni facias, te Deus volet abiectam; dum huic rerum ordini
„ acquieſcas, quicquid optaueris, cadet ad irritum; quicquid ac-
„ ciderit, vertet in odium: euenient tibi præpoſterè omnia, om-
„ nia deerunt: eò quia vni tu illi dees rei, quæ explere, ornare,
„ erudire ipsâ potitum poteſt. Hinc illud Auguſtini in ea verba
Pſ. 33. 5. „ Dauidis: *Exquiſiui Dominum, & exaudiuit me*. Qui non exaudi-
„ untur, non Deum, ſed alia ab ipſo quærunt: cumque iniurioſi
„ Deo ſint, amari ſe magis, quàm ſua bona volenti, plectuntur
„ ſcilicet, quando & ijs ipſis bonis, & Dei intima familiaritate
„ fraudantur. Pœna certè tali digna ſtultitiâ. Fluxit in longum
„ ſermo: ſed eo ſum vſus, vt breuitatem cæteris reſeruarem; &,
„ quòd à Deo in te cœpta promouere percupio. Tuis ærumnis
„ equidem doleo; ſed doleo tamen magis, quòd eorum theſau-
„ rū ex parte licet agnoſcas, tam modica ea tamen pars eſt, vt ſatis
„ mihi non ſit: ardes, at parum; luces, at parcè: his omnibus
„ curas tu leuiores adiungis. Pace tua dixerim, neque tuam ino-
„ piam, neque opes tibi à Deo ingeſtas intelligis: indeque fit, vt
„ nec eo quo par eſt honore, quæ tibi allegat Deus excipias, neq;
„ amorem viciſſim reponas muneribus, quæ ipſe tibi per amorem
„ impertit. Etiamque vereor, ne in venenum migret antidotum:
„ neū leuem eius adeptura ſis gratiam, quam demereri plurimam,
„ pretio tibi ſtat vitæ.

Alterius epiſtolæ character hic erat. Deo ſint laudes, qui me-
Methymnæ 32. Martij 1572. moriam tui non abijcit. Quiſquis oculis ad videndū eſt præditus,
morbos, ex Auguſtini ſententia, Dei tabellarios ad ſe miſſos exi-
„ ſtimat, vt feſtinet ad Deum: ad meliora nimirum exſtimulan-
„ tes, conſultò diuinum Numen eos mittit, arguens & *caſtigans*,
„ *quos amat*. Non illud ego te celauero, gaudio à me concepto
„ pro diuina erga res tuas prouidentia, ex iſto vulnere, nihil de-
ceſſiſſe,

„ cessisse, immò plurimum accessisse. Vide qua te caritate com-
„ plector, *Liuor vulneris abstergit mala*; diuini Spiritus oraculum Prou. 20.
„ est. Vim disce verborum, & munus intelliges. Sensus est, mor- 10.
„ bus in membris, & salus in animo: pretio malorum corporis,
„ animi bona càro non væneunt. Prosequere porrò tuæ abdica-
„ tionis incæpta, câ enim in scholâ nunc doceris. Propositum
„ tibi est Deum vnicè quærere: nacta illum es, socium illi ne ad-
„ sciscas, ne illi conſciscas iniuriã: quam vt ipse auertat, eo nunc
„ consilio rebus asperis te deformat. *Nolite me considerare*, castis- Cant. 1. 6.
„ simæ illius Sponsæ sunt verba, *quòd fusca sim, quia decolorauit me*
„ *sol*. Neque porrò alius ab eo, vel cum eo alius est quærendus;
„ illud enim ad perfidiã, hoc ad libidinem pertineret. Ne hanc
„ illi contumeliam imponas, vt tuæ mensæ quenquam ei sodalem
„ adiungas. Dic illi, tuo vt in animo conquiescat. Id verò si
„ quomodo sit futurum, addubitas, ex eo quære; reuerenter in-
„ terrogans audies respondentem; Filia, sine me, vt, quæcumq;
„ voluero, tecum agam. Hoc tu pluris æstima, quàm quæcumq;
„ mortalia, vel immortalia ab eo possis accipere. Næ ille con-
„ tentus hoc erit; tibi verò ad animi opes, & fructum cumulus
„ longè maior accedet. Magnificè de Deo in re quacumque fac
„ sentias; deque illius operibus persuasum idem habeto, quod
„ Moyses, *Quoniam Dei perfecta sunt opera, & omnes viæ eius iu-* Deut. 32.
„ *dicia recta, & iusta*. Siquidem verò te cooptauit in filiam, ne 4. 19.
„ illum irritaueris: sentiet enim, pœnasque à te reposcet: quod
„ & de alijs sacræ litteræ meminerunt, *Vidit Dominus, & ad ira-* Psal.
„ *cundiam prouocatus est; quia prouocauerunt eum filij sui, & filiæ.*
„ Reputa simul quanto cum rubore excipienda sint verba mox ab
„ illo subiecta, *infideles filij*. Quantò autem loco tu potiore Ibid.
„ Deum habueris, tantò & à me habeberis meliore: quanquam
„ in præsentia tui apud me nominis existimationem cumulasti
„ non parum.

His vtebatur argumentis Baltasar, vt ægrotis, ærumnosisque solatium suauiter simul & fortiter impertiret; coniectâ in Deum fiduciâ, propriâque ad eius voluntatem aggregatâ; in quo nostram omnem opem, atque solatium collocata esse norat expertus; ab eo ærumnas in elementa & alimenta traduci felicitatis, in quæ, vti diximus, & sua ipsius aduersa traduxerat.

CAPVT QVINQVAGESIMVM SECVNDVM.

Toletum proficiſcitur; eiuſque Prouinciæ gubernationem aggreditur. Quarto poſt menſe Belmontij ſanctiſſimè diem obit.

CVm ſe & Deo approbaſſet jam cumulatè Baltaſar, & ad ſummum cum voluntate diuina conſenſum, atque perfectionis apicem extuliſſet, maturum Cælo, ſuauemque fructum decerpere diuino viſum eſt Numini. At enim quemadmodum profectionis ... eruanæ ad eam Prouinciam adminiſtrandam incommoda in meriti nomen Deus adſcripſerat; quippe illam, vt memini, ex animo, quantum in ipſo fuit, acceperat; itâ cumulum etiam voluit ab illo Deus meritorum augeri, alacritate, qua ſuam operam eodem in hoc munere Toletanæ Prouinciæ pollicitus eſt; eius trimeſtri paulò plus labore contentus; naui militis inſtar in ipſa pugna ſtrenuè ſuis partibus & vita defuncti.

Poſt ſolemnis ieiunij dies anni 1580. Villagartiâ profectus eſt, cum eo, quem capite octauo, & quadrageſimo diximus, apparatu: hoc eſt, cum Chriſto, vti dicebat ipſe, ſuo in corde cruci ſuffixo: cumque ipſius comitatu fideliſſimo, paupertate, contemptu, atque doloribus: ſummis in theſauris, honoribus, ac delicijs numerans dulciſſimi ſui IESV comitatum hunc amore ſimul, & æſtimatione digniſſimum. Valliſoletum adijt, ſui Collegij Fundatrici, atque alijs optimatibus optimè de ſe meritis valedicturus. Ibi fortè ipſe tunc aderam: ſacris enim initiatus Sabbato ante Dominicum diem, cui a Chriſti perpeſſionibus nomen eſt, quo & Diui Ioſephi memoria recolebatur, rem diuinam primò feci in D. Ambroſij Collegio die Deiparæ ab Angelo ſalutatæ. Detentus verò ſum in Profeſſorum domo, vt meam cum aliorum opera coniungerem, in ſacris confeſſionibus per ſanctioris hebdomadæ, & Chriſti reuiuiſcentis dies excipiendis. Atqui ſubiectus cum eſſem ipſe Baltaſari, ille me proinde comitem ſibi ad ſuas ſalutationes, reſque alias peragendas adſciuit. Id ego ad felicitatem retuli; tunc enim ipſius verborum, ac rationum vim, ſpiritum, & ardorem experimento locupletiore cognoui. Cumque lingua ex abundantia, vt aiunt, cordis loquatur, ipſius labia diuini Cant.5.13. Sponſi labiorum videbantur eſſe ſimilia, quaſi *lilia diſtillantia myrrham primam*. Neq; enim ſuauia ſolùm erant; ſed & odorē efflabāt

robuſtum

robustum pariter,& acutum: atque vndique primam illam distillabant myrrham cælestis huius Sponsi, paupertatis, contemptuum, ac dolorum: quæ animo tã altè imbiberat, vt de his sermonẽ cum ijs, quos inuisebat instituens, eorum animos sui spiritus igne succenderet; eaque meditandi, atque imitandi ardentissimam ijs cupiditatem inijceret. Perque vias ingredienti aliquod ipsi subinde verbum in hoc argumentum effluebat, quo & in me licet egelido excitabat ardorem. Comitem illi me ad Toletanam vsque Prouinciam animo vtique perlubente dedissem; eius vt suaui, sanctaque societate perfruerer; meoque animo nonnihil eorum adhæresceret sanctissimorum comitum, quos ipse suo gerebat in corde. Sed venia mihi à Præposito non fuit: iussusque sum Villagartiam reuerti, vt à Baltasare audita ibi mecum animo retractarem. Octauo post die discessit, suamque in Prouinciam deuenit: in qua eorum aliqui, qui norant illum initio aduersum se ipsum, aliosque asperum, ac seuerum, ab eo rati eundem custodiri vitæ, morumque tenorem, cæteros nempe aliquem in metum adduxerant. Error tamen depulsus est breui: specimen quippe dedit extemplò Baltasar earum virtutum, quibus ornatus à Deo fuerat, Christianæ nimirum humilitatis, lenitatis, & comitatis. Domum enim Toletanam ingressus antiquiores in Patribus submissè admodum coluit. Francisci Stratæ, aliorumque seniorum Patrum ibi commorantium cubicula adiuit: flexisque genibus eorum manus postulauit ad osculum. Statimque Strata, Prouincialis, inquit, in genua tàm submissè procumbens, bonus erit Prouincialis: *Vbi* enim *est humilitas, etiam est sapientia cælestis*; oraculum Sapientis est. Deus verò cum primis amans humilium, cælestem ijs lucem atque prudentiam, tum in regimine leuamen impertit: quo impertitum se Baltasar ipso in exordio suæ inspectionis ostendit, res suæ Prouinciæ maturè adeò, prudenterque componens, vt vniuersos incredibili voluptate perfuderit. Quæ fama vbi & reliqua Collegia peruagata est, eius præsentiã frui quantocitis exoptarunt. *Prov. 11:2.*

Socium sibi adsciuit in munere Alphonsum Montoium, qui Prouinciam deinde Castellæ administrauit, postquam Professorum domui præfuerat. Is religione plurima, doctrina, prudentiaque vir ordinem retulit à Baltasare ipso in itinere custoditum. Manè precibus tres horas dabat, aut quatuor: ad diuersorium vbi deuenerat, sacris sedatè operabatur; agebat deinde gratias; & conscientiam singulari examine scrutabatur: sequebatur prandium; breuique interuallo (à verno enim tempore otium suppetebat) pia quæpiam lectio, & horarum recitatio. A meridie totum ferè iter

ex-

extrahebat orando; nocte demum, matutinas preces persoluebat; serie in omnibus eádem, quæ in Collegijs, obseruatâ. Quorum in lustratione exemplo vniuersis, vt in Aragoniæ Prouincia, prælucebat. Sed enim, cum ab eo res optimè gererentur, cursum illi Deus morte felicissimâ, eius nimirum vitæ consentaneâ intercepit.

Lustratis enim Toletana Professorum domo, & Complutensi Collegio, domoque item Probationis Villaregiensi Fontana, labore multo defunctus, suo illo, & domi nostros, & extrarios in Templo cohortandi ardore, vt omnes, si daretur amoris diuini flammis exureret, Villaregij implere præscripta quàm diligentissimè occœpit, ad obtinendam Iubilæi, quam vocant, amplissimam noxarum veniam, á Tertio decimo Gregorio Christianæ Reipublicæ faustitatem procurante concessam. Indicta ieiunia vtrâque hebdomadâ, reclamantibus nequicquam alijs, atque inualetudine, & imbecillitate satis excusante, perseuerè custodijt. Ab ieiunio afflictæ in illo admodum corporis vires: etsi animus, ad parata iam ipsi sedulò comparabat sese. Accessit his æstus, vrensque sol per iter mense Iulio toleratus. Quare Belmontium aduectus in febrim incidit, nostrorum quidem, & Medicorum iudicio haud magni ducendam; at verò vir sanctissimus diem indici sibi præsensit; in quem illicò meditari, & comparare se diligenter incepit. Vitam omnem generali confessione apud socium Montoium recognouit: diuini ferculi viatico summa cum pietate munitus est; oleoque sacro, petente ipso, maturè ac sedulò instructus; non sine plurimis argumentis reuerentiæ, amoris, æstimationisque suæ erga hæc diuina mysteria, gratiæque cælestis opem per hæc ipsa sibi collatam, ac summam Numinis benignitatem, quæ ipsius animum euocaret ad sese. Visentes, vt precibus ac Deo vacaret diligentiùs, non admisit. Socioque suggerenti, vt alium quempiam suo ipsius loco sufficeret, Sermonem, inquit, de negotijs quæso nunc abstine: non huius illa sunt temporis. Medicum de morbi periculo, exituque vitæ proximo indicaturum, ab eius nuncij metu quærentem ambages, Baltasar aduertit: eique constanter, Nihil est, inquit, cur supremam horam timidè mihi denuncies; nec viuere cupio, nec mori recuso. Patrum aliquis lætum illum á proxima mortalis huius carceris libertate cōspiciens, percontatus est, volens ne, libensque moreretur? Cui ille, Si alio vnquam tempore, cur non & nunc? Quo dicto & bonæ conscientiæ testimonium, & salutis suæ fiduciam approbauit. Quid verò mirum hos illi animos fuisse in extrema vita per sanctimoniā summam traducta, in qua media, similique discrimine, ea effatus est,

quæ

quæ nos capite octauo, & vigesimo retulimus, præsertim verò de suæ, quod & diximus, destinatione salutis diuinitus iam edoctus. Animam efflanti domestici omnes, cum tenerrimis æquè, vberrimisque lacrymis interfuere; ijsque aliquod ad virtutem incitamentum ex eius ore tunc pariter expectantibus, suas tamen preces, intimamque cum Deo consuetudinem noluit vir cælestis abrumpere: cui animo præsentissimus placidè, ac tranquillè ad immortalitatem transijt septimo, quàm ægrotarat, die, noctis horâ quintâ, die Iulij 25, Iacobo, cui addictissimus fuerat, solemni; salutis anno 1580, ætatis suæ septimo & quadragesimo, ab inita Societate quinto & vigesimo. Ea mors accidit omnibus peracerba, quòd & tantæ virtutis exemplar ac fructum, cuius in ea Prouincia spem ipsius gubernatio fecerat, ereptum sibi cognoscerent.

Baltasaris obitu eo in oppido peruulgato, confluxere quàmplurimi, eius opinione sanctitatis exciti, quibus ille alio loco vel tempore innotuisse non poterat. At verò Deus honorem delaturus extincto, Collegium impulit Belmontensis Ecclesiæ, vt eius humandi curam vltrò susciperet. Solemne ab ijs funus cum supremæ pietatis officijs celebratum est: illatusque fuit in tumulum, quo & cæteri Religiosi viri conduntur.

Perlatus in Castellam nuncius ingenti dolore tum Socios, tum extrarios grauissimos, & Optimates affecit; Ducem verò maximè Friasiam; quæ, cùm primùm de infensa Baltasaris valetudine audijt, iumentum eduliorum lautitiarumque sarcinâ onustum ad eum Villalpando confestim misit. Nuncio deinde mortis allato, dolore perculsa tam graui est, aliique cum ea primores illic viri, vt Villagartiensis Collegij Rectorem acciuerint, à quo aliquid solatij in tanto luctu perciperent. Neque id leuius Magdalena Vlloia tulit, Villagartiensis eiusdem Collegij, ex quo ille aliam in Prouinciam discesserat, fundatrix. Ab eius Templi sacellis funebrem illi psalmodiam, & solemne sacrum musicis ad organum concentibus persoluêre. Patres item ibi domestici omnes eadem illi pietatis officia impendêre; apud quos recens erat Rectoris, Parentisque sui memoria. Quanquam verò plurimis vbique hostijs parentatum illi est, plures tamen, & in his grauissimi, doctissimiq; viri fuere, qui eius commendauêre se precibus; cuius ope iuuari se cum maximè in Cælo posse confiderent. Hæsi equidem admiratione perculsus, Deique consilia deueneratus sum, vitæ stamina tanto viro intercidentis, id ætatis ac rerum, cùm, pro naturæ statu, æuum vtique producere diù posset; pro gratiæ verò, opportunus maximè tunc esset ad vberrimam ferendam frugem Ecclesiæ,

in suæ item familiæ Socijs,& extrarijs. Sed enimuerò ipse huius vineæ Dominus, palmites, quo & modo & tempore vult, serit, putat, amputat: cui nemo dicere possit insimulans, *Cur ità facis?*
Iob.9.12. Eorum enim, quæ Deus agit, ratio non est ab eo reposcenda: Agere enim ipsum, ac velle aliquid, æquissima ratio est, cur illi omnes assentiant, rectumque ducant & optimum, quicquid ipse peregerit. Breuiore, quàm Baltasarem, æuo Patauinum Antonium euocauit, fructum animorum longè locupletissimum capiẽtem: paulò item productiore, Asisiati Francisco, Thomæ Aquinati, aliisque viris sanctissimis diem dixit: nulla planè respectu vitæ ijs producendæ, vt, quibus vel doctissimis libris, vel sanctissimis operibus manum admouissent, ijsdem & supremam imponerent.
Psal.36.18. *Nouit enim Dominus dies iustorum*, eorumque numerauit merita, & coronas. Cùm primùm verò diuinæ mentis consilio res congruunt, terris eos eripit, quos in consentaneâ gloriæ sede locet in Cælo. Simulque nos admonet in hac mortalitate superstites, vt iter hoc scilicet maturemus; vigilesque ac succincti nos ipsi in exitum comparemus: nobis enim minimè cogitantibus aderit Filius hominis, rationemque à nobis vitæ nostræ repetet, affecturus aut præmio solertiam, qua ipsius aduentum opperti fuerimus, aut mulctâ desidiam in custodia diuinæ legis adhibitam.

CAPVT QVINQVAGESIMVM TERTIVM.

Diuina quædam ostensa de ipsius felici obitu, gloriaque. Post suprema aliquibus, vti viuens, opem cælesti vi affert.

Ps.115.15. CVm *pretiosa sit in conspectu Domini mors Sanctorum*, quos ipse
Ps.111.7. *in memoria æterna* vult esse, rationes etiam comminiscitur, quibus eorum apud se æstimatio, & amplitudo testata Fidelibus sit; nunc quidem priuatis è cælo ostensis, nunc prodigiis, nunc aliis id ipsum affirmantibus argumentis. Diuino proinde visum est Numini, sanctissimi huius viri mortem, & quàm ea suis in in oculis pretiosa fuerit, ipso eius die diuinitùs indicare.

§. I.

BVrgos in hunc Baltasaris decessum idcirco Deus elegit, quòd inde eius fama faciliùs poterat in vniuersam Castellæ Prouinciam propagari. Aliqua ibi degebat ex ijs, quas Sancti Francisci Beatas vocant, castigatissimæ vitæ fœmina, studioque precationis cum primis addicta; muneribus in ea cum Deo consuetudine diuinis assueta; in qua futura quandoque discebat, ipsius præsagitionibus omninò planèque respondentia. Eaque vocem subinde audiebat imperantem sibi, quid ageret, fructuosum id semper; atque argumentis minimè dubijs, bono diuinoque spiritu illam agi. Hæc die quadam in preces effusa euocari se audijt, Veni, vt mei egregij famuli supremis intersis. Abstracto à sensibus animo ægrotanti præsens, sacrorum virorum, beatarumque mẽtium admixtam ijs cateruam vidit iacentis lectulo circumfusam. Quinque deinde alij subiere vestibus sacris insignes, clariori etiã, quàm priores alij, radiati lumine gloriâque. Quorum ex vno vis tanta lucis effundebatur, vt eum ipsa salutis nostræ Vindicem Christum esse putaret: edocta tamen est, nequaquam illum esse. Hic prehensum dextera manu ægrotum erexit, aliisque quatuor diuisis in latera, cæteris vndique circumiectis, ipse, beatæque simul mentes sanctissimam animam in Cælum inter gaudia, musicosque concentus extulere. Substitere ex Angelis duo, & corpus vnguento, ac thure curauere. Ipsa verò pompam exequiarum tantam, discessumque animæ tantâ gloriâ collustratum intuita, cum Antistitem esse ex Italia censuit, quem sanctimoniæ nomine colebat, amabatque summoperè: indicatum illi tamen est, haud illum esse, sed Toletanum Prouincialem ex Societate IESV. Ab hisce visis, ipso, quem diximus, die Baltasaris sublati ex hac mortalitate Belmontij, rem narratura contulit actutum sese ad Christophorum Riberam, probatæ virtutis, prudentiæ, ac sanctimoniæ virum; qui deinde Prouinciam hanc administrauit. Is narratam sibi rem trutinâ diligenti perpendit: allatoque deinde nuncio de Baltasaris obitu, & assentientibus adiunctis, diuinum hoc ostensum ad illum referendum esse cognouit. Eadem verò aliquot post annis Vallisoleti, quò profecta erat, de rei certa serie à Francisco Salsedio Societatis nostræ, Baltasaris ex fratre nepote interrogata, eam apud se esse respondit descriptam in autographo, in quem collata sibi à Deo præcipua munera exponenda Confessario referebat: se verò, postquam hoc à Deo munus acceperat, quippe quæ animam illam tanta cum gloria Cælum subeuntem aspexerat,

illi se commendandi quotidie nec memoriam abijcere vnquam potuisse, nec curam: postmodum verò innotuisse sibi illum fuisse Baltasarem. Quare simul omnibus, quæ diuinum in hoc visum conspirauere, simul eius, cui ostensum id est, sanctimoniâ vitæ spectatis (cui de morte etiam gloriaque sanctissimæ Parentis Teresæ IESV commonstratum aliàs est, exitusque illi probæ, probatæque vitæ par contigit) suspicionem erroris omnem ab eo viso abesse putandum est: Cęlites verò, beatasque cæli mentes, quibus ipse, cum vixit, addictissimus fuit, conuenisse ad honorem illi in funere deferendum. Siquidem verò vir ille fulgoris tanti haud erat Christus, non absurdum est credere, eum fuisse Parentem nostrum sanctissimum Ignatium, cuius filius erat æger; seù Apostolum longè inclytum Iacobum, cuius solemni die suum Baltasar obibat: aut alium ex ijs quempiam, quos impensiore studio, & amore coluerat.

Sanctissima Parens Teresa IESV Methymnæ Campi, vbi degebat, Baltasaris obitum accepit: duasque plus horas à lacrymis sibi temperare non potuit, solatium alijs frustrà illi ferentibus; rogantibusque, cur tam procul habens ab animi sensu mortalia, hoc vnum ipsi accideret tam acerbum? Sum, inquit, in luctu, quòd iacturam Ecclesiæ Dei, ab excessu tanti eius famuli, præsentem, ac futuram intelligo. Atque in his, duas plus horas, animo à sensibus alienato conticuit: quid actum interea secum sit, non dixit. Nouimus tamen memorata sæpiùs ab illa fuisse, quæ vndecimo capite diuinitùs patefacta ipsi meminimus; de sanctimoniæ nempe gradu, quo Baltasar eminebat in terris; deque ingenti gloria ad quam idem destinabatur in Cælo. Et ipse quidem ex ancilla Christi quadam egregia, sanctissimæ huic Virgini cum primis addictâ, & Societatis nostræ percupidâ, cuius mihi & virtus & veritas explorata certissimò est, illud accepi, mœrenti sibi admodum, inclytam hanc, sanctissimamque Parentem videndam obtulisse sese, multis post annis, quàm mortalitati decesserat; eamque, ipsius ægritudinis demulcendæ causâ, inter alia permulta, hæc ipsa verba ad ipsius solatium opportuna elocutam esse: Et ego sum filia Societatis; & ex ea Confessario vsa sum: & nunc profiteor in Cælo illum, & colo. Affirmatum id ab ea de Baltasare Aluarez dubitandum nihil est: Quanquam enim alijs vsa prius fuit, diutissimè tamen omnium confitentem hic audijt; ac suam illi opem, operamque diligentissimè contulit, donec ea demum sublimia sua illa cœpta perfecit; & quem Confessarium, & Institutorem habere suam ipsa in gloriam referebat. Cumque in Cælo nunc illum profiteatur, & colat, argumento est, gradum, sedemque ab eo ibi

ita præstantem obtineri, velut agens, in terris ipsa iam viderat.

At enim, quamuis diuina hæc ostensa plurimo sunt sanè solatio, certa ea tamen, ac nobis testata cum primis id efficit, quod hac in historia vniuersa commemoratum à nobis est. Tanta enim opera, virtutesque, ceù diximus, caritas erga proximos tanta, tanta in contemptu submissio, patientia in aduersis, voluntatis suæ in omni re cum diuina consensio, precationis ratio tam excelsa, tam constans, argumenta sunt ferè certissima, Deo illum perfrui, qui tam diuina præstiterit. Atquî constantiam in ijs ad mortem vsque retinuit, & plura multò, quàm egit ac pertulit, agere vtique ac pati percupijt. Inde Ioannes *audiuit vocem de cælo dicentem sibi, Beati mortui qui in Domino moriuntur: amodò iam dicit Spiritus* (cuius verba sunt facta) *vt requiescant à laboribus suis; opera enim illorum sequuntur illos*. Opera hæc ijs honorem deferunt coram Deo, Angelis, ac cœtu Sanctorum: & vbi miracula desint, hæc ipsa eorum subeunt vices; namque prodigiosa oppidò sunt, certiusque sanctimoniæ argumentum, quàm miracula cætera, quæ ad confirmandam Fidei, quam profitentur, veritatem, non tamen ad virtutem, aut sanctimoniam, qua sint ornati testandam, possunt & à malis patrari. Neque verò desunt in hac historia res raræ, miræque, quibus vir hic sanctissimus ità insignitus est ad frugem aliorum, vt quædam veluti præmia fuerint ipsius laborum, præsidiaque ad processus in virtutibus habendos. Cuiusmodi fuit contemplationis donum, cum perraris ijs fructibus, quos laudauimus; scientia spiritus, ac Theologiæ, ipsius muneri consentanea, impertita illi diuinitùs: cognitio arcanorum cordium; futurarum, remotarumque rerum præsensio, ac præsagitio, quibus & honorificè accepit illum, ornauitque Deus in terris, & argumenta, pignoraque dedit indubia immortalium bonorum, quibus illum in Cælo collustrat & beat.

Apoc. 14. 13.

§. II.

AD hæc, ab eo iam immortali id operum geri voluit Deus, quod & rebus gestis à mortali pondus adiungeret, & sanctimoniam testaretur, & gloriam, quam eorum causâ consecutus erat. Etenim (quemadmodum sacrarum litterarum docemur oraculis) beatissimi patriæ cælestis incolæ, neutiquam eorum curam abiiciunt, quibus operam contulerunt in terris: immo, cùm ijs caritas in cælo sit purior, Deique perpetuo aspectu fruantur, preces ipsi pro illis adhibent, quibus opportunam necessariamque ijsdem opem exorent; ad tuendum augendumq; bonum, ad quod

eorum

eorum animis adiunxerant incitamenta, dum viuerent. Fidem his adstruit, quod secundo Machabæorum libro de duobus legitur, ex antiquæ legis instituto, sanctissimis viris, Onia Sacerdote summo, & sacro Vate Ieremia; qui elatis in Cælum manibus multum orabant pro populo Israel. Et Petrus in Apostolis Princeps, Fidelibus, ad quos alteram dedit epistolam, recepit, *Dabo autem operam & frequenter habere vos post obitum meum, vt horum memoriam faciatis*, quæ ijs nempe Christi fidem promulgando tradiderat: eidem muneri inuigilare clam perstans, cui palàm suas olim curas impenderat. Idem diuino nutu & Baltasari contigit, commendatos sibi proximos adiuuandi tam cupido, vt sublatus hinc etiàm suum erga eos munus obire perseuerauerit; solatium in ærumnis, animosque in promouendis benè cœptis adiungens.

2. Machab. 15. 12.

2 Pet. I. 15.

Ita Oecumen: & Bellar. lib. de cultu SS. c. 1.

Horum prima dicatur Anna Henriquia, de qua supra meminimus, matrona prænobilis, piaque, ærumnis exercita prolixè, coniux item, ac vidua. Hæc pro sua in Baltasarem pietate, postquam nuncium de ipsius obitu accepit, opemque sensit per ipsum sibi collatam id temporis, rem omnem, amputatis quibusdam studio breuitatis, in hæc verba conscripsit.

De Baltasaris Aluarez affecta valetudine admonita Vallisoleti cum essem, die Transfigurantis se Christi solemni, Professorum Societatis Templum adiui, sacra Confessionis, & Communionis mysteria obitura; & auditura simul, quid de illo ægrotante ferretur. Decessisse illum accepi. Qui nuncius meum animum tam altè perculit, vt explicari vix possit: tantum mihi solatij, opisque periit, quo tempore viduitas mihi recens erat, & pectus ab ærumnis ægerrimum. Atque etsi conscij horum aliqui studebant adhibere mihi solatia, nihil ij tamen suis apud me argumentis valebāt. Nocte deinde cum hoc tanto mœrore decubui. Manè verò euigilanti maturrimè, sanctissimus hic vir in mentem venit: eâq; memoriâ gaudium mihi obortum est ingens; res pro eo, quo tunc eram statu, id temporis, tam repente, nulla ope, operâque nullâ, certè quidem notabilis. Simul intimè suadebat ratione multiplici, mœrorem vt abijcerem; eaque suadela plenissima erat suauitatis ac nectaris. Mox breuissimo tempore perplura sum edocta, quibus illis obiretur incommodis, quæ ab illo erepto mihi sese offerebant: atque ijs occurri cognoui per citatiores, tutioresque, quàm humi, tabellarios expeditos in Cælum. Simul etiam discebam, quanto cum puluere ac cœno inter sese hîc in terris ipsi etiā Dei famuli congrediuntur. Assequi certè non possum, quo pacto illum mihi viderem adesse, qui ab sensu videretur esse tam procul:

quod

quod sanè mirandum est maximè. Recreata eum in modum fui antequam surgerem, vt, quanquam vellem dolere, non possem. Ea me voluptas in Templo Societatis horis illis antemeridianis, triduoque post habuit. Exinde videbar mihi illum intueri assidentem ad latus, non mentis dumtaxat imagine, sed ratione alia longè dissimili. Hoc elapso deinde triduo, quanquam id ipsum maximè cuperem experiri, non poteram: eius tamen memoriâ mirificè delectabar: quemadmodum & cum viueret, remotus etiam magis, quàm præsens mihi se suauissimè, & castissimè adiungebat; non ad mea tamen, quoties id voluissem, vota.

Aliquot post annis die Nouembris 17. anni 1587. Sanctissimi Gregorij Thaumaturgi die sub vesperam, ægritudine animi summa confecta cum essem, aliquos recitare psalmos occœpi. Quanquam verò animum mihi versus aliqui tenerè demulcebant, solitudo mihi tamen plurima erat; angebarque, quòd copia mihi nullius foret, quicum meum pro votis animum egererem. In his ego, conuerso ad parietem vultu, decubui. Familiari cuipiam meæ, cui cognitus Baltasar erat, ante dies aliquot amicè dixeram, Quãto equidem pretio colloquiũm nunc cum hoc Patre paciscerer! cumque tam procul esset, vt id euenire tunc posset, cum illo tamen præter spem fui: quem licet corporis oculis non aspicerem, assidentem mihi dexterum ad latus iucundissima consuetudine sentiebam. Audiebam illum cum maiestate simul, & facilitate loquentem; multaque mihi obuersabantur ex ijs, quæ per vitam mecum egit, ac dixit; tam verò dilucidè, quàm cum ipse vitam in terris agebat, & illius ego spiritu perfruebar. Sermonem cum eo tenerrimum intuli de rebus antea gestis, quæque tunc gerebantur. Videbatur silentio respondere mihi, consolari me, ac docere; suamque mihi opem, & operam polliceri. De Confessario meo dixi, rebusque alijs. Humanissimum erga me illum experiebar; cuius aspectu dolor, quo cruciabar animo, mitigabatur. Nullo vsus verbo lucem ad perplurima mihi afferebat: piam, qua mecum vsus erat, consuetudinem exponebat: mihique meus animus planè ab eo perspici videbatur. Cui ego, Pater, inquam, mecum siles? At ille visus est Cælum innuere, mihique illius cupiditatem inijcere; eiusque status ac vitæ amplitudinem insinuare: idque meum animum multa cum vi perpulit. De illius sanctimonia cognoui, quàmque seriam seruitutem Deo seruiuit; eique, Vitas, dixi, aliorum editas esse in lucem, cur Vita ipsius silentio premeretur? Silentio item, sic vt intelligerem, indicauit, Nihil interest: illud intelligens, ad diem illum extremum, quo res omnes publicam visuræ sunt lucem, spatium, quantumcumque illud sit,

mo-

modicum intereſſe, quod eſſet nempe temporarium: eoque mihi æternitatis miram fragrantiam, æſtimationemque reliquit.

Die item Sancto Andreæ ſacro, ab aliquo, quod inſuſurratum mihi in aures erat, verbo, angebar admodum. Eâ cum ægritudine diuinam ad menſam accedens, Virum hunc ſanctiſſimum adeſſe mihi, vt aliàs, ad dexterum latus ſenſi: eumque neque oculis materiatis obiectum, neque verba promentem, audiebam tamen, & intelligebam. Affata ſum illum; atque ea, quæ animum occupauerat, diſiecta illicò nebula eſt; atque recreata ſum ſimul, & confirmata. Videbar mihi adiunctum illum ad docendum habere Magiſtrum: cùm verò ſacra hoſtia adoranda populo oſtentabatur, eamque ipſa deuenerabar, illum propter me ſenſi diuiniſſimæ Euchariſtiæ reuerentiam plurimam exhibentem. Id mihi argumento fuit, multum illum valere apud Deum; atque à Deo probari, opem ab illo mihi, quæ à me ſenſu perciperetur, impendi. Mihi verò gratias agenti, quòd adeò tempeſtiuè opitulatus mihi fuerat, id omne acceptum Deo referendum eſſe indicauit: ex quo quanta Deum fidelitate coleret, ſemperque antea coluiſſet, planè cognoui.

Alia item notæ, laudatæque probitatis Dei famula narrauit, ſeſe, per ſummum animi afflicti languorem, Baltaſaris meminiſſe; eumque enixè implorаſſe ſic, Pater, fer opem mihi: mox illum ſibi viſum eſſe per ſpeciem, ad dexteram ſecum perhumaniter verſantem. Cui tunc ipſa: Pater mi, fieri poteſt, vt in quam tantum boni tanto cum amore contuliſti dum viueres, nunc meliori ſorte potitus, auxilio mihi non ſis? affer opem. Adhuc tamen animus ægrimoniam retinebat; donec verba hæc, quæ illius eſſe ſibi videbantur, animi ſenſu intus audiuit: Enitere ad perfectam virtutem. Quo illa recreata eſt, egeſtatemque ſuam, ac ſancti illius Viri præſtantiam intelligens, brachium eò protulit, vbi præſentem Baltaſarem ſentiebat, aitque; Pater, porrige mihi manum. At ille porrexit nempe; & ipſa lacertum, vt in viuente conſueuerat, eâdem amictum veſte conſpexit; quem & arripuit: idque ad argumentum fiduciæ retulit, fore vt Dei voluntas in ſeſe, pro ſuo voto ſcilicet, impleretur. Hic iucundus eius aſpectus euanuit: non tamen amicti eius lacerti, arreptique à ſe, vti diximus, imàgo impreſſa ad viuum effluxit.

Grauis admodum doctuſque ex Societate Pater, familiaritate Baltaſaris vſus multâ cum viueret, teſtatus eſt, ſuis in neceſſitatibus momenti magni iuxta, ac parui, tum animi, tum corporis diuino ab ſe Numine, nomine Baltaſaris, implorato, eò interprete, adiutum ſe, recreatumq; fuiſſe: idque aliquoties. Ad genus verò

mi-

miraculi referebat opem in re arctissima sibi ab eo semel allatam. Eiusdem aliàs in re simili nomen implorans, intimè sibi edicentem audiuit, In difficillimis eiusmodi rebus ad Deiparam confugiendum. Paruit: & releuatus est plurimùm. Belmontij rursum idem repetens, illum secum submissè loquentē audiuit; extimâq; voce exorsum effari, voce intima, afflatu nempe desiuisse. Neque verò vacat arcano, signa hæc omnia, Dei nutu impensa fuisse in solatia mœrentium proximorum; sed vt eam inde gratiam intelligeremus, quâ in ijsdem erigendis valuit apud Deum multâ, dum viueret; & quâ erga omnes valebit in posterum, qui sibi diuinam opem, conciliatore illo, deposcunt.

CAPVT QVINQVAGESIMVM QVARTVM.

Baltasaris corpus ad Collegium Villagartiense defertur. Egregia in eiusdem funere concio.

ADeò pretiosa est in conspectu Domini mors Sanctorum eius, vt, affirmante Basilio, quemadmodum olim quisquis extincti cadauer contingeret, contaminabatur, ita nunc contra, quisquis sacra Viri cuiuspiam Sancti lipsana contrectat, vim opemq; ad sanctitatem inde possit elicere. Deique consilio fit, vt ea in loca plurima diuidantur, quò vbique ornamento sint, munimento, atq; præsidio aduersus hostes: ijsque honor à Fidelibus habeatur. Quòd si ex me quæris, inquit Ambrosius, quid in hisce Sanctorum cineribus, ac reliquijs deuenerer, aio, coli à me in sancti viri corpore vulnera Christi causâ suscepta: eius coli memoriam, qui cum virtute vitam omnem exegit; cineres coli confessione Christi Domini consecratos; sementem in ijs coli immortalitatis: corpus coli, quod me Deum amare docuit, mortemque ipsius gratiâ neutiquā formidare. Quid ni verò honorē corpori Fideles impertiāt, quod Dæmones reuerentur? At enim quanquam illud ij inter quæstiones affecêre doloribus, afficiunt tamen gloriâ in sepulcro. Coli denique à me aio corpus illud, cui honorem in hac mortalitate Christus attribuit; & quod regnaturum est in Cælo cum Christo. Atque hæ causæ sunt, ac fructus honoris & reuerentiæ erga corpora, reliquiasque Sanctorum: quos inter vbi extinctum aliquem numeramus, eius lipsanorum parte aliqua potiri percupimus. Hinc est, quòd ij, qui nouêre Baltasarem, tantum ipsius sanctimoniæ tribuêre, vt eius vel corporis, vel rerum aliquid, quod apud se custodirent, habere voluerint; ad honorem

In Ps. 115.

Orat. in 40. Mart.

Serm. 93.

illi deferendum, opemque ipsius implorandam; quo pignore diuinæ pietatis largiora munera obtinerent.

Hæc verò pietas in duabus præcipuè nobilissimis matronis effulsit. Altera fuit Ioanna Castillia, Villaregiensis Collegij fundatoris neptis. Ea cum vix quatriduano congressu transeuntem illac Baltasarem cognouisset, animi, quibus cruciabatur, angoribus solatij tantum accepit, vimque loquentis ad cor adeò demirata est, vt, quo non potuerat frui viuo, illum habere secum optarit extinctum. Quare Præpositum tunc illi Prouinciæ (is erat Franciscus Porrius) rogauit, mitteret sibi sanctissimi viri caput, quod apud se pij causâ solatij custodiret. Permissum id illi est paucis post diebus; tum eo nomine, quòd plurimum illi debebat Societas, tum pro pietate etiam plurima flagitantis. Missus ab ea est Patrum aliquis ex eo Collegio cum veste acu pulchrè depicta, & arcula pereleganter ornata, in quam illud includeret. Inerant capiti ex capillis multi recentes, intus etiam nonnihil cerebri nondum vndecumque corrupti: neque porrò grauiter olebat; quemadmodum neque ipsius cætera membra, cùm ossa, nondum exesâ in totum carne, lecta fuerunt in arcam. Quamobrem vis aliqua calcis est indita, quæ carnem omninò conficeret. Quanquam verò moram traxit id opus, nullus inde afflatus est odor infensus; licet grauissimus à proximis eadem in vrna cadaueribus funderetur. Caput hoc sanctissimum accepit illa deinde: atque in Oratorio ad id vnum extructo ornatoque pulcherrimè, seorsim ab altero, quod & domi habebat, cum honore plurimo collocauit; argumento nimirum suæ in Baltasarem reuerentiæ & caritatis.

Altera fuit Magdalena Vlloia, quæ suo in Villagartiensi Collegio, vbi tumulum sibi ipsa constituerat, optauit corpus humari Baltasaris, Confessarij olim, Institutorisque sui; & qui eodem in Collegio obtinuerat primus gubernacula, institutionemque Tyronum. Id illa à Generali tunc Claudio Aquauiua efflagitauit: neque verò is illi potuit repugnare. Missus est ad corpus deportandum Franciscus Salsedius ex Societate nostra, Baltasaris ex fratre nepos, de quo mentio fuit in Prologo. Is illud Villagartiam vsque clam abstulit. Vallisoleto, vbi morabatur hæc matrona, traiecit; eique dentem, quem auulsum apud se habebat, impertijt. Eo illa munere gauisa plurimum est. Patrum aliquos grauiores ex Professorum domo cupido sanctorum cinerum visendorum, & colendorum incessit. In his Iosephus Acosta tanta perfusus est odoris suauissimi vi, vt rogauerit, num odoramenta essent eb eo illic adhibita: negante illo, quanquam comparata iam

erant, respondit, nihil ijs opus esse; neque enim deesse domi, cui multa odoris suauitas sit afflata. Et verò persuauem fragrantiam Deus assolet corporibus Sanctorum aspergere; quanquam illam alij quidem certè, secùs verò alij sensu percipiunt. Villagartiæ cum Prouinciali Gonzaluo Abulensi, eiusque Collegij Rectore Ioanne Montemaiorio conuenere Vallisoletanæ Domus Præpositus Franciscus Galartius, Ioannes Soarius, Antonius Padillius, grauesque alij complures ex ea Prouincia Patres. Vallisoleto etiā accessere Quæsitor Ioannes Morales Salsedius Baltàsaris propinquus, & Iacobus Lopez Salsedius eiusdem ex fratre nepos, celeberrimi Sanctæ Crucis Vallisoletani Collegij Sodalis, quorum habita iam mentio est. Loculus sacrorum cinerum custos in eius oppidi Parœcia, cui nomen est à S. Boali, in comparato ad id tumulo depositus est. Postridie sub vesperam, ad corpus deportandum, solemnis illuc à Societatis nostrę Templo supplicatio instituta fuit. Præibant Scholastici quadringenti: tum sacri eiusdem nostri Templi Administri cum caterua Cantorum: deinde Societatis nostræ Patres, Fratresque. Exequias peracturus Quæsitor Salsedius sacris amictus vestibus incedebat. Feretro subiere Villagartiensis eius Collegij Rector, & domus Vallisoletanæ Præpositus, alijque in Patribus grauiores, alternis: quos omnes eius honorandi ardor incenderat; è cuius doctrina, vitaque sanctissima tantus in ipsos honor redundarat. Corpus excelso tumulo impositum est in media ara Templi maxima. Manè solemni sacro parentatum est, & concio peregregia habita ab Roderico Cabredio Prouincialis Præpositi tunc Socio, huius deinde Prouinciæ Præposito, Inspectore, atque in Prouincijs Peruana & Mexicana cum plurima Dei gloria, & proximorum, tum Indorum, cum Hispanorum fruge vberrima Moderatore. Post persoluta iusta, sacrum corpus in sanctorum lipsanorum arâ collocatum est, propter Eucharistiæ altare, eo in latere, in quo sacræ recitantur epistolæ: honorem Deo impertiente illi, qui ipsius gloriæ tam seriò, diligenterque studuerat. Ac veluti operam dedit Baltasar, vt hæc Matrona sacellum exstrueret tam illustre, tam multis, varijsque Sanctorum lipsanis instructum, vt honor ijs ibi tribueretur; ità Dei factum est nutu, vt eos inter ipsius corpus locum obtineret in terris, inter quos etiam eiusdem animus sedem adeptus erat in Cælo.

Quoniam verò oratio in hoc funere habita, præterquam quòd multâ referta est doctrinâ, pietate, & ingenio, breuem summam, iucundamque epitomen conscriptæ à nobis sanctissimi huius viri vitæ complectitur, operæ pretium duxi eam hîc attexere, quæ felicissimam huic historiæ coronam imponat,

Concio habita, quo die Baltasaris Aluarez laudatissimi, sanctissimique viri corpus in Villagartiensi Collegio conditum est.

THEMA.

Memoria Iosiæ in compositione odoris facta, opus pigmentarij; in omni ore, quasi mel, indulcabitur eius memoria: & vt musica in conuiuio vini. Eccli. 49.1.

FRequentes hodierna luce conuenimus in hoc Templum ad iusta iterum persoluenda singulari viro, cuius memoriam faustè, ac feliciter vsurpamus, Societatis nostræ Religioso Professo Baltasari Aluarez. Quanquam enim certa nobis spes est, beatissimam eius animam diù iam bonis, gloriâque perfrui patriæ immortalis (id enim persuadent nobis ab eo per hanc vitam exhibita perrara exempla virtutum) nostris tamen vt partibus cum sacrosanctæ Ecclesiæ ritus custodiâ defungamur, piis illi exequiarum officijs parentamus. De quo mihi in filijs ipsius omnibus minimo maximèque indigno, aliquid in præsentia locuturo, opportuna huic loco visa sunt laudata Regis sapientissimi verba; *Memoria Iosiæ*, &c. Quibus ille vniuersos sui populi filios hortabatur, vt inclyti illius, sanctissimique Regis Iosiæ memoriam retinerent, qui diuino à Numine publico suæ gentis bono datus tam præclara, tamque admiranda facinora suo, dum vixit, æuo præstiterat. Aiebat ijs porrò: Iosiæ memoria fas est pastilli sit odorati consimilis, pigmentarii eruditi manu compacti; ex quo suauissimus assiduò nobis odor affletur. Memoria hæc omnium in ore de illo loquentium, faui erit instar mellei, longè suauis, ac dulcis; omnium in auribus de illo audientium concentus instar erit in conuiuio periucundi. Verba hæc in virum hunc præstantissimum, cuius relictas nobis ex ipsius mortalitate reliquias eo in loculo custodimus, cadunt aptissimè. Quemadmodum enim Iosiæ nomen, quo Ignem Domini Hebræi significant, consentaneum illi est, ita & opera, quæ de altero Iosia memorantur, eidem sunt peraccommoda. Ignis Domini fuit oppidò ipsius assecla hic præignis: Ignem quippe dictis, ignem factis, ignem omni vita omnibus iniiciebat. Congruũt igitur ipsi perbenè, quæ de altero Iosia laudantur: congruuntque magis hoc die; quo illi suprema hæc munera Christianæ pietatis impendimus: idque ipsum in hac funebri

nebri laudatione propositum mihi erit ostendere. At enim Dei egemus ope: Deiparam igitur, cuius Baltasar studiosissimus fuit, & per quam plurima in ipsum à Deo corriuata sunt bona, apud diuinum Numen adhibeamus interpretem. Aue Maria &c.

PROOEMIVM.

MEmoria Iosiæ &c Mirificum sanè illud amoris est vinculum, necessitudo illa, nexusque, quibus diuinus Opifex res deuinxit omnes, quas inter similitudo aliqua, consensus, & ordo mutuus intercedunt. Mirificus etiam ille est quasi amor ingenitus quo esse simul expetunt, neque ab sese disiungi. Atque vt ea, quæ cassa sunt sensu, eaque etiam, quæ illo sunt prædita, carent tamen ratione, mittamus; apparet id in ijs maximè in quibus mens inest, si minus eius vsum vitiet deprauata voluntas. Cum enim ratio conferat ad hanc similitudinem, consensum, & vinculum cognoscendum, iuuat etiam ad coniunctionem hanc mutuam conseruandam. Hinc amor est ille tam vehemens, quo esse cum Genitore filius, cum filio Genitor, frater cum fratre, cum amico amicus, ciuis cum ciue, seruus frugi cum hero, fidus popularis cum humano & clementi Principe, vniuersi denique, inter quos conuenientia maior & copulatio intercedit. Eòque vis amoris tanti pertingit, vt vbi, quos diligimus, viuos non possumus, extinctos saltem habere nobis proximos, atque illorum adiungi cineribus cupiamus: demusque operam, vt illi post suprema naturæ vno simul in Templo, vno in Sacello, vno in sepulcro condantur. Sic vt is amor cum ipsa morte certare velle videatur, de quo liceat illud è sacris Canticis interpretari, *Fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio*: Quo inferni nomine sepulcrum intelligatur: quasi dicat; Non satis est mors, non satis est tumulus ad conuellendum insitum hunc amorem eorum, qui sese in vita mutuò dilexere: Etenim in morte ipsa, & tumulo coniungi cum cineribus cineres amant. Quoties enim, nec sine quodam arcano, ad amorem hunc hominum cordibus ab Auctore naturæ altè insitum indicandum, diuinæ paginæ in Regum, & Paralipomenorum libris illa Iudæorum Regum morientium vota commemorant, quibus expetebant intumulari cum Patribus? Et verò eorum illi eundem inferebãtur in tumulum: legimus enim, *Sepultusque est in ciuitate Dauid cum Patribus: Sepelierunt eum in sepulcro Patrum suorum*, &c. Contra verò si nobis in ijsdem libris est traditum, quempiam suorum parentum sepulcro caruisse, neque cineres cineribus adhæsisse, id nobis tanquam pœna, vti de Ioram, Ioas, & eorum

eorum animis adiunxerant incitamenta, dum viuerent. Fidem
2. Machab. 15. 12. his adstruit, quod secundo Machabæorum libro de duobus legitur, ex antiquæ legis instituto, sanctissimis viris, Onia Sacerdote summo, & sacro Vate Ieremia; qui elatis in Cælum manibus multum orabant pro populo Israel. Et Petrus in Apostolis Princeps, Fidelibus, ad quos alteram dedit epistolam, recepit, *Dabo*
2 Pet. 1. 15. *autem operam & frequenter habere vos post obitum meum, vt horum memoriam faciatis*, quæ ijs nempe Christi fidem promulgando tradiderat: eidem muneri inuigilare clam perstans, cui palàm suas
Ita Oecumen: & Bellar. lib. de cultu SS. c. 1. olim curas impenderat. Idem diuino nutu & Baltasari contigit, commendatos sibi proximos adiuuandi tam cupido, vt sublatus hinc etiàm suum erga eos munus obire perseuerauerit; solatium in ærumnis, animosque in promouendis benè cœptis adiungens.

Horum prima dicatur Anna Henriquia, de qua supra meminimus, matrona prænobilis, piaque, ærumnis exercita prolixè, coniux item, ac vidua. Hæc pro sua in Baltasarem pietate, postquam nuncium de ipsius obitu accepit, opemque sensit per ipsum sibi collatam id temporis, rem omnem, amputatis quibusdam studio breuitatis, in hæc verba conscripsit.

De Baltasaris Aluarez affecta valetudine admonita Vallisoleti cum essem, die Transfigurantis se Christi solemni, Professorum Societatis Templum adiui, sacra Confessionis, & Communionis mysteria obitura; & auditura simul, quid de illo ægrotante ferretur. Decessisse illum accepi. Qui nuncius meum animum tam altè perculit, vt explicari vix possit: tantum mihi solatij, opisque periit, quo tempore viduitas mihi recens erat, & pectus ab ærumnis ægerrimum. Atque etsi conscij horum aliqui studebant adhibere mihi solatia, nihil ij tamen suis apud me argumentis valebāt. Nocte deinde cum hoc tanto mœrore decubui. Manè verò euigilanti maturrimè, sanctissimus hic vir in mentem venit: eâq; memoriâ gaudium mihi obortum est ingens; res pro eo, quo tunc eram statu, id temporis, tam repente, nulla ope, operâque nullâ, certè quidem notabilis. Simul intimè suadebat ratione multiplici, mœrorem vt abijcerem; eaque suadela plenissima erat suauitatis ac nectaris. Mox breuissimo tempore perplura sum edocta, quibus illis obiretur incommodis, quæ ab illo erepto mihi sese offerebant: atque ijs occurri cognoui per citatiores, tutioresque, quàm humi, tabellarios expeditos in Cælum. Simul etiam discebam, quanto cum puluere ac cœno inter sese hîc in terris ipsi etiā Dei famuli congrediuntur. Assequi certè non possum, quo pacto illum mihi viderem adesse, qui ab sensu videretur esse tam procul:

quod sanè mirandum est maximè. Recreata eum in modum fui antequam surgerem, vt, quanquam vellem dolere, non possem. Ea me voluptas in Templo Societatis horis illis antemeridianis, triduoque post habuit. Exinde videbar mihi illum intueri assidentem ad latus, non mentis dumtaxat imagine, sed ratione alia longè dissimili. Hoc elapso deinde triduo, quanquam id ipsum maximè cuperem experiri, non poteram: eius tamen memoriâ mirificè delectabar: quemadmodum & cum viueret, remotus etiam magis, quàm præsens mihi se suauissimè, & castissimè adiungebat; non ad mea tamen, quoties id voluissem, vota.

Aliquot post annis die Nouembris 17. anni 1587. Sanctissimi Gregorij Thaumaturgi die sub vesperam, ægritudine animi summa confecta cum essem, aliquos recitare psalmos occœpi. Quanquam verò animum mihi versus aliqui tenerè demulcebant, solitudo mihi tamen plurima erat; angebarque, quòd copia mihi nullius foret, quicum meum pro votis animum egererem. In his ego, conuerso ad parietem vultu, decubui. Familiari cuipiam meæ, cui cognitus Baltasar erat, ante dies aliquot amicè dixeram, Quãto equidem pretio colloquium nunc cum hoc Patre paciscerer! cumque tam procul esset, vt id euenire tunc posset, cum illo tamen præter spem fui: quem licet corporis oculis non aspicerem, assidentem mihi dexterum ad latus iucundissima consuetudine sentiebam. Audiebam illum cum maiestate simul, & facilitate loquentem; multaque mihi obuersabantur ex ijs, quæ per vitam mecum egit, ac dixit; tam verò dilucidè, quàm cum ipse vitam in terris agebat, & illius ego spiritu perfruebar. Sermonem cum eo tenerrimum intuli de rebus antea gestis, quæque tunc gerebantur. Videbatur silentio respondere mihi, consolari me, ac docere; suamque mihi opem, & operam polliceri. De Confessario meo dixi, rebusque alijs. Humanissimum erga me illum experiebar; cuius aspectu dolor, quo cruciabar animo, mitigabatur. Nullo vsus verbo lucem ad perplurima mihi afferebat: piam, qua mecum vsus erat, consuetudinem exponebat: mihique meus animus planè ab eo perspici videbatur. Cui ego, Pater, inquam, mecum siles? At ille visus est Cælum innuere, mihique illius cupiditatem inijcere; eiusque status ac vitæ amplitudinem insinuare: idque meum animum multa cum vi perpulit. De illius sanctimonia cognoui, quámque seriam seruitutem Deo seruiuit; eique, Vitas, dixi, aliorum editas esse in lucem, cur Vita ipsius silentio premeretur? Silentio item, sic vt intelligerem, indicauit, Nihil interest: illud intelligens, ad diem illum extremum, quo res omnes publicam visuræ sunt lucem, spatium, quantumcumque illud sit,

mo-

modicum intereſſe, quod eſſet nempe temporarium: eoque mihi æternitatis miram fragrantiam, æſtimationemque reliquit.

Die item Sancto Andreæ ſacro, ab aliquo, quod inſuſurratum mihi in aures erat, verbo, angebar admodum. Eâ cum ægritudine diuinam ad menſam accedens, Virum hunc ſanctiſſimum adeſſe mihi, vt aliàs, ad dexterum latus ſenſi: eumque neque oculis materiatis obiectum, neque verba promentem, audiebam tamen, & intelligebam. Affata ſum illum; atque ea, quæ animum occupauerat, diſiecta illicò nebula eſt; atque recreata ſum ſimul, & confirmata. Videbar mihi adiunctum illum ad docendum habere Magiſtrum: cùm verò ſacra hoſtia adoranda populo oſtentabatur, eamque ipſa deuenerabar, illum propter me ſenſi diuiniſſimæ Euchariſtiæ reuerentiam plurimam exhibentem. Id mihi argumento fuit, multum illum valere apud Deum; atque à Deo probari, opem ab illo mihi, quæ à me ſenſu perciperetur, impendi. Mihi verò gratias agenti, quòd adeò tempeſtiuè opitulatus mihi fuerat, id omne acceptum Deo referendum eſſe indicauit: ex quo quanta Deum fidelitate coleret, ſemperque antea coluiſſet, planè cognoui.

Alia item notæ, laudatæque probitatis Dei famulæ narrauit, ſeſe, per ſummum animi afflicti languorem, Baltaſaris meminiſſe; eumque enixè implorаſſe ſic, Pater, fer opem mihi: mox illum ſibi viſum eſſe per ſpeciem, ad dexteram ſecum perhumaniter verſantem. Cui tunc ipſa: Pater mi, fieri poteſt, vt in quam tantum boni tanto cum amore contuliſti dum viueres, nunc meliori ſorte potitus, auxilio mihi non ſis? affer opem. Adhuc tamen animus ægrimoniam retinebat; donec verba hæc, quæ illius eſſe ſibi videbantur, animi ſenſu intus audiuit: Enitere ad perfectam virtutem. Quo illa recreata eſt, egeſtatemque ſuam, ac ſancti illius Viri præſtantiam intelligens, brachium eò protulit, vbi præſentem Baltaſarem ſentiebat, aitque; Pater, porrige mihi manum. At ille porrexit nempe; & ipſa lacertum, vt in viuente conſueuerat, eâdem amictum veſte conſpexit; quem & arripuit: idque ad argumentum fiduciæ retulit, fore vt Dei voluntas in ſeſe, pro ſuo voto ſcilicet, impleretur. Hic iucundus eius aſpectus euanuit: non tamen amicti eius lacerti, arreptique à ſe, vti diximus, imàgo impreſſa ad viuum effluxit.

Grauis admodum doctuſque ex Societate Pater, familiaritate Baltaſaris vſus multâ cum viueret, teſtatus eſt, ſuis in neceſſitatibus momenti magni iuxta, ac parui, tum animi, tum corporis diuino ab ſe Numine, nomine Baltaſaris, implorato, eo interprete, adiutum ſe, recreatumq; fuiſſe: idque aliquoties. Ad genus verò

mi-

miraculi referebat opem in re arctissima sibi ab eo semel allatam. Eiusdem aliàs in re simili nomen implorans, intimè sibi edicentem audiuit, In difficillimis eiusmodi rebus ad Deiparam confugiendum. Paruit: & releuatus est plurimùm. Belmontij rursum idem repetens, illum secum submissè loquentē audiuit; extimâq; voce exorsum effari, voce intima, afflatu nempe desiuisse. Neque verò vacat arcano, signa hæc omnia, Dei nutu impensa fuisse in solatia mœrentium proximorum; sed vt eam inde gratiam intelligeremus, quâ in ijsdem erigendis valuit apud Deum multâ, dum viueret; & quâ erga omnes valebit in posterum, qui sibi diuinam opem, conciliatore illo, deposcunt.

CAPVT QVINQVAGESIMVM QVARTVM.

Baltasaris corpus ad Collegium Villagartiense defertur. Egregia in eiusdem funere concio.

ADeò pretiosa est in conspectu Domini mors Sanctorum eius, vt, affirmante Basilio, quemadmodum olim quisquis extincti cadauer contingeret, contaminabatur, ita nunc contra, quisquis sacra Viri cuiuspiam Sancti lipsana contrectat, vim opemq; ad sanctitatem inde possit elicere. Deique consilio fit, vt ea in loca plurima diuidantur, quò vbique ornamento sint, munimento, atq; præsidio aduersus hostes: ijsque honor à Fidelibus habeatur. Quòd si ex me quæris, inquit Ambrosius, quid in hisce Sanctorum cineribus, ac reliquijs deueneter, aio, coli à me in sancti viri corpore vulnera Christi causâ suscepta: eius coli memoriam, qui cum virtute vitam omnem exegit; cineres coli confessione Christi Domini consecratos; sementem in ijs coli immortalitatis: corpus coli, quod me Deum amare docuit, mortemque ipsius gratiâ neutiquā formidare. Quid ni verò honorē corpori Fideles impertiāt, quod Dæmones reuerentur? At enim quanquam illud ij inter quæstiones affecêre doloribus, afficiunt tamen gloriâ in sepulcro. Coli denique à me aio corpus illud, cui honorem in hac mortalitate Christus attribuit; & quod regnaturum est in Cælo cum Christo. Atque hæ causæ sunt, ac fructus honoris & reuerentiæ erga corpora, reliquiasque Sanctorum: quos inter vbi extinctum aliquem numeramus, eius lipsanorum parte aliqua potiri percupimus. Hinc est, quòd ij, qui nouêre Baltasarem, tantum ipsius sanctimoniæ tribuêre, vt eius vel corporis, vel rerum aliquid, quod apud se custodirent, habere voluerint; ad honorem

In Ps. 115.

Orat. in 40. Mart.

Serm. 93.

illi deferendum, opemque ipsius implorandam; quo pignore diuinæ pietatis largiora munera obtinerent.

Hæc verò pietas in duabus præcipuè nobilissimis matronis effulsit. Altera fuit Ioanna Castillia, Villaregiensis Collegij fundatoris neptis. Ea cum vix quatriduano congressu transeuntem illac Baltasarem cognouisset, animi, quibus cruciabatur, angoribus solatij tantum accepit, vimque loquentis ad cor adeò demirata est, vt, quo non potuerat frui viuo, illum habere secum optarit extinctum. Quare Præpositum tunc illi Prouinciæ (is erat Franciscus Porrius) rogauit, mitteret sibi sanctissimi viri caput, quod apud se pij causâ solatij custodiret. Permissum id illi est paucis post diebus; tum eo nomine, quòd plurimum illi debebat Societas, tum pro pietate etiam plurima flagitantis. Missus ab ea est Patrum aliquis ex eo Collegio cum veste acu pulchrè depicta, & arcula pereleganter ornata, in quam illud includeret. Inerant capiti ex capillis multi recentes, intus etiam nonnihil cerebri nondum vndecumque corrupti: neque porrò grauiter olebat; quemadmodum neque ipsius cætera membra, cùm ossa, nondum exesâ in totum carne, lecta fuerunt in arcam. Quamobrem vis aliqua calcis est indita, quæ carnem omninò conficeret. Quanquam verò moram traxit id opus, nullus inde afflatus est odor infensus; licet grauissimus à proximis eadem in vrna cadaueribus funderetur. Caput hoc sanctissimum accepit illa deinde; atque in Oratorio ad id vnum extructo ornatoque pulcherrimè, seorsim ab altero, quod & domi habebat, cum honore plurimo collocauit; argumento nimirum suæ in Baltasarem reuerentiæ & caritatis.

Altera fuit Magdalena Vlloia, quæ suo in Villagartiensi Collegio, vbi tumulum sibi ipsa constituerat, optauit corpus humari Baltasaris, Confessarij olim, Institutorisque sui; & qui eodem in Collegio obtinuerat primus gubernacula, institutionemque Tyronum. Id illa à Generali tunc Claudio Aquauiua efflagitauit: neque verô is illi potuit repugnare. Missus est ad corpus deportandum Franciscus Salsedius ex Societate nostra, Baltasaris ex fratre nepos, de quo mentio fuit in Prologo. Is illud Villagartiam vsque clam abstulit. Vallisoleto, vbi morabatur hæc matrona, traiecit; eique dentem, quem auulsum apud se habebat, impertijt. Eo illa munere gauisa plurimum est. Patrum aliquos grauiores ex Professorum domo cupido sanctorum cinerum visendorum, & colendorum incessit. In his Iosephus Acosta tanta perfusus est odoris suauissimi vi, vt rogauerit, num odoramenta essent eb eo illic adhibita: negante illo, quanquam comparata iam

erant,

erant, respondit, nihil ijs opus esse; neque enim deesse domi, cui multa odoris suauitas sit afflata. Et verò persuauem fragrantiam Deus assolet corporibus Sanctorum aspergere; quanquam illam alij quidem certè, secùs verò alij sensu percipiunt. Villagartiæ cum Prouinciali Gonzaluo Abulensi, eiusque Collegij Rectore Ioanne Montemaiorio conuenere Vallisoletanæ Domus Præpositus Franciscus Galartius, Ioannes Soarius, Antonius Padillius, grauesque alij complures ex ea Prouincia Patres. Vallisoleto etiã accessere Quæsitor Ioannes Morales Salsedius Baltàsaris propinquus, & Iacobus Lopez Salsedius eiusdem ex fratre nepos, celeberrimi Sanctæ Crucis Vallisoletani Collegij Sodalis, quorum habita iam mentio est. Loculus sacrorum cinerum custos in eius oppidi Parœcia, cui nomen est à S. Boali, in comparato ad id tumulo depositus est. Postridie sub vesperam, ad corpus deportandum, solemnis illuc à Societatis nostrę Templo supplicatio instituta fuit. Præibant Scholastici quadringenti: tum sacri eiusdem nostri Templi Administri cum caterua Cantorum: deinde Societatis nostræ Patres, Fratresque. Exequias peracturus Quæsitor Salsedius sacris amictus vestibus incedebat. Feretro subiere Villagartiensis eius Collegij Rector, & domus Vallisoletanæ Præpositus, alijque in Patribus grauiores, alternis: quos omnes eius honorandi ardor incenderat; è cuius doctrina, vitaque sanctissima tantus in ipsos honor redundarat. Corpus excelso tumulo impositum est in media ara Templi maxima. Manè solemni sacro parentatum est, & concio peregregia habita ab Roderico Cabredio Prouincialis Præpositi tunc Socio, huius deinde Prouinciæ Præposito, Inspectore, atque in Prouincijs Peruana & Mexicana cum plurima Dei gloria, & proximorum, tum Indorum, cum Hispanorum fruge vberrima Moderatore. Post persoluta iusta, sacrum corpus in sanctorum lipsanorum arâ collocatum est, propter Eucharistiæ altare, eo in latere, in quo sacræ recitantur epistolæ: honorem Deo impertiente illi, qui ipsius gloriæ tam seriò, diligenterque studuerat. Ac veluti operam dedit Baltasar, vt hæc Matrona sacellum exstrueret tam illustre, tam multis, varijsque Sanctorum lipsanis instructum, vt honor ijs ibi tribueretur; ità Dei factum est nutu, vt eos inter ipsius corpus locum obtineret in terris, inter quos etiam eiusdem animus sedem adeptus erat in Cælo.

Quoniam verò oratio in hoc funere habita, præterquam quòd multâ referta est doctrinâ, pietate, & ingenio, breuem summam, iucundamque epitomen conscriptæ à nobis sanctissimi huius viri vitæ complectitur, operæ pretium duxi eam hîc attexere, quæ felicissimam huic historiæ coronam imponat.

Concio habita, quo die Baltasaris Aluarez laudatissimi, sanctissimique viri corpus in Villagartiensi Collegio conditum est.

THEMA.

Memoria Iosiæ in compositione odoris facta, opus pigmentarii, in omni ore, quasi mel, indulcabitur eius memoria: & vt musica in conuiuio vini. Eccli. 49.1.

FRequentes hodierna luce conuenimus in hoc Templum ad iusta iterum persoluenda singulari viro, cuius memoriam faustè, ac feliciter vsurpamus, Societatis nostræ Religioso Professo Baltasari Aluarez. Quanquam enim certa nobis spes est, beatissimam eius animam diu iam bonis, gloriâque perfrui patriæ immortalis (id enim persuadent nobis ab eo per hanc vitam exhibita perrara exempla virtutum) nostris tamen vt partibus cum sacrosanctæ Ecclesiæ ritus custodiâ defungamur, piis illi exequiarum officijs parentamus. De quo mihi in filijs ipsius omnibus minimo maximèque indigno, aliquid in præsentia locuturo, opportuna huic loco visa sunt laudata Regis sapientissimi verba; *Memoria Iosiæ*, &c. Quibus ille vniuersos sui populi filios hortabatur, vt inclyti illius, sanctissimique Regis Iosiæ memoriam retinerent, qui diuino à Numine publico suæ gentis bono datus tam præclara, tamque admiranda facinora suo, dum vixit, æuo præstiterat. Aiebat ijs porrò: Iosiæ memoria fas est pastilli sit odorati consimilis, pigmentarii eruditi manu compacti; ex quo suauissimus assiduò nobis odor affletur. Memoria hæc omnium in ore de illo loquentium, faui erit instar mellei, longè suauis, ac dulcis; omnium in auribus de illo audientium concentus instar erit in conuiuio periucundi. Verba hæc in virum hunc præstantissimum, cuius relictas nobis ex ipsius mortalitate reliquias eo in loculo custodimus, cadunt aptissimè. Quemadmodum enim Iosiæ nomen, quo Ignem Domini Hebræi significant, consentaneum illi est, ita & opera, quæ de altero Iosia memorantur, eidem sunt peraccommoda. Ignis Domini fuit oppidò ipsius assecla hic prægignis: Ignem quippe dictis, ignem factis, ignem omni vita omnibus iniiciebat. Congruūt igitur ipsi perbenè, quæ de altero Iosia laudantur: congruuntque magis hoc die; quo illi suprema hæc munera Christianæ pietatis impendimus: idque ipsum in hac fu-

nebri laudatione propositum mihi erit ostendere. At enim Dei egemus ope: Deiparam igitur, cuius Baltasar studiosissimus fuit, & per quam plurima in ipsum à Deo corriuata sunt bona, apud diuinum Numen adhibeamus interpretem. Aue Maria &c.

PROOEMIVM.

MEmoria *Iosiæ* &c Mirificum sanè illud amoris est vinculum, necessitudo illa, nexusque, quibus diuinus Opifex res deuinxit omnes, quas inter similitudo aliqua, consensus, & ordo mutuus intercedunt. Mirificus etiam ille est quasi amor ingenitus, quo esse simul expetunt, neque ab sese disiungi. Atque vt ea, quæ cassa sunt sensu, eaque etiam, quæ illo sunt prædita, carent tamen ratione, mittamus; apparet id in ijs maximè in quibus mens inest, si minus eius vsum vitiet deprauata voluntas. Cum enim ratio conferat ad hanc similitudinem, consensum, & vinculum cognoscendum, iuuat etiam ad coniunctionem hanc mutuam conseruandam. Hinc amor est ille tam vehemens, quo esse cum Genitore filius, cum filio Genitor, frater cum fratre, cum amico amicus, ciuis cum ciue, seruus frugi cum hero, fidus popularis cum humano & clementi Principe, vniuersi denique, inter quos conuenientia maior & copulatio intercedit. Eòque vis amoris tanti pertingit, vt vbi, quos diligimus, viuos non possumus, extinctos saltem habere nobis proximos, atque illorum adiungi cineribus cupiamus: demusque operam, vt illi post suprema naturæ vno simul in Templo, vno in Sacello, vno in sepulcro condantur. Sic vt is amor cum ipsa morte certare velle videatur, de quo liceat illud è sacris Canticis interpretari, *Fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio*: Quo inferni nomine sepulcrum intelligatur: quasi dicat; Non satis est mors, non satis est tumulus ad conuellendum insitum hunc amorem eorum, qui sese in vita mutuò dilexere: Etenim in morte ipsa, & tumulo coniungi cum cineribus cineres amant. Quoties enim, nec sine quodam arcano, ad amorem hunc hominum cordibus ab Auctore naturæ altè insitum indicandum, diuinæ paginæ in Regum, & Paralipomenon libris illa Iudæorum Regum morientium vota commemorant, quibus expetebant intumulari cum Patribus? Et verò eorum illi eundem inferebātur in tumulum: legimus enim, *Sepultusque est in ciuitate Dauid cum Patribus: Sepelierunt eum in sepulcro Patrum suorum*, &c. Contra verò si nobis in ijsdem libris est traditum, quempiam suorum parentum sepulcro caruisse, neque cineres cineribus adhæsisse, id nobis tanquam pœna, vti de Ioram, Ioas, & effron-

1 Paral. 21.24. & 26. ti Ozia sumpta proponitur: Ingenitum hunc spectabat affectum, id quod in suo Confessionum libro meminit Augustinus de ingenti illa Monicæ Genitricis suæ cupiditate, qua tenebatur deponendi mortalitatem in Africa, vt eodem conderetur sepulcro cum viro: quanquam decerni sibi ad ostia Tyberina mortem intelligens, vbi & decessit, diuinæ voluntati scilicet acquieuit. Sexcenta in hanc rem exempla proferenda hoc loco suppeterent, ex omni vetustate; satis esto illud effari, affectum hunc in hominibus semper adeò viguisse, vt in illa pereleganti Tullij Oratione pro Sex. Roscio Amerino, ad eius calamitatem, in quam ab aduersarijs coniectus erat, augendam, Orator tantus argumentum nequiuerit comminisci robustius, quàm de illo id prædicare, *Cui de tanto patrimonio ne iter quidem ad sepulcrum Patrum relictum est*; quasi diceret: expetitum adeò mortalibus est propter Parentum sepulcra versari, itare ad illa, eaque sæpius visere, vt Roscij calamitas in maius attolli non posset, cui ad Patrum sepulcrum iter fuisset ademptum. Huiusce rei geminum diuinis è tabulis occurrit nobis exemplum: alterum illius est fœminæ laudatissimæ Ruth; cui cum caritas erga socrum suam licet alienigenam, Noëmi, in naturam planè transisset, diuidi ab ea nec vita, nec morte sustinens, aiebat, *Quòcunque perrexeris, pergam: & vbi morata fueris, ego pariter morabor: quæ te terra morientem susceperit, in ea moriar; ibiq; locum accipiam sepulturæ*. Alterum, vt ad rem nostram propiùs accedamus, eius est amplissimi Patriarchæ Iacobi, qui cùm, imminente iàm morte peregrè moraretur, mortalitatis suæ reliquias, reliquijs adiungere suorum Patrum exoptans, filiis suis studio quàm potuit maximo commendauit, suum vt corpus in terram Chanaan deportarent, inferrentque ibi sepulcro, vbi & Parens ipsius Isaac, & Auus Abraham conditi erant: *Sepelite me cum Patribus meis in spelunca duplici, quæ est in agro Ephron*: &c. In quo duo conspirarunt huius, quem dicimus, affectus ingeniti argumenta. Primum est, Parentis votum & imperium: Alterum optimi filij Iosephi studium & amor, qui curam hanc in se primò recepit. Is verò non more tantùm obsequentissimi filij, peragendi cupidus quæ Genitor demandarat, eius corpus in terram Chanaan deportauit; sed id ipsum præstitit, eo permotus affectu, quem illi natura indiderat. Cum enim & ipse patria in tellure humari pereuperet, quod & testamento mandauit, ac Moyses deinde perfecit, non passus est à cineribus Genitoris sui disiungi. Quamobrem confestim ille eius corpus in Auorum sepulcrum detulit, vt vnà omnes vno iungerentur in loco. Ac licet Iosephi deinde cineres, ea in Palestinæ parte conditi sint, quæ appellatur Sichem,

reue-

Marginal notes: l. 1. Confess. c. 9. — Cic. pro Sex. Roscio Amerino. — Gen 49. 26.

reuerentiæ fortaſſe causâ ſepulcro habitæ trium illorum ſancto- rum Patrum, non tamen diſtracti procul inde fuere, quò ille nempe, de quo ſermo nobis eſt, affectus ab natura inſitus expleretur.

Imago, & quidem ex verò hæc omnis oratio eſt causæ cur in præſentia conuenimus in hanc Ædem; vt Baltaſaris nimirum Aluarez exanime naturæ noſtræ depoſitum, in eo conditum loculo viſeremus, ex Toletana in Caſtellæ Prouinciam auectum, & in Villagartienſi Collegio collocatum. Quod ex eo profectum eſt amore, quo filii amant ſeſe ſuis cum parentibus viuis item, atque extinctis coniunctos aſpicere; ac viua, ſpiranſque imitatio curæ illius eſt, quam Ioſephus erga Genitoris ſui Iacobi corpus impendit. Quanquam enim ibi Genitoris extrema ſenectute morientis imperium interceſſit, ſtudium hîc tamen, & amor fuit ingenui ac peramantis filii, quo id muneris, exemplo Ioſephi, ſedulò curaretur. Fuiſſet opinor ingenti ſolatio, tam caro, expetitoque Parenti noſtro, exui mortalitate in hac noſtra Prouincia, ſic vt ſuos cum tot Patrum, Fratrumque & filiorum ſuorum cineribus coniungeret: ſed id etiam illi fortaſſis occurrit, quanquam in Toletana Prouincia migrabat è vita, inter Fratres etiam, ac Filios migrare ſe, non eò tantùm nomine, quòd Societatem inierat in eius Prouinciæ tam præcipua parte, in Academia ſcilicet Complutenſi, in eaque aliquot etiam annos exegerat, cui tunc etiam Moderator præerat Prouincialis, & Parens; verùm etiam, quòd optimè norat ſpiritum caritatis, mutuæque coniunctionis, quo Socios Ordinis noſtri omnes deuinctos inter ſe eſſe vult Deus, cuiuſcumque ſint gentis, atque locorum: inque tribus & viginti Prouincijs, in quas in præſentia eſt diſtributa Societas, vnum eſſe cor, vnam omnium voluntatem: eaque propter non innuit, aut petiit, ſuum vt corpus in hanc Prouinciam deferretur. At enim quanquam id ille non præſtitit, cura tamen amorque non defuit ſuauiſſimi filii Ioſephi, huius inquam Prouinciæ, atque huius cũ primis Collegij, ipſius certè filij longè cariſſimi; quod optatiſſimi Parentis ſui corpus apud ſe habendi percupidum, illud ſibi per ſuam optimam Dominam, & Fundatricem Magdalenam Vlloiam popoſcit, & obtinuit: cuius hodie corpus ad ſe deportatum, eo, quo videtis, honore illo in loculo collocauit: vt inter tam multa, inſigniaque opera, ac beneficia, quibus Societas vniuerſa, atque hæc maximè Prouincia, & hoc primò Collegium tantæ huic Matronæ debere ſe plurimùm profiteretur (cuius memoria æterna cum laude, ac beneuolentia noſtris in animis perſeueret) poſtremo in ijs loco non ſit, immò certè in præcipuis nume-

mere-

mereretur, quòd ad nos huc cineres illos felicissimos aduehendos curauit; atque enixa huius Collegij vota peramanter impleuit: quæ non ex ea tantùm, quam diximus proficiscuntur ingenita cupiditate coniunctionis mutuæ, quam inter sese cùm res aliæ, tùm maximè amant filij & parentes; sed alia eorum ratio fuit longè altior, ac cælestis, vt, vigente sic magis apud Collegium hoc Parentis tanti custoditâ memoriâ, ipsius virtutum perrara exempla Sodales propiùs imitentur. Meminit certè perfrequenter laudatissimi huius viri Prouincia hæc omnis, atque hoc cum primis Villagartiense Collegium: idque ingenti sanè solatio illi fuit. Hoc porrò testantur corda, linguæ, voces eorum omnium, qui nouere Baltasarem: hoc ipsi huius Templi parietes, eodem ipso Rectore, ac Tyronum Institutore constructi: hoc cubicula, ambulationesque Collegij, quibus eius odor sanctitatis inhæsit: hoc huius Oppidi viæ, quibus aliquando ingressus est, suarumque in ijs vestigia virtutum impressit. Verùm ex hoc in posterum die id solatij multò iucundissimum præcipuè magis percepturi sunt ipsius filij, Collegium hoc, Prouincia hæc vniuersa: præsentem enim illum habent, ijs ipsius cineribus perfruuntur, qui tanquam vnguenti odoratissimi vasa suauissimum efflãt odorem, eiusque memoriam excitant, ingeruntque tam propè. Quamobrem iure quidem optimo, sermonem de sanctissimo hoc viro inferentes illud possumus vsurpare, *Memoria Iosiæ in compositione odoris facta opus pigmentarij. In omni re quasi mel indulcabitur eius memoria: & vt musica in conuiuio vini*, &c.

CAPVT I.

QVod vt distinctiùs explicemus, reputandum est, triplici ratione cuiuspiã rei posse in nobis excitari memoriam; aut solâ cogitatione, quam intimæ aliæ mentis imagines suscitent; quibus eius rei admonetur memoria, eiusque speciem ingerunt: aut ea de re illato sermone, quo etiam eius rei memoria exurgit intus alacrior: aut denique eorum dumtaxat auditu, qui ea de re loquuntur, & agunt: tunc verò satis est fauere tantùm auribus, eius vt memoria refricetur. Aio nunc igitur triplici hoc modo ab laudatis verbis, quanquam translatis, indicari nobis, eam fuisse memoriam, quæ optimi Regis Iosiæ Hebræo in populo seruabatur: atque hoc triplici modo Baltasaris nostri memoriam à nobis esse conseruandam.

De primo vt dicam, de memoria nempe, quam intima excitat mentis imago, peregregiâ vsus est metaphorâ Rex Sapiens, cum dixit,

dixit, *Memoria Iosiæ in compositione odoris facta opus pigmentarij* &c. Quasi diceret, qua ratione pigmentarius in compingendis odorarijs pastillis cum primis excellens, plurimas, variasque res miscet, ambarum, zibetium, muschum, balsamum, styracem, aliaque odorum elementa similia, quibus ex omnibus orbiculum conficit olfactu suauissimum; ita & sanctissimi huius Regis memoria futura est non secus ac si mentis intelligentiâ, quæ insignis cuiuspiam pietate viri, eiusque virtutum simulacrum in sese custodit, tanquam præstans, ac præcipua opifex in rerum elementis componendis, atque miscendis, virtutum Iosiæ omnium odoramenta permisceat; atque ex ijs pastillum longè fragrantissimum conficiat, cuius odore quiuis ex ipsius populi filijs recreetur, cùm & earum virtutum, & eius, quem illæ exornabant, memoriam vsurpabit. Id ipsum maximè cogitatio deinceps nostra perficiet: odoratas sanctissimi huius Viri virtutum imagines impressas altè custodiet: ex ijsque coniunctis orbiculum, misturamque conficiet, ab suauissimo cuius odore eius continenter memoria excitetur. Præcepit Moysi Deus, suo vt in tabernaculo aram sibi exædificaret, incorruptâ materie, cedro compactam. Huic, Altare thymiamatis, nomen fuit: ex Græco verbo θυμιᾶν dictum, quod suffire significat, hoc est, admoto igne, odorē efflare. Eo enim in altari illa suaueolentissima rerum cōpositio incēdebatur, ferebaturq; ad Deum: eaque fragrantia sacrosanctum penetrale suauissimè vaporabat. Auctor verò Iosephus est, in misturam hanc, & compositionem tredecim variorum odorum elementa, diuersis è mundi plagis aduecta coiuisse. Haud aliter, in ara nostræ memoriæ, cogitatio misturam conflet, & compositionem virtutum omnium, quibus, in diuersis, vbi diuersatus est, locis Baltasar effulsit, in hac Castellæ Prouincia, in qua gubernacula tenuit Rector Methymnæ, Salmanticæ, Villagartiæ, vicesque Prouincialis obiuit: quarum exempla in Italia, ac Romæ edidit, eò profectus cum huius procuratione Prouinciæ: quas in Aragonia exhibuit, cùm eam lustrauit Inspector: quæ in illo denique Toleti spectatæ sunt, cùm eam Prouinciam administrauit. Atque, vt omnia sibi aptè respondeant, iungat, misceatque præcipuè virtutes eas tredecim, quæ in eo quàm maximè excelluere.

Exod. 30.

L.6. de bello Iud. cap. 6.

Prima esto Caritas illa, quâ ferbuit ardentissimâ erga Deum & proximos. Dei namque amore consumi quodammodo, & effluere videbatur: cuius actibus adeò erat, ac tam continenter intentus, vt diuini amoris incendium ipsius semper æstuaret in pectore. Quare vbique locorum, ac temporum cuiuis ipsum adeunti penitus inijciebat has flammas. Caritas verò eius in proximos tanta

erat, vt pietatis tenerrimæ viſcera, omni etiam promiſcuè tempore, ac loco, in illo nemo non ſenſerit. Quæ illius erga ægrotantes cura? quale, quantumque afflictorum, impulſorumque ſolatium? Aeger aliquando ſurrexit è lectulo, ſalute tunc ſuâ in diſcrimen adductâ, vt alteri malè habenti conſilium, atque ſolatium petenti ſcilicet impertiret. Rurſum aliàs tentato item, afflictoq; fratre per concubiam noctem ipſius cubiculum adeunte,ac pulſante, ſurrexit, iuſſitque illum ingredi, ſibique aſſidere: demulſit illum, & erexit; atque ad ſuum deinde cubiculum, ſedatum recreatumque dimiſit.

Genus alterum odoris apponat, Animi demiſſionem altiſſimam: cùm enim tanti illum vniuerſi facerent, colerentque ſummi iuxta & infimi, qui eum vſu cognorant, erat ipſe tamen animo tam demiſſo, vt, coram Senioribus ac Præpoſitis,puero ſimilis adſtaret: qua ſubmiſſione ſuos etiam diſcipulos de pijs animi rebus loquentes audiebat. Quàm ſubmiſsè de rebus litterarijs, quaſi illitteratus nullam ijs dediſſet operam, interrogabat? Denique nullum in eo æſtimationis ſui veſtigium apparebat; plurimum verò grati animi ſui erga beneficia, quibus ipſum diuinæ benignitatis largitas cumularat. Quare cùm ſacris operans adhibenda precatio erat *ad libitum Sacerdotis*, eam ferè vſurpabat, quam pro Gratiarum actione apponit Eccleſia; *Deus cuius miſericordiæ non eſt numerus*; voluptatis eius argumento, qua ipſius inde animus perfundebatur.

Genus odoris tertium, perrara Obedientia ſit: cuius exempla plurima proferenda ſuppeterent: ſatis illud eſto, quòd ſemel, obſequendi cauſâ Præpoſito, nomen dignitatemq; ſuam apud Optimates aliquos maximum in diſcrimen adducere non dubitauit. Peruicit ſe ipſe tamen, ne obſequelæ deeſſet,quod illi in omni vita, aut maximè omnium, aut certè in omnium maximis fuit toleratu difficile.

Quartum addat odoris genus, Contemplationem altiſſimam, in qua adeò ſeſe diuina largitas erga illum effudit, vt ad illam explicandam oratione integrâ, immo & multiplici opus eſſet. Id in præſentia meminiſſe ſit ſatis, quod ſuum ad Præpoſitum ea de re aliquando perſcripſit; à quo iuſſus erat mittere ad ipſum epitomen rationis, ac viæ, qua in precibus ductus erat hactenus, & adhuc ducebatur à Deo. In cæteris eius Commentarioli illud habet, Sexto decimo poſt initam Societatem anno, immutatum ſibi cor extempló fuiſſe. Eaque commutatio illa fuit, vt eadem ſemper in æuum vitæ omne perſtiterit. Inde ea ſubijt hæſitque in illo Numinis diuini aſſidua, dulciſſimaque præſentia; ſpecula illa

Cælo

Cælo semper aperta, ad quam sese euigilando sistebat, in eaque persistebat, nullâ rerum, quas agebat interdiu, eum illi conspectum eripiente. Quoties non in suo tantùm cubiculo, ac secessu, sed in ipsa via, ac foro, populique frequentia, vocabatur interiùs; clausisque corporis oculis, oculos animi recludebat, hærebatque alta contemplatione defixus? Quoties iter ingressus, addicto precibus animo, adeò distrahebatur à sensibus, vt per pagos, oppidaque traijciens, quemadmodum & Bernardus longo itinere propter lacum, non aduerteret? Denique vir precationis excelsæ excelsum in modum fuit.

Quintum, assidua erit intima extimaque Mortificatio, quam dicimus, cupiditatum, ac sensuum. Ex actibus ipsius omnibus apparebat ea certè cura, qua sibi semper inuigilabat. At illa, cuius tantùm spectator erat Deus, intima voluntatis, atque appetitionum suarum occidio qualis erat? Quod erat in oculis, erat sanè miraculo: cibum enim ferè semel tantùm sumebat in die; vespere aut nihil, aut quàm parcissimè vescebatur: cibatus verò non nisi communis omnium erat: in quo laudem tulit ille præcipuam, nulla re præcipua vnquam vsus. Somnus breuis, & hic interruptus: verberationes prolixæ, eæque tam asperæ, vt, ad earum vim, proximum cubiculi latus concuti videretur: diuisæ verò in vniuersa corporis membra, vt doloris sensus esset acerbior. Denique vt qui assiduo precationi vacabat, ità & sibi, aduersando, strenuè imperabat: quæ duo cum primis virtutes germanæ sunt, atque indiuisæ: quare perfrequens illi erat in ore, Religiosorum Ordinem officinam esse mortificationis: nosque illam inire, vt artem ediscamus fingendi Crucifixos.

Ad sextum pertinebit, Munditia cordis, & Castitas; sic vt ad vnum eius aspectum, eâ oculorum custodiâ, eâ totius oris, corporis, incessusque modestiâ, virtutis huius cupiditatem videretur inijcere. Præstitit Baltasar in ea sanè cum paucis; accciditque aliquando, vt de luce in lucem noctem omnem peruigilaret in precibus; quò nempe prospiceret, caueretque sibi aduersus paratos sibi ad labem in castimonia faciendam impulsus.

Inferenda septimo loco erit Paupertas summa. Quid spectatiùm est in eius cubiculo, quid in vestibus curiosum? Mundus ille quidem, atque compositus, sed cum paupertate fuit. Nouos amictus perquàm raró induit, ferè quidem alieno vsu detritos: sacrarum precum breuiarium, aut horarius earumdem codex, si recens aut elegans illi deferretur, habendum alteri dabat; ea in omnibus sibi præsumens, quæ despicatissima forent.

Ad octauum referatur Tolerantia ipsius sanè præsignis. Mole-

stias, & ærumnas animi, corporisque pertulit in omni vita plurimas, maximasque: quibus in omnibus serenitatem oris perpetuò retinuit; nihil vnquam ne leui quidem murmure questus; in præcipuis Dei muneribus numerans, sine culpa vexari. Valetudine vtebatur infensa; neque porrò seù illius querebatur incommoda, seù illi commoda quærebat: gerebat immo sese similem benè valenti. Inter ægrotandum maximè specimen virtutis huius exhibuit. Miraculo erat, illum amarulenta pharmaca haurientem aspicere: qui ne guttulam quidem ex ijs in cyatho relinqueret; postremas verò guttas, ne se ijs nempe fraudaret, dum defluerent, per otium expectabat. Perfectæ virtutis argumenta collocabat plurimùm in alienis à suis aliorum moribus perferendis; in quo ipse vt cum maximè studebat excellere.

Nonum obtinebit locum, Animi robur ingens, ac magnitudo ad præclara in Dei gloriam, & obsequium aggredienda facinora. In Prouinciæ huius Probatione illum disciplinæ, morumque ordinem, ac tenorem induxit, vt mirum videretur, quî fieri posset, vt vir extimo quidem, velut apparebat, aspectu, minimè acer, aut alacer, pari esset animo, ac vi ad legum tantâ custodiâ continendos in Methymnési Tyrocinio adulta iam ætate viros, Salmanticæ Scholasticos, & Magistros, loco natos illustri, atque in communi olim vita delitijs innutritos: qui, præsente ipso, contremiscerent omnes; silentium, reuerentiamque custodirent; submissione animi tanta, vt, cùm ab ipso accipiebãtur asperiùs, tunc illũ ij quod vnum poterant, maximè reuererẽtur. Accidit aliquando vt extrarius aliquis hospitio exceptus in Methymnensi Collegio, gladio secum fortè in cubiculum deportato, subitâ actus phrenesi, summa nocte surrexerit, nudatoque gladio obuios in parietes ictus vsquequaque torqueret; vbi ad Baltasaris cubiculum deuenit, ingressus, punctim, cæsim ferire quàquà versum occœpit: Baltasar elatâ voce quiescere illum iussit; rem quippe odoratus iam erat: surrexit; at furiatus ille, ad iubentis vocem, sibi imperans conquieuit. Tunc prehensum manu assidere sibi illum Baltasar iubet, paucis affatur, sedatumque mente, & quietum dimittit ad cubiculum.

Decima subeat, Fiducia ipsius in Deum, diuinique Numinis prouidentiam. Compluribus, quibuscum agebat, mortalibus hac solatium, hac animos ad perferendas ærumnas addebat. Communi satis sermone percrebuit, quod reuertenti contigit ex Aragoniæ Prouinciâ, quo die petebat Burgos. Per lucem enim extinctam, stagnantes inter aquas, cùm ipse simul, & comites magno in discrimine versarentur, ignari quà tenderent, albo inue-

ctus

ctus equo iuuenis repente se obtulit, eosque Burgos vsque deduxit. Notumque illud est, eum toto itinere seorsim cum Baltasare collocutum; donec, ad Burgensis Collegij ianuam postquam deuentum est, ibi viator eques videri desijt, neque de illo rescitum vnquam est postea. Mira certè Baltasaris fuit hoc loco fiducia comites animantis, donec euenêre, quæ diximus: persuasumque omnibus est, aut Angelum illum fuisse à Deo missum, vt ducem illis sese præberet, aut insignem pietate fratrem Ximenium, qui sub id tempus excesserat.

Vndecimò misceatur defessa nunquam in omni virtutum omnium exercitatione Constantia. Quanta enim illa fuit, quàm sexdecim annos perpetuò retinuit, vti in eo Commentariolo testatus est ab se Præpositorum iussu conscripto, quo tempore desudauerat nempe aranti similis, & non metenti! Ac tum maiori fuit admirationi ipsius in precibus, verberationibus, ieiunijs, vigilijs, atq; omni demum voluntariæ afflictationis genere seruata constantia. Annos in Societate vixit quinque & viginti; neque per eos res vnquam vlla, munus, iterue susceptum à cœptis cum virtute illum auocarunt: vno semper tenore, eâdemque animi firmitate, sic vt in admirationem raperet vniuersos. Vt vt maturandum maximè esset iter, surgebat ita, vt primâ discessionis horâ, consuetam tamen horam precationi ante dedisset. Quare iter oblectationi ducere consuerat, vt interea precibus diem totum extraheret.

Accedat duodecima, Libertas illa cordis, atque à rebus omnibus procreatis auulsio, cùm & consuetudo illi esset cum mortalibus genere, ordineque tam varijs, tantique ab omnibus haberetur. Cupere se aiebat ità cum proximis agere, eosque iuuare, atque ad Deum traducere, vt suo illi secessui nihil officerent, neq; cordi magis adhærerent, quàm si aut in desertis Africæ arenis, aut in vastis Aegypti solitudinibus versaretur. Quare ab singularibus amicorum vsibus maximoperè abhorrebat.

Denique misturam hanc fragrantissimam tertia decima consummet Prudentia illa, scientiaque perrara, quâ præstitit in erudiendis ad virtutem animis, tum Religiosorum hominum nostræ familiæ, ac cæterarum, tum communium cuiuscumque gradus & ordinis. Diuinum hoc donum mirum adeò in Baltasare fuit, vt viri, quos grauior ætas, auctoritas, & virtus plurima commendat, domicilium sibi cum illo simul expeterent, atque ad hunc audiendum Magistrum perinde atque discipuli conuenirent. Res erat spectatu dignissima, illum intueri, quàm prudenter ac scitè pro cuiusque habitu, tempore, rerumque statu, seueritatem cum clementia, auctoritatem cum comitate, grauitatem cum suauitate con-

coniungeret, vt in loco ac tempore annueret, renueretque. Denique imbuit ipse formauitq; Magistros; isque fuit, qui intimam cum Deo consuetudinem, studiumque precandi in hâc Prouinciâ vt cum maximè excitauit; ac pium quotannis ad exercitia spiritualia secessum octo dierum aut quindecim, vsu ipso vulgauit.

Atque hæc tredecim odorata sunt virtutum aromata, quæ in singulari hoc viro summis celebrata sunt laudibus. Earum permixtione mens nostra odoratum orbiculum ac thymiama conficiat; cupiditate illud incendat virtutes has imitandi; Deoq; mox deferat, rogetque, vt annuat votis: ita nempe vt ne in memoria, quæ in sensu est, sistat, sed ad intelligentem, incorruptamque facultatem transeat animi immortalis: in qua tanquam in altari se collocet, aureisque laminis tegat, hoc est, Dei gratiâ & amore animus sit imbutus, vt gratum illi munus id accidat, non ob ipsam modò suaueolentem virtutum compositionem, sed illius etiam altaris nomine, in quo adolentur. Atque in hunc modum excitanda primò, & conseruanda est tam sancti viri memoria.

CAPVT II.

Alia item ratione redintegranda memoria est, linguâ, verbisque, sic vt de eo, quem volumus meminisse, loquamur. *In omni ore quasi mel indulcabitur eius memoria* &c. expono sic: Quēadmodum gustatui non vndique deprauato mel sapit, itá sermo de viro iusto, ipsiusque virtutibus, memoriam refricabit vsquequaque dulcissimam. Et verò experimento compertum est, ex quo desijt inter nos esse Baltasar, ijs omnibus, qui illum affatu, aut vsu cognouerant, ex sermone de ipso memoriam adeò iucundam, suauem, ac fructuosam prouenisse, vt cupiditatem inde susceperint Deo studiosiùs obsequendi, placendique magis ac magis; vacandi precibus, & sibi acriter imperandi; dandi operam, vt ipse dedit, diuini nominis cognitioni, & gloriæ propagandæ: idque tam seriò, vt quanquam sermo de extincto sensum vulneris non redintegrare non posset, ea tamen memoria perdulce illud, atque frugiferum protulerit, quod dicebam; & verò multò maximè feret in posterum. Sermo Dauidi erat de Ionatha perfamiliari suo: cuius memoriam dum verbis vsurpabat, ex eius funere
1. Reg. 1. 26. dolore conficiebatur & luctu, aiebatque, *Doleo super te, frater mi, Ionatha, decore nimis, & amabilis super amorem mulierum: sicut mater vnicum amat filium suum, sic ego te diligebam*. At ea tamen in-

intimi cariſſimique ſui capitis memoria dulcitudinem in ipſo, ſuauitatemque ciebat, qui eius virtutes ſuum in animum cum imitandi ſtudio reuocaret: aiebat porrò, *Sagitta Ionathæ nunquam rediit retrorſum*. Conueniunt hæc aptiſſimè optimo Patri Baltaſari: namque illi accommodè etiam Ionathæ nomen, & facta conueniunt. Congruit nomen; Ionathas enim Hebraicè *Dei datum, Dei donum ſignificat*. *Dei* namque *donum* oppidò vir hic fuit, à Deo plurimorum opi, doctrinæ, atque ſolatio impertitum: *Dei datum* ingenti eius Prouinciæ bono. Congruunt & facta: niſi enim ex animo vobis excidit, Ionathas ille fuit, qui Philiſtinorum copias turbandi, deque Palæſtina omni exturbandi cupidus, ſuo exercitu reliquo ſecuro interim & quieto, ſolus ipſe, vno cum armigero, profectus eſt, *Et manibus & pedibus reptans* enixus ad eos eſt *per prærupta petrarum*. Seque in hoſtes, medias per haſtas intulit, impuliſque illos & fudit. Non ſecus hic ſtrenuus Imperatoris Dei miles, quoties deſcendit in aciem manum cum Stygiis hoſtibus conſerturus, eos vt tueretur, quos ſibi creditos ſciret, neue alicui fraudi eſſent obnoxii, perpluribus eâ cauſâ obiectans ſeſe difficultatibus, atque laboribus, ſecuris interea, & quieſcentibus iis, quibus ipſe inuigilabat? Id illud erat, cubitum ire multò poſt reliquos, multòque ante eoſdem ſurgere ad preces, aut verberationes, pro iis nempe dimicaturus. Concubia nocte frequens illi erat in hanc pugnam exurgere, cùm alii ſomno erant altiore conſtrati; quò videlicet res ſuas tectas haberet: vis tamen verberum tanta erat, vt dormientes excitaret, velut olim ictus Ionathæ & conflictus exercitus ſui excuſſere torporem. Aptè porrò illi congruunt Ionathæ facta: adeòque conſentaneum eſt, vt ab eius nos iactura perægri cum Dauide collacrymemur; *Doleo ſuper te, frater mi Ionatha*. Eſto tamen nobis ipſius virtutum memoria iucunda, & dulcis, eas in nobis repræſentare cupientibus; & dicamus; *Sagitta Ionathæ nunquam rediit retrorſum*. Quænam enim Baltaſaris ſagitta retroacta unquam eſt? ſagittæ ipſius erant verba, & quidem peracutæ, quibus animi figebantur. Interrogate vniuerſos, quotquot illius familiaritate ſunt vſi, optimates maximè, ac Dynaſtas, quorum grauitas & amplitudo videtur in hoc difficultati pondus adiicere. Atqui res erat plena miraculi, quòd ab eo ſemel tantùm audito commutati abirent in alios; & coram religioſo paupere, puerorum inſtar, ab eius ore penderent. Quid cohortationes ipſius, & collationes? vrebant nempe, inque ima corda pertinere veluti exacutæ ſagittæ videbãtur. Accidit aliquando religioſos viros eorũ in cœnobio cohortanti, vt eos omnes alios à ſe ipſis effecerit, cupidos ſeruiendi Deo ſeriam ſeruitutem; piis cõmen-

2. Reg. 2. 22.

1. Reg. 4. 13.

2. Reg. 1. 26.

tationibus exercendi animos; quibus ab retento apud se duodecim dies Baltasare ad vnum omnes imbuerentur. Quare illius virtuti, diuinisque animi donis tantum æstimationis apud notos omnes accesserat, vt nihil supra. Colebant illum Præsules: atque in his vir ille præstantissimus Franciscus Blancus Compostellanus Archiepiscopus verbis item ac rebus ostendit, quanti illum faceret: & qui viuunt adhuc Archiepiscopi Christophorus Vela Burgensis, Theutonius Bergantius Eborensis, Sancius Abulensis Episcopus Carthagenæ, quid de Baltasare senserint, sentiantque testimonio locupletissimo docuere. Optimates, summique viri honorem illi tribuebant. Confirmaret id Matrona illa clarissima, & nobile Principum Christianarum exemplum Dux Friasia, Castellæ Comestabilis Parens, quæ & nunc viuit, tanto semper honore prosecuta Baltasarem, vt suas ad illum litteras in extima fronte sic inscriberet; Domino meo Patri Magistro Baltasari Aluarez Parenti meo. Confirmaret Gandiæ Dux nuper hac mortalitate defunctus, qui Baltasari allocutiones, collationesque pias habenti, Tyroni similis intererat. Confirmaret Illustrissima Domina Magdalena Vlloia, cuius erga Baltasarem reuerentia tantum in ea in hunc vsque diem viguit, vigetque, vt hæc illam impulerit ad Baltasaris extincti cineres curâ, operâque suâ in huius Collegij Templum deportandos. Confirmaret id denique eorum non nemo, qui Regiam Maiestatem stipant; alijque perplurimi, quos longum esset singulos percensere, viri virtute ac sanctimoniâ laudatissimi, qui coæui Baltasaris in Hispania floruere, & eodem consensu honorem illi plurimum tribuebant. Vir ille admirandus in Bœtica P. Magister Auila, quanquam Baltasarem nunquàm vidit, cùm per epistolas inter se tamen egissent, de ipso ipsiusq; virtutibus existimabat amplissimè, Maria Diatia Abulensis, fœmina longè sanctissima, quæ nihil cum fuco, aut amplificatione dicebat, de cælestibus à Deo collatis in Baltasarem donis magnificentissimè loquebatur. Ea verò, commendatione omnium, iure, meritoque celeberrima virgo, cuius nimirum operâ Deus geminum religiosum Ordinem sexus vtriusque fundauit, sanctissima Parens Teresa IESV, cum verborum & laudum amplitudine tantâ de Baltasare consueuit effari, vt posset admiratione suspendere. Parthenonis sui Virgini quærenti ab se Salmanticæ, factura ne esset operæ pretium, si Baltasaris tunc inibi degentis consuetudine vteretur, Amantissimè, respondit, tecum Deus ageret; ille enim is est, cui plurimum meus debet animus in hac vita; & qui opem mihi maximam ad perfectam virtutem contulit. Et nunc Salmanticæ viuit Mater Anna IESV, eius olim Parthenonis Antistita, eaque testatur audiuisse

se

se ex Matre Teresa, ipsius certè sententiâ, locum à Baltasare supra coęuos ipsi mortales cæteros altissimum obtineri.

Generales Societatis nostri Præpositi, qui penitus nouere Baltasarem, quanti illum facerent, & quanto acciperent honore, argumentis vtique commonstrarunt. Generalis Franciscus Borgia singularem ipsius magisterij facultatem intuitus, Romæ illum instituendis Tyronibus retinere maluisset; sed cùm tamen remisit, ne Castellæ Prouinciæ causam amaroris aspergeret. Iussit illum verò semestrem suam operam Probationibus Methymnensi, & Villagartiensi, quæ tum excitabatur, alternis dare; quò eius fructus permanaret in omnes. Generalis item Euerardus Baltasarem Toletanæ Prouinciæ Præpositum iubens, Alphonso Montoio, qui in eandem Prouinciam cum eius procuratione proficiscebatur, hæc ipsa verba effatus est; Optimum in ijs, qui mihi suppetunt, Prouinciæ isti præficio, dum præficio illi Baltasarem. Denique longum esset persequi, quanti illum facerent vniuersi. Quòd si causam scire quis velit, ea præcipuè fuit, diuinum illud magisterij donum, cum vi tanta verborum, vt cum ipse, quæ diceret, tam altè cognosceret ageretque, ea in omnium animos intimè pertinerent. Congruunt itaque illi Ionathæ nomen, & facta; consentit igitur & illud, sermonem de ipso illatum, fontem esse suauitatis, atque dulcedinis. Neque verò minus aptè in illum cadit memoria Ducis eius præstantissimi, Israelitici exercitus Imperatoris Abneri, quam Rex ipse Dauid in sese verbis alijs excitabat, teneris partim atque flebilibus, partim suauibus, dulcibusque: tenera, atque flebilia erant illa, quæ conuersus ad populum vsurpauit, aitque: *Scindite vestimenta vestra & accingimini saccis: & plangite ante exequias Abner. An ignoratis, quoniam Princeps, & maximus cecidit hodie in Israel?* Verba profectò hæc erant extincti Abneri memoriam referentia in Rege tristem ac luctuosam: non tamen alia præterijt, quæ solatium ac dulcitudinem in mentem etiam reuocarent: memor adeò virtutis ipsius, ac roboris, ad eius tumulum accedens inquit, *Nequaquam, vt mori solent ignaui, mortuus es, Abner: manus tuæ ligatæ non sunt, & pedes tui non sunt compedibus aggrauati.* Aio igitur, erepto nobis Baltasari, non minus quàm superiorem, hanc etiam memoriam conuenire. Primò, quòd illi congruit nomen, Abner, Hebraicè, *Patris lucerna*: Lucerna, inquam, illius Patris luminum, summi Cæli, ac Cælitum Imperatoris Baltasar fuit; quam super hoc Societatis nostræ candelabrum positam, multorum bono lucere voluit Deus. Aptè id quidem: Et illud appositè, quod in eo argumentum est plurimum ipsius iacturæ mortisque deflendæ: amisimus enim in

2. Reg. 3. 31

ib 33.

illo virum Ordinis nostri præcipuum; non ob ea tantùm, quæ obiuit munera, & quo tunc, cum è vita migrauit, defungebatur, Prouincialis Præpositi, verùm ob eam maximè, qua ornatus à Deo fuerat, summam in virtute ac religione præstantiam. Dici propterea iure debuit tunc, & nunc debet, *Quoniam Princeps, & maximus cecidit in Israel*. At verò non congruit illi minus, quod nostræ memoriæ iucundum, ac suaue accidit in his verbis, *Nequaquam, vt mori solent ignaui, mortuus es*: certè enim Baltasari neque vita, neque mors per ignauiam fuit. Non vita; etenim si probatur veritate quod dixit Euripides; *Nullus ignauus in celebrem virum euadit*: & quod Sallustius; *Ignauiâ nemo immortalis factus est*; Is qui vir fuit in vita tam celebris, quique sui immortalem adeò memoriam posteritati reliquit, quonam pacto per ignauiam vixisse dicendus est? quin immo tam procul ab desidia fuit, vt eius verba omnia spectare viderentur ad eam amoliendam increpandamque in ijs, qui fortè illâ marcescerent, neque in virtute haberent cum alacritate processus. Inde verba illa ingeminabat toties: *Ne degeneremus ab excelsis cogitationibus Filiorum* Dei. Quibus eo sensu, ac vi, qua dicebantur, exceptis, eiusque in corde defixis, ipsius in Tyronibus aliquis ad Brasilas deinde profectus, vnus ex Ordinis nostri quadraginta Martyribus, qui in ipsa nauigatione Hæreticorum manu interempti sunt, verbis hisce Parentis, atque Institutoris sui optimi, quæ nempe animo gerebat infixa, Socios ad mortem pro Christo fortiter oppetendam hortabatur: *Ne degeneremus ab excelsis cogitationibus filiorum Dei*. Neutiquam fuit Baltasar ignauus; immo ignauiam impensè redarguit; quemadmodum & inuictus ille Dux Iosue, qui hætentibus septem tribubus, terræque ijs promissæ possessionem non adeuntibus, *Vsquequò*, inquit, *marcetis ignauiâ, & non intratis ad possidendam terram, quam Dominus Deus Patrum vestrorum dedit vobis*? Quoties id in sermonem vocabat inter cohortandum, conferendumque de illo, cuius nobis spes est, præmio, de terra, inquam, illa viuentium, de alacritate, ac vi, qua perrumpendum est in ardua quæque, vt enitamur ad illam? Quanto cum pondere illa Seruatoris Christi verba inculcabat, *Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*? Neque vitam cum ignauia egit, neque per ignauiam mortem obiuit; suo in ipso munere strenuè allaborans, exhaustus atque consumptus, quòd excubias peruigil vsque custodierat: optimi instar militis in hac IESV Societate, armatus, hastatus, clypeatus, loricatus, galeatus, dicam explicatè; quemadmodum munus illud laboriosum delatum illi est viribus tam defecto, valetudine tam afflicta prolixis à vigilijs, ieiunijs, verbera-

Eurip.

Sall: bello Iugur.

Ios. 8. 3.

Matth. 11. 12.

berationibus, ciliciјs, atque cupiditatum, ac sensuum expugnatione intima, extimaque, quæ omnia retinebat constanter adhuc in medijs ipsis muneris obeundi laboribus, ita paucos intra menses ad exitum vitæ perductus est *nequaquam vt mori solent ignaui*. Prò verba solatij plenissima! quàm dulcem renouant Parentis tanti memoriam!

CAPVT III.

TErtiò: Baltasaris memoria excitanda in nobis est ex ijs, quæ de illo alios memorantes audierimus. Quemadmodum Iosiæ memoriam aiebat mortalium Sapientissimus redintegrandam esse in Hebræorum populo: id enim ea indicant verba: *Et vt musica in conuiuio vini*. Pulcherrima sanè metaphora: quasi diceret; Quemadmodum lauti limâ in mensâ, vt vt conuiuæ epularum delicijs teneantur, adhuc illi tamen suauissimi concentus auditu cientur; sic, vt suaues simul palato dapes, simul dulcis accidat auribus symphonia; ita Ecclesiasticus Iosiæ memoriam accidere populo cupiebat; adeò vt sermonē de illo prolatum accipere, perinde esset, atque lautissimo in epulo suauissimum concentum audire. Et hæc tertia memoriæ ratio est, quæ de Baltasare fuit hactenus, & erit in posterum, inter pia colloquia, quæ dapum instar suauissimarum animos oblectant mirificè sodalium, cùm ad colloquia de Deo, de virtutibus, de orandi, domandique sui studio conueniunt. Quantò maiori voluptate perfunditur eorum aliquis, qui nouere Baltasarem, vbi sermo de ijs infertur, si locus in eo sit memorandi de illo, quâ id ipse ratione præstabat, quâ docebat? mirifica sanè voluptas est, quam is eâ memoriâ haurit, & hauriet; non secus ac si opiparas inter epulas aures concentu suauissimo permulceret. Castra Holofernes mouerat, eo consilio, ditionis Hebræorum vniuersæ suo imperio adiungendæ. Dei populus in preces sese confestim effudit; seque inuicem ad eas, ac voluntarias pœnas alter alterum hortabantur. Sermones hi acerbas adeò ærumnas ingenti solatio mitigabant; erant illis epulum sanè dapsile, quo se ipsi mutuò inuitabant; cùm ita conuiuantibus Sacerdos Eliachim prolixius solatium, atque animos additurus, vniuersam terram Israel circumeundo lustrauit; eos alloquens, & cohortans vt, quæ cœpissent, constanter agere perseuerarent. Hisce verbis recreati sunt admodum, cùmque libentissimè audiebant. Iudith. 4. 13.
At ille voluptatem cumulaturus adiecit; *Memores estote Moysi serui Domini, qui Amalec confidentem in virtute sua, & in exercitu suo, & in clypeis suis, non ferro, pugnando sed precibus sanctis, orando, deiecit.*

Verba hæc accidêre illis tanquam dulcissimus concentus in eo conuiuio vini suauissimi cohortationis ab Sacerdote Eliachim ad eos habitæ. Atque huic similis memoria nobis fuit, eritque Baltasaris.

Idcircò ipsius corpus deportatum est illuc,atq;in hoc Collegio conquiescit. Illi nos porro dicamus, & meritò, quod Iobo ipsius perfamiliaris aiebat, *Cum te consumptum putaueris, orieris vt*
Iob.11.17. *Lucifer*. O corpus, licet videare consumptum, ò cineres, quanquam apparetis exusti, in memoria tamen nostra viuetis, in easq; fulgebitis instar exorientis mane Luciferi; à cõtemplatione nimirum exempli vitæ vestræ clarissimi, vestris in filijs omnibus, in hac Prouincia, in omni posteritate. Absumpti illic & occulti custodiri videbamini, sed vos, noui instar Luciferi, hodierna luce hic apparere vult Deus, Huiusmodi vitam in nostrâ memoriâ, illi habituri sunt cineres, hanc lucem edituri, dum supremus ille, beatusq; dies effulgeat, quo maiorem alium in modum in se ipsis micent. Fulget nunc animus, inque Cæli Patria, vti existimandum est meritò cum gloria viuit ingenti. Indicatum hoc diuinitùs est testi illi exceptione omni maiori, laudatæ à me nuper sanctissimæ Parenti Teresæ IESV, quæ affirmauit nempe, viuente adhuc Baltasare, ante aliquot, quàm decederet annos, Gloriam à Deo sibi commostratam fuisse, quam præcelsam vtique diuina illi benignitas destinarat. Mitto alia, quæ certè non defuere complura de diuino hoc Dei famulo sub ipsius excessum ostensa de Cælo; quæ ijs adiuncta, quorum conscij ipsi sumus, & quæ in hac nos oratione perstrinximus,de ipsius vitâ in omne exemplum virtutis instructâ, persuadent sanè quæ diximus de gloriâ, quâ ipsius nunc animus in cælesti beatitate perfruitur. At enim eius extincti reliquiæ viuunt nunc tantùm, fulgentque in nostra memoria, quæ illo in loculo exanimes, nec verò fulgidæ asseruantur: sed ille aderit aliquando dies, quo reuiuiscant, & fulgeant. Quantam verò lucem ille cinerum aceruus effundet, cum ipsum rediuiuum gloria immortalis amiciet? an verò de omnibus, qui suam operam traducendis ad Christum animis contulere, illud
Dan.12.3. non dicitur, *Qui ad iustitiam erudiunt multos, tanquam stellæ Firmamenti fulgebunt in perpetuas æternitates*? Quid porrò sentiendum de illo est, qui tam impensè, cumque fructu tam vbere mirandum sanè in modum id præstitit, nisi hoc ipsum, eo illum die tanquam sidus,formosumque longè,Luciferum spectaculum sui esse daturum? Fruamur eo nos interim ipsius corpore hic potiti: nostra in memoria ille viuat, ac fulgeat,vt, quandoquidem viuum illum eo in loculo non habemus,solatio saltem sit nobis eum illic

 extin-

extinctum, viuum verò nostris in animis custodire. Angebatur sanè Bernardus à fratris sui Gerardi morte, Deumque compellans aiebat: *Gerardum tu dedisti, Gerardum tu abstulisti: et si dolemus ablatum, non tamen obliuiscemur, quòd datus fuit; & gratias agimus quòd habere illum meruimus.* Ber. serm. 26. in Cant. Et nos verba horum similia vsurpemus: Deo sint laudes, quòd virum hunc peregregium ab ipso viuentem obtinuimus, & extinctum nobis ipse restituit. *Moriatur anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea huius similia.* Num. 23. 10. *Ingrediatur putredo in ossibus meis & subter me scateat, vt requiescam in die tribulationis, vt ascendam ad populum accinctum nostrum:* Habac. 3. 16. vbi virum hunc sanctissimum intueri fas erit suis accinctum cupiditatibus sensibusque. Hæc interim nostra memoria refricet, vt eius recordatio orbiculus odorarius, & quidem suauissimus sit olfactui, gustatui fauus mellis dulcissimus, concentus auditui iucundissimus, vt & nos vocem illam audiamus de Cælo dicentem, *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Beati animis, & corporibus beati: beati in sepulcris, & in cineribus beati: beati in vita, & in morte beati: beati cum & inter mortales in terris viuimus, & beati, cùm inter Cælites, perennibus fruemur præmijs gloriæ immortalis: quam mihi, vobisque Deus, &c.

Laus Deo, Virginique Matri.

Cum & in hac altera editione errores nonnulli Typographi recognoscentem effugerint, grauiores in ijs impresso iam opere deprehensos appositæ hic correctioni subiecimus: pauculis alijs leuioribus, palàmque se confitentibus, veniam prudens Lectoris dabit humanitas.

Pag.	lin.	Errata.	Corrige.
119	17	dolore	dolorum
121	42	incensurus	inscensurus
122	6	subimisè	submissè
127	27	disrumper	disrumperer
143	27	cupiditatem	cupiditatum
152	25	commendent	commender
152	34	actiorémque	arctioremque
156	25	rempublicarũ	rerumpublicarum
157	16	cuispiam	cuiuspiam
160	36	ingentissimæ	ingentis
164	37	subsistere	substitere
169	35	versiculũ	versiculum
193	9	morbi	morbis
194	15	cuispiam	cuiuspiam
206	40	vitæ religiosæ vitæ	religiosæ vitæ
208	11	appentissimus	appetentissimus
271	7	Litterato	Litteratos
287	39	Notet	Notent
302	34	vbinde	subinde
303	10	corporibus	corporis
324	10	illos	illas

INDEX CAPITVM.

Fran-



FINIS.

